



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

Liber I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](#)

CASPARIS ZIEGLERI
 DE
E P I S C O P I S
T R A C T A T U S
L I B E R P R I M U S.

C A P U T I.

De Vocabulo Episcopi ejusque cognatis.

I.

Episcopi vocabulum non nuditus tertius demum inventum aut receptum est, neque cum Ecclesiâ primum cœpit, sed jam inde ab antiquissimis temporibus inter Græcos pariter atque Latinos scriptores usitatum fuit. Ipsi aliquando Genitilium Dii Ἐπίσκοποι dicti fuerunt, apud Plutarchum in Caamil. θεοὶ χρηστῶν Ἐπίσκοποι οὐ πονηρῶν ἐργῶν. Inspectores bonorum & malorum operum. Et apud Homerum iliad. X. Hector pacta conventa Achilli in memoriam revocans, θεοὶ, inquit, μάρτυροι ἀστοταὶ οἱ Ἐπίσκοποι ἀρμονίῶν, testes erunt & custodes pactorum. Sic & apud Herodianum lib. 7. cap. 10. legitur, Gordiano Imperatore extinto, Senatum populumque; Romanum in templo Capitolini Jovis convenisse, ibi clausis foribus solos ὄχηρες ταῦθα μάρτυρες, τῷ Δίῳ οὐ σωστόρω, Ἐπίσκοπων τε τῶν περιττομέρων, quasi teste & concessore atque adeò rerum omnium inspectore Deo, consultaturos. Eodem modo & in eadem significatione etiam hominibus tribuitur, quibus cura & administratio alicujus rei commissa est. Plutarchus in vita Periclis refert, quod omnibus ejus operibus præfuerit Phidas: πάντων Ἐπίσκοπος οὐδὲν Φειδίας. Et apud Athenienses Magistratus, qui in civitates subjectas mittebantur, Episcopi dicebantur. Notat id Scholiastes Aristophanis in avibus, pag. 590. Οἱ παῖς Ἀθηναῖοι εἰς τὰς ἑπτηκότες πόλεις Ἐπίσκοποι φασάνται τοι γραπτοὶ ἔνθεισις πεμπόμενοι Ἐπίσκοποι οἱ Φύλακες ἐκαλέντο. οἱ εἰς λάκωνες σέρμοστες ἔλεγον. Propter similem curam Plutarchus in Vita Nume Pontificem Maximum

A

apud

apud Romanos dicit esse τὰν ἵεραν παρῆσαν θίσκοντα, sacrarum virginum, quae Vestales vulgo nuncupabantur, inspectorem & magistrum.

I. In eodem significatu etiam apud Latinos id occurrit vocabulum. Sic enim legitur apud Ciceronem lib. 7. epist. 11. ad Attic. Vult etiam me Pompejus esse, quem tota hec Campana & maritima ora habeat θίσκοντα, ad quem delectus summa negotiorum referatur. Et apud Arcadium JCtum, l. 18. §. 7. ff. de munere. Item Episcopi, qui præsunt panis & ceteris venalibus rebus, quae civitatum populis ad quotidianum vitium usui sunt, personalibus muneribus funguntur. Utroque loco inspectio, cura atque sollicitudo & administratio aliqua innuitur. Nec verò mirum videri potest cuiquam, vocabulum hoc pure græcum apud Romanos, linguae suæ aliquando tenacissimos, receptum fuisse. Nam ut Suetonius testatur, antiquissimi Doctorum Poëtæ & Oratores semigræci erant. Et gloriatur Ennius, se pavisse Romanos græcâ lingua, qui asfueti græcis literis etiam in Urbe non minus græcâ quam latinâ linguâ negotia sua expediebant. Idque usu adeò promiscuo, ut Catō in Senatu exclamaverit, se non posse pati græcanicam Urbem. Et ut Valerius Maximus autor est, l. 2. c. 1. etiam ætate Ciceronis usus Græcae linguae in Senatu Romano adeò frequens fuit, ut græcis actionibus aures Curiæ exsurdarentur, atque Molonem Rhetorem, qui studia Ciceronis auxerat, in Senatu sine interprete audiverint. Vid. Elbert. Leonin. emendat. lib. 2. c. 4. Nec verò dubium est, significantius aliquando per vocabula græca exprimi mentem loquentis, qualicunque alias idiomate is usus fuerit, quod Grammaticorum filii illustrandum relinquo.

III. Nec tamen de munere semper aut officio publico accipiendum est istud, quoties occurrit, vocabulum. Apud Athenienses enim θίσκοντας χώρας dicebantur adolescentes, qui ex ephebis excesserant, quando peregrinationibus vacabant. Nam priusquam ipsi τὰν λήξεων ἥρχον, i. e. rei hæreditariæ & bonorum suorum possessionem occupare poterant, per biennium tenebantur vicinas regiones circuire, à decimo octavo scilicet ætatis anno ad vigesimum usque. Isti inde appellabantur Ὀἰπόλοι, i. e. circumatores, ὄφοδοι, ob viam & peregrinationem, in quā versabantur: θίσκοντας χώρας regionis inspectores, non veluti magistratus, sed ut cum ingrueret necessitas, essent regionum, viarum & locorum periti. De quâ re videri poterit Guil. Postellus de magistratib. Atheniens. c. 18. Ut plurimum autem Episcopi dicebantur, quibus non solum oculis lustrandi potestas, sed etiam providentia & administratio aliqua mandata erat, quibusq; officium hoc incumbebat, ut si defectum aliquem observarent, supplere eum, emendare, corrigeret & modis omnibus reficeret ne desisterent. Est enim θίσκοντας, sive θίσκοντας idem quod attente inspicere, curiosè observare, & cum sollicitudine aliquâ rem speculari: aliquando idem quod invisiere & visitare,

sitare, quomodo Medici apud Galenum passim dicuntur ægrotos θηραινόντες, quia scil. & ipsi curiosè atque attentè ægrotorum constitutiones & symptomata observare debent: quandoque idem, quod recensere & lustrare, uti ita vocabulum hoc in versione suâ adhibuerunt LXX. interpretes, Num. II, 26. &c. III, 15. Judic. XX, 15. &c. XXI, 9. Atque hinc Episcopos speculatorum significat, inspectorem, visitatorem, sive, ut hodiè loqui solemus, Superintendentem. Conf. Lud. de la Cerdâ advers. sacr. p. 105. n. 16.

IV. In omnibus his significatibus Ecclesia sibi proprium hoc fecit vocabulum, applicans id illis, qui curam animalium gerunt, & populum Christianum tûm in fidei dogmatibus erudiunt, tûm etiam vitæ & morum regulis instruunt. Debent enim, qui officium tale sustinent, attentè & curiosè observare & cum sollicitudine aliquâ pervestigare Ecclesiam suam, eamque iteratis vicibus visitare, recensere itidem & lustrare eandem, quam creberrimè, & omnibus modis cavere, ne quisquam ex eâ pereat. Hoc scil. est, quod ait Isidorus ap. Gratianum c. cleros. dist. 21. Episcopi græcè, latine speculator interpretantur. Nam speculator est præpositus in Ecclesiâ, ideo dicitur, quod speculetur & propiciat populorum infra se positorum mores & vitam. In eandem sententiam facit c. qui episcopatum. 8. q. 1. Nec dubito, nomen hoc in significatu generali tributum fuisse & tribui potuisse omnibus illis, qui qualemcumq; θηροντες in Ecclesiâ habuerunt. Neque enim alii fuerunt olim sub initium nascentis Ecclesiae, qui presbyteri, alii, qui Episcopi dicebantur, uti in sequentibus plenius expositi sumus. Sed cum ad unum mox devolveretur potior & præcipua cura, factum inde, ut restringeretur deinceps usus vocabuli, & nomen istud non alii, quam soli illi, qui primus in ordine esset, in quâvis Ecclesiâ tribueretur. Et tûm presbyteri nomen Episcopi nomini proximum factum est, ut ita dicitur in l. 5. Cod. Theod. de heret. Nam & Episcopus primus presbyter B. Augustino quest. 10. vicissim presbyter secundi ordinis sacerdos dicitur Apollinari Sidonio lib. 4. epist. 25. Nec uniformiter tamen semper istud officium sese habuit, sed quo plura indies δέξια vel sumperunt sibi Episcopi, vel ab Ecclesiâ non invitâ accepterunt, eo latius deinceps patuit θηροντες & ei juncta dignitas, ut contineri tandem nullis vinculis potuerit immensa Episcoporum αλαζονεια.

V. Sortiti inde fuerunt Episcopi varia nomina alia, quibus officium eorum exprimebatur, quorum tamen aliqua, perinde ut Episcopi vocabulum, cum reliquis presbyteris erant communia. Tale est vocabulum Sacerdotis, quod etiam inter gentiles usu frequens erat, ita ut sacris præfecti & Flamines & Sacerdotes promiscue & sine distinctione dicerentur. In genere autem Sacerdos dicitur ille, qui sacris DEI vacat, l. 32. §. 4. ff. de recept. In quo significatu veris quoq; DEI ministris tribui id nomen optimo

jure potest, non tantum in Ecclesiâ Israeliticâ, sed etiam Christianâ. Verum si cum Scripturâ sacrâ loqui volumus, necesse est, ut alium planè statuamus in novo Testamento Sacerdotem, alium in veteri. Sacerdotis nempe propriè ita dicti officium versatur circa sacrificium. Sacrificium autem propriè dicitur, quando animal vivum exanimatur & occiditur, & quidem ad honorem DEO exhibendum. Sacerdotium igitur erit officium divinitus institutum ad peragenda & celebranda ejusmodi sacrificia. Et Sacerdos, persona, quæ animal vivum ad honorem DEO exhibendum mactat. Vid. Joh. Rainold in colloq. cum Hart. cap. 8. seft. 4. Et tales quidem in Veteri Testamento fuerunt Sacerdotes, cùm in confessio sit, externum eos & corporale sacrificium DEO obtulisse.

VI. Cùm verò post sacrificium à Christo in cruce peractum omnis sacrificiorum usus, olim admodum frequens, proslus defierit, quod tamen præcipuum Sacerdotum, etiam inter gentiles, fuit munus & officium, non ineptè disquiritur, utrum, qui inter Christianos sacris DEI vacant, Sacerdotes dici commodè possint & debeant, adeoque num in novo Testamento Sacerdotes propriè dicti habeantur? Et sane observatum fuit jam diu, quod ab eo loquendi genere & Christus ipse & Apostoli semper abstinebant. Mart. Chemnit. in exam. Concil. Trid. p. 2. tit. de missâ p. m. 342. Quin & hoc observatum fuit, etiam in primitivâ post Apostolos Ecclesiâ rario-rem ejus vocabuli fuisse usum. Nic. Vedel. exerc. 3. ad Ignat. epist. p. 156. Accedit, quod in Novo Testamento Christiani omnes promiscue Sacerdotes dicantur, i. Petr. II, 5. Apoc. I, 6. c. V, 10. c. XX, 6. ut adeò frustra id. vocabulum in N. T. ad solum statum Ecclesiasticum restringatur, & propriè dicti Sacerdotes statuantur. Obtinuit tamen & consuetudine receptum est, ut ministri Ecclesiæ Christianæ non solum in generali illâ significatio-ne, quæ omnibus Christianis convenit, sed etiam speciali quodam respectu, quat. scil. prædicatione verbi & Evangelii sacrificiant, precesque offerunt & alias officii sui partes expedient, in eamque rem peculiariter sese DEO consecrant, Sacerdotes dicantur. Vid. Gerhard. in Loc. de minister. §. 14. Joh. Georg. Dorscheus miss. p. 320. Meislner. p. 2. philos. sobr. c. I. q. 20. p. 269. seq. Tabor de obligat. success. in offic. c. 6. n. 1.

VII. In hoc significatu Episcopis etiam tribuitur hoc nomen, uti pas-sim id in constitutionibus Imperatorum occurrit, quemadmodum videre licet in l. 10. l. 14. l. 18. l. 31. l. 33. l. 42. l. 43. l. 44. C. de Episc. §. Cler. l. 13. l. 34. C. de Episc. aud. Conf. Anton. Contius in l. 7. C. de Episc. §. Cler. Dionys. Gothofred. in l. 14. C. eod. Jac. Cujac. ibid. Ad eundem modum Cyprianus Carthaginensis Episcopus jam seculo III. Episcopos Romanos, Cornelium, Lucium & Stephanum, quorum οὐγέας fuit, appellat Collegas & Consacerdotes, lib. 1. epist. 1. §. 4. lib. 3. epist. 1. Idem in dict. epist. 4. Basiliadem & Martialem, illum Asturiciæ, hunc Emeritæ in Hispaniâ Episcopos

scopos recte ab Episcopatibus remotos dicit, tūm quia in ordinatione Sacerdotum non nisi immaculati eligendi, tūm quia plebs à Sacerdotis peccatoris contagio tutā esse non posuit. In eodem significatu etiam sacerdotium usurpatur pro Episcopatu in l. 14. & l. 19. C. de Episc. & Cler. Sed semper hīc meminisse oportet, Christi instituto & naturae novi Testamenti non convenire, ut, qui dicuntur ita sacerdotes, veteris Testimenti Sacerdotibus per omnia æquiparari debeant. Sufficit scil. aliqualem in quibusdam partibus in utrisque observari conformitatem. Officii nempe sacerdotalis tres erant principales partes in lege Mosis, nempe docere, orare & offerre, seu sacrificare. Nam docebant populum doctrinam à DEO traditam, *Levit. X, 9. 10. Malach. II, 7.* Itaque Sacerdotes erant ceu custodes & interpres doctrinæ de DEO & in primis promissionum de venturo Messia. Deinde orabant, nimirum pro Ecclesiâ & pro se, & populo benedicebant, & benè precabantur solemnī benedictione, *Num. VI, 23. Psal. CXVIII, 26.* Tandem offerebant & sacrificabant pro peccatis tām suis, quam populi. Priores duas partes etiam novi Testimenti sacerdotibus conveniunt; Sed tertia planè cessavit, cūm nullum in Ecclesiâ Christianâ reliquum sit sacerdotium tale, quod puro homini tribuatur, eō quod sit Christi solius. Itaque omne, quod à Patribus quibusdam in novo testamento dicitur offerri sacrificium, non nisi metaphoricum est, & sacerdotes ipsi metaphorice ita dicuntur.

VIII. Cæterū non satis consideratē agunt, qui verba Scriptorum Ecclesiasticorum, de uno Sacerdote in Ecclesia, Pontifici Romano applicant. Scripterat Cyprianus epist. 55. non aliunde obortas esse hæreses, aut nata schismata, quām inde, quod Sacerdoti DEI non obtemperatur, nec unus in Ecclesiâ ad tempus sacerdos & ad tempus judex vice Christi cogitatur. Hæc verba Cardinalis Baronius ad annum Christi 34. n. 203. accipit de Pontifice Romano, ita ut excludere videatur reliquos Episcopos, adeoq; Romanum solum in Ecclesiâ præsidere vult vice Christi. Rectius verò Nicolaus Rigalius locum illum Cypriani de uniuscujusque particularis Ecclesiæ Episcopo interpretatur, qui sit Ecclesiæ suæ sacerdos ad tempus & ad tempus judex vice Christi. Hæc enim sunt, (inquit idem Cyprianus epist. 65.) initia hæretorum, & oris atque conatus schismaticorum male cogitantium, ut sibi placeant, ut præpositum (hoc est, Episcopum) superbo tumore contemnant.

IX. Quandoquidem verò non Episcopi tantum, sed etiam presbyteri promiscue Sacerdotes dicebantur, uti ex l. 16. l. 19. l. 44. C. de Episc. & Cler. & l. 8. §. 2. C. de hæret. ostendit Cujacius ad l. 14. C. de Episc. quibus addi possunt textus in l. 53. vers. sciente tuā excellentiā. C. eod. & l. 34. §. 4. C. de Episc. aud. factum inde, ut si de Episcopis sermo esset, aliquando is sacerdos summus, & Episcopatus Sacerdotium summum diceretur. Occurrit hoc in can. 6. Concili Agathensis, quem adducit Gratianus c. Pontifices. 12. q. 3.

ubi Episcopatus vocatur summum sacerdotium, & omnes Pontifices summi sacerdotes. Sic & Fabianus Papa c. *Deus ergo.* 3. q. 1. de omnibus Episcopis promiscue loquens omnes pariformiter summo sacerdotio fungi ait. Eodem modo etiam Anacletus c. *accusatio.* 2. q. 7. per summos sacerdotes, quorum ibi facit mentionem, intelligere se ait Episcopos. Et Innocentius I. c. *miserum disf.* 6. 1. miserum esse ait eum fieri magistrum, qui nunquam fuit discipulus, eumq; summum sacerdotem fieri, qui in nullo gradu unquam obsecutus fuit Sacerdoti. Eundem loquendi modum plurimi etiam inter veteres Ecclesiae Doctores retinent. Tertullianus de *bapt.* c. 17. *Dandi quidem baptismi habet ius summus sacerdos,* qui est *Episcopus.* Hieronymus contra *Lucif.* Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet. Ubi Marian. Vi&t. intelligit Episcopum. Ambrosius de *sacram.* lib. 3. c. 1. *Licet enim & presbyteri fererint, tamen exordium ministerii a summo est sacerdote.* Et epist. 5. Annuntiasti diem affore, quo suscepisti gubernacula summi sacerdotii. Similia plura observare licet in scriptis Gaudentii Brixiensis, Eusebii Emiseni, Paulini, Eucherii, Apollinaris Sidonii, Zosimi, Basilii Ancyrani, Hildeberti Cenomanensis & aliorum. Conf. Joh. Savaro ad Apollin. Sidon. l. 4. ep. 11. & epist. 25. Dan. Chamier panstrat. Cath. tom. 2. lib. 10. c. 9. Carol. Molinæus ad S. Ct. Francie contra abus. pap. n. 13. Cur autem Episcopi dicantur summi sacerdotes, rationem reddit Augustinus in quest. 10. ex utroq; mixt. Quid, inquit, est Episcopus, nisi primus presbyter, h. e. summus sacerdos? deniq; non aliter quam compresbyteros hic vocat & consacerdotes suos. Et hactenus quidem de vocabulo & nomine Sacerdotis.

X. Dicebantur vero Episcopi haud raro Pontifices. Quod vocabulum diversam continet interpretandi rationem, ut notat Varro de *Linguâ Latinâ* lib. 4. bis *verbis:* Pontifices, ut Q. Scævola Pont. Max. dicebat, a posse & facere. Pontifices, ego a ponte arbitror: nam ab iis Sublicius factus est primum. Varronis hanc sententiam a pluribus comprobari, fatetur Cardinalis Baronius in *martyrol.* d. 9. April. Ipse vero Scævolæ potius assentitur derivationi, quam tamen duobus modis accipi posse ait, vel quod facere idem sit, quod sacrificare, vel quod inde juxta & facultas quedam amplissima faciendi & statuendi significetur; ex quo non gentilium tantum Pontificum, sed Christianorum etiam exsuperantem potestatem pluribus laudat verbis. In eandem ferè sententiam descendit post alios Oswaldus Hilliger in *Donell.* enucleat. lib. 23. c. 2. lit. X. At vero haud paulo aliter Scævolæ istam derivationem explicat Desiderius Heraldus lib. 1. digress. 20. & quidem ex verbis Plutarchi in *Numâ*, quæ ita reddidit ex Græco: *Alit dicunt Pontifices ita appellatos, ut impossibilia exciperentur,* (Græcè legitur: τὸν δύωατῶν, quod emendat Heraldus & reponit, τὸν ἀδυωάτων) tanquam Legislator sacra, quæ possint fieri, & quomodo possent, sacerdotibus indixerit, criminis autem aut vitio vorti noluerit, si quā vi majore impediti forent. Atq; hinc putat Heraldus natas fuisse cauti-

cautiones, quibus sibi in rebus omnibus ad religionem pertinentibus prospicerunt Pontifices. Quicquid hujus sit, vocabulum hoc ferè proprium semper fuit illis, qui curam religionis & sacrorum gerunt, atq; hinc etiam in Ecclesiâ Christianâ Episcopis tribui cœpit. Ex quo Episcopatum etiam *Pontificatum ac Pontificium*, & omne id, quod ad hunc pertinebat, *pontificale* dixerunt veteres Christiani. Casp. Barth. lib. 45. adversar. c. 19. Et quia, ut dixi, ex posse & facere Pontificis vocabulum compositum creditur, inde potestatem & facultatem aliquid faciendi competentem aut concessam, *pontificium* dixerunt. Vid. Hieron. Bignon. ad Marculfi form. l. 2. c. 5.

XI. Nec Pontifices tantum dicti fuerunt, qui reliquis sacerdotibus præfecti fuerant, sed etiam summi Pontifices. Plurima in eam rem collegit testimonia Cardinalis Baronius in *martyrol. d. I.* quibus addi potest ex epistola Aviti Episcopi Viennensis ad provinciæ sua Episcopos, quâ eos invitat, ut ad synodum veniant Epaonensem: *Duos presbyteros magnæ ac probabilis* *vite, mandati instructione firmatos, fratribus pro se presentare procuret. Sed* *tales dignetur eligere, quos Episcoporum concilia non minus scientia quam reverentia* *jure faciat interesse, cum quibus delectet summos Pontifices (h. e. Episcopos)* *conferre sermonem, quos ad definitiones pro Episcopo suo sanciendas subscribendas q*
cum fuerit solertia eligi, sit autoritas legi &c. Add. Goldast. *Repli. pro Imper.* c. 28. p. 294.

XII. Nomen hoc Pontificis maximi apud Romanos primum adhuc gentiles, sub ipsis Urbis initii, cœpit, tantaq; ejus dignitatis omnibus temporibus habita fuit ratio, ut non vilibus hominibus, sed principibus civitatis conferretur. Gestumq; eum honorem à Dictatoribus, Magistris equitum, Consulibus, Consularibus, Censoribus, Prætoribus, Tribunis plebis, Senatoribus, ceterisq; magistratibus, ut & ab Auguribus decemviris & quindecimviris, Sacerdotibusq; præcipuis aliis, historiæ veteres docent. Rationem reddit Cicero principio orat. pro domo ad pontifices: *Nihil præclarior, quam quod vos eosdem & religionibus deorum immortalium, & summae Reip. præesse voluerunt, ut amplissimi & clarissimi cives Remp. benè gerendo, religiones sapienter interpretando Remp. conservarent &c.*

XIII. Cum vero usitatisimum ita esset inter paganos, ut Sacerdotium summum, summumq; in regimine imperium conjungerentur, & Principes simul sacerdotes essent, factum inde, ut Pontificis Maximi apud Romanos dignitas, quæ maxima semper fuit, etiam dignitati Imperatoriæ in Julio Cælare primum, & omnibus deinde successoribus gentilium religioni addictis, velut maximum imperii firmamentum, conjuncta esset. Divinitatis scil. quædam opinio Principibus affingenda erat, ut metu numinis subditi in officio contineri possent. Neq; enim immerito Plato religionem propagnaculum potestatis ac legum & honestæ disciplinæ vinculum vocat. Ex quâ eadem ratione id commenti genus apud quamplurimas gentes à Legis-

Legislatoribus adhibitum fuit, ut leges à deo aliquo sibi traditas simularent, sive quod admirandum prorsus & divinum esse judicarent commentum illud, quod in commodum societatis humanæ exiret: sive quod vulgus ad majestatem & potentiam illorum, qui leges invenisse dicerentur, respectans, dicto magis audiens fore existimarent. Diodor. Sicul. *bibl. hist. lib. I. c. 94.* Quamdiu igitur tecta fraus erat, deorum metus animos, quamvis falsa & inani, superstitione obstrictos tenebat, & huic rei valde proficuum erat imperio junctum sacerdotium. Et hinc factum, ut Pontificatum maximum susciperent, Pontificesq; maximi dicerentur Imperatores à Julio Cæsare ad Constantimum Magnum usque plerique omnes, ita tamen, ut si duo vel tres essent simul Imperatores, illorum unus tantum Pontifex maximus, reliqui Pontifices tantum sine Maximi titulo, seu maiores tantum, dicerentur, quod ex Divorum fratrum Caracallæ & Getæ, item Diocletiani & Maximiani, aliorumque nummis observatum scribit Jac. Gutherius *de vet. juri. Pontif. lib. I. c. 15.* Quòd & facit locus Dionis Casii *lib. 53. in Augusto.*

XIV. Utrum autem etiam Christiani Imperatores, Constantinus scil. ipse, ejusque successores aliquot, Pontifices Maximi dicti fuerint, multis adhuc argumentis inter eruditos disceptatur. Cardinalis Cæsar Baronius *in martyrol. ad d. 22. Augusti*, id aliquando negavit; sed per *deinceps* *Phiænomena* mutavit sententiam, & in *annalib. ad ann. 312. n. 94.* planè contrarium statuit; atque ex his deinceps commentarium suum ad martyrologium per iteratam editionem emendavit. Vicissim verò mutatam hanc Baronii sententiam destinatâ operâ refutavit Jacobus Gothofredus JCTus, *in speciali ad Andream Rivetum epistolâ, de interdictâ Christianorum cum gentilibus communione, deq. Pontificatu maximo, num Christiani Imperatores eum aliquando gesserint.* Ubi ex professo negativam tuetur sententiam, & singula Baronii argumenta erudite examinat. Sed Baronii partes non multo post suscepit Johannes Seldenus *de Synedriis vet. Ebraeor. lib. I. c. 10.* ubi dictam Gothofredi epistolam, quæ tūm temporis sub J. Pacidii nomine edita erat, refellere conatur, non inscriptiones tantum, sed Zosimi etiam autoritatem, quibus maximè nititur affirmantium sententia, acriter propugnans. Idemque ante eum præstítit Johannes Morinus *de Ecclesiâ liberatâ part. 2. c. 14.* & post eum destinatâ operâ Joh. Andreas Bosius *in erudita exercitatione de Pontificatu Maximo Imperatorum Romanorum.* Pari modo Hugo Grotius *in Commentario de Imperio summarum potestatum circa sacra cap. 2. num. 7.* aliquot argumentis defendit, multos post Constantimum Imperatores Christianos nuncupatos suisse ex veteri more Pontifices Maximos; sed in brevicolis ad libellum istum *notis marginalibus* Grotium saepiusculè reprehendit David Blondellus.

XV. Tanta cùm inter eruditos hâc de re etiamnum agitetur pugna, tantisque difficultatibus cùm controversia ista obfita sit, oppidò periculose sum

sum erit, alterutri parti suam addicere sententiam. Nec tamen dissimulo, verisimiliorem mihi videri doctrinam eorum, qui statuunt, nec Constantini posteriorum quenquam, nec ipsum Constantinum, postquam Christo nomen dedit, nomen & dignitatem Pontificis maximi retinuisse, tum quod præter Zosimum neque inter gentiles scriptores, neque inter Christianos quisquam ejus rei mentionem faciat, Zosimi autem, in quem unum omnis resolvitur historiæ fides, tanta non sit autoritas, ut cum eo velis in tenebris micare, tum verò, quia nec inscriptiones, quæ adducuntur, fidem faciunt de nomine isto ab ipsis Imperatoribus usurpato, sed imposito & adscripto ab aliis vel superstitione vel assentatoriè, aliquæ etiam ex primævâ suâ origine Imperatorem noviter superadditum mentiantur, quod egregie docet Jacobus Gothofredus d. l. tum denique, quia Sozomenus lib. 5. cap. 1. in Juliano Apostata id ceu novum, & à Christianâ fide alienum notat, quod cum antea Christianus fuisse videretur, repente mutatâ religione semetipse Pontificem maximum appellaverit; nihil certè id curaturus, si idem sibi nomen retinuissent Imperatores anteriores.

XVI. Occasione ejus, quod de Pontificatu Imperatorio dixi, quodq; Pontificis nomen Episcopis Christianis tributum asserui, opportunè incidit dictum Constantini Magni apud descriptorem vitæ ejus lib. 4. cap. 24. quod varie ad cuiusq; institutum explicatur. Verba ex versione Henrici Valesii hæc sunt: *Quocirca non absurdè cùm Episcopos aliquando convivio exciperet, se quoq; Episcopum esse dixit, his ferè verbis usus nobis presentibus: Vos quidem, inquit, in iis, quæ intra Ecclesiam sunt, Episcopi estis; Ego verò in iis, quæ extra geruntur, Episcopus a DEO sum constitutus* &c. Plurimi dictum istud referunt ad potestatem Ecclesiasticam externam Principibus propriam. Dux enim communiter statuuntur Pontificatus partes, altera jurisdictio sacra cum imperio, altera sacra in cultu numinis functio. Hæc Collegio Sacerdotum ab Imperatoribus ut plurimum relicta erat, sic tamen ut suo nihilo minus arbitrio eam temperarent. Illa autem cum Imperatoriâ Majestate ita conjuncta erat, ut extra eam nulli alii competenteret. Istam potestatis lacræ distinctionem etiam in Ecclesiâ receptam concedimus quidem, sed ab Constantino sub intellectam, vix admittunt verba græca, quæ hæc sunt: *Τμεῖς πλὴ τῶν εἰσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ὄντων τοῦ Θεοῦ κατηγοροῦμεν οἱ πρίονοι οἱ ἀγιοι.* de quibus mox dicam plenius.

XVII. Haud paulo aliter ea explicat Johannes Selenus de Synedr. lib. 1. c. 10. putans, Constantiū locutione istâ usum, postquam Christo nomen dederat, in deliberationibus de dignitate illâ Pontificatus maximi retinendâ, non sine allusione ad illud Pauli 1. Cor. V, 12. *Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis? Nam eos, qui foris sunt, DEUS judicabit.* At verò de istiusmodi Constantini deliberationibus nullibi quicquam apparent. Neque à Seleno explicatur, quâ ratione, quod DEO adscribit Paulus, sibi tri-

buere potuerit Constantinus. Neque enim ex eo, quod judex eorum, qui extra, seu DEUS, sit etiam eorum judex, qui intra, & quod horum judicium Ecclesiæ à DEO sit permisum, sequitur, etiam Constantino idem, quod DEO, competere judicium, uti inferre videtur Seldenus, & quod propter istud judicium dici debeat Episcopus τῶν ἔκτος. Judicium enim, quod in foro externo Principibus in subditos competit, multum differt à judicio divino in eos, qui extra Ecclesiam sunt, exercendo.

XVIII. Quod si igitur verba græca supra adducta, prout jacent, penitius attendantur, nemini potest esse obscurum, ad personas ea, non ad res, esse referenda, ita ut significetur, Episcopos eorum curam gerere, qui Ecclesiæ adscripti fidem Christianam profiterentur; se verò gentilium, qui essent extra Ecclesiam, saluti consulere, sacrificiis paganorum vetitis, Dominici diei cultu & feriatione præcepta, etiam ipsis gentilibus. Et hanc explicationem, quam Petrus de Marca *de concordia sacerdot.* § imp. lib. 2. c. 10. n. 7. & ante eum brevioribus verbis Jacobus Gutherius lib. 1. de off. dom. Aug. cap. 39. referunt, comprobant Eusebii, seu quicunq; librorum de vita Constantini autor est, verba sequentia: *Itaq; confilia capiens dictis congruentia, omnes Imperio suo subjectos Episcopali sollicitudine gubernabat; & quibuscung; modis poterat, ut veram pietatem consequarentur, incitabat.*

XIX. Sed redeundum ex diverticulo in viam. Dixi, Episcopos sè perumerò Pontifices, & summos quidem atque maximos dictos fuisse, in que eam rem præter alia, quæ ex Baronii collectione discere licet, adduxi Alcimi Aviti Episcopi Viennensis testimonium. Suppetunt autem adhuc multò plura. Sic enim Apollinaris Sidonius, *in concione, quæ subjuncta est epist. 9. lib. 7.* Agroecium Episcopum Senensem Pontificatum maximo dignissimum Papam, & *lib. 8. epist. 14.* Principium Svesionensem & fratrem ejus Remigium Rhenensem Episcopos, pontificatu maximo fungi & d. l. 8. *epist. 15.* Anianum Episcopum Aurelianensem Pontificem maximum dixit. Sic Moguntinum Episcopum apud Witekindum appellari Pontificem Maximum observat Caspar Barthius *lib. 45. adversar. cap. 19.* Sic & Adaldagum Pontificem Maximum Bremensem appellat Saxo Grammaticus *lib. 2.* Sic & Episcopi provinciæ Arelatensis Ravennium concordantibus omnium votis ad summum Pontificium proiectum esse, nunciant Leoni Papæ II. in literis, quas refert Baronius *ad ann. 450. n. 52.* Pari modo Karolus Magnus Imp. lib. 7. capitul. c. 128. § 129. summos pontifices pro cathedralibus, ut ipse explicat, Episcopis dixit. Ita & Johannes Episcopus Constantiensis dicitur ab Autwingo Lectore S. Galli apud Goldastum *antiq. Alamannicar. tom. 3. p. 7.* Nec verò opus est pluribus testimoniis, cum neque illi, qui titulum hunc Episcopo Romano proprium esse volunt, negare id queant. Præter Baronium enim, cuius autoritatem supra adduxi, quiq; idem id repetit *ad ann. 397. n. 50.* dissimulare id nequeunt H. Spondanus Apamiensis

ad

ad ann. 216. n. 3. & Franciscus Longus à Coriolano in summ. Concil. ad can. 26. Concilii Carthag. III. Et ne quis amplius dubitet, subjiciam, quæ sibi contigisse scribit Petrus Ravennas Jctus in Dictis suis notabilibus: Semel, inquit, reprobens sui à quodam, quise tenebat sapientem & doctum in jure, quod appellasse Episcopum summum Pontificem. Ira invasit me, & dixi: Et ego etiam sum Jurista, habemus jura, in quibus Episcopi appellantur summi Pontifices in c. si officia, c. qui Ecclesiasticis dist. 59. c. si Episcopus dist. 18. Fuit necesse, quod deviniremus ad libros. Volebat tamen pertinaciter suum errorem defendere, nec potuit. Verba hæc refert Bartholomeus Schobinger ad Joachimi Vadiani antiqu. apud Goldast. tom. 3. rer. Alamann. pag. 93.

XX. Observant autem, qui rerum origines inquirunt, ante finem quarti à Christo nato seculi nullum adhuc Episcoporum Pontificem dictum. Etsi enim Leonis, Pontiani, Damasi epistolæ antiquiorem ejus nominis usum subinnuant, spurias tamen eas & noviori tempore confictas, inter eruditos nunc ferè omnium est consensus. Antiquissimi, apud quos nomen istud hoc significatu occurrit, sunt Zosimus Papa epist. 1. & 5. & Paulinus Nolanus in epist. ad Romanianum. Uterque autem sub initium seculi quinti floruit. Ab isto igitur tempore invaluisse videtur, ut hoc nomen tribueretur Episcopis, qui possessionem ejus, ut vacuam, & ab aliis sibi primum sub ministratam occuparunt, eò scil. quod Imperatores titulum istum jam ante repudiassent, & collegium Pontificum per Christianæ fidei professionem prorsus sublatum esset. Id enim quamdiu salvum fuit, puduit credo Episcopos eo insigniri, sive ne Principes offenderent, quorum is honor proprius erat, sive quod Ethnici nominis communionem vitarent. Vid. Joh. Andr. Bosius Affinis & Amicus olim summè colendus in exercitat. Histor. de Pontifice Max. Rom. cap. 1. n. 8. ubi eruditè ostendit, serò demum, & seculo decimo ferè exacto titulum hunc solis Episcopis Romanis quasi proprium cessisse, ante istud tempus autem etiam aliis Episcopis adhuc tributum fuisse.

XXI. Properandum est ad alia Episcoporum cognomenta, cum multo plura adhuc supersint. Inter ea vulgare aliquando fuit nomen Papæ, quod communiter omnibus Episcopis tributum legitur. Apud Gratianum c. abfit dist. 50. refertur fragmentum epistolæ, quam Clerus Romanus misit Papæ Cypriano. Quo loci valde ridendam se præbet glossa, dum nullum omnino inter Pontifices Romanos Cyprianum inveniens, & denuò tamen sub ead. dist. c. de eo, ejusdem Papæ Cypriani mentionem observans in hæc verba temerè prorumpit: *Sed forte hic & ibi est mendoza litera.* Ac si præter Episcopum Romanum nemo unquam Papa dictus fuisset. Vulgare fuit, uti dixi, jam tūm ætate Cypriani istud nomen. Sic enim etiam Galerius præfectus Cyprianum in questionem de fide Christianâ adductum interrogat hoc modo: *Tu es, quem Christiani suum Papam nominant?* uti refert Pon-

tius Cypriani Diaconus *in ejus passione*. Et apud Tertullianum Cypriano adhuc antiquorem, de Episcopo *in lib. de pudicit.* hæc leguntur: *Bonus pa-*
stor & benedictus Papa concionaris Ec. Invaluit id nomen seculis sequenti-
bus perquam copiosè. Extant epistolæ dux Venantii Fortunati ad Eu-
phronium Episcopum Turonensem, cui succesit Gregorius Turonensis,
quarum prior ita inscribitur: *Domino sancto & meritis Apostolico, domino &*
dulci patri Euphronio Pape, Fortunatus. Ita Clodoveus Rex Franciæ *in epist.*
ad Synodum Aurelianensem hunc addit epilogum: *Orate pro me, domini sancti*
& Apostolica sede Pape dignissimi. Tom. 2. Concil. p. 309. Sic & ex Apollinaris
Sidonii epistolis constat, quod passim omnes Galliæ Episcopos Papas appellaverit.
Adderem plura, nisi id notum esset, & innumeris exemplis com-
probari posse dixisset Baronius *in martyrol.* d. 10. Januar.

XXII. Quod verò ex Walafridi Strabonis *de reb. Eccles.* libro porrò
notat Baronius *d. l.* clericos aliquando Papas dici solitos fuisse, & addit, post-
ea nomen illud coepisse esse peculiare Episcoporum, ut iidem Papæ dicerent-
tur, in eo videtur inversum planè constituere ordinem. Walafridus Stra-
bo enim, cuius testimonium adducit, claruit tempore Ludoivei Pii Imp.
& obiisse dicitur anno Domini D CCC XLIX. At verò illi omnes, quos
Episcopis id nomen tribuere dixi, tempore fuerunt anteriores, ut adeò re-
ctius staruatur, Episcopis primum inditum hoc nomen, postea verò, & for-
tè vix ante seculum nonum, etiam ad reliquos clericos translatum fuisse.
Exemplum suggerit Alexii Comneni novella Constitutio I. quæ extat in ju-
re Græco-Rom. lib. 2. ubi præscribitur modus, quantum propter ordina-
tiones accipere liceat Episcopo. *Cujusq., inquit, regionis Episcopus septem*
duntaxat aureos nummos accipiet: unum quando simplicem papam sive lectorem
facit, ὅτε πινά ταῦτα λιτὸν παπᾶν, ἥτις αὐαγνώση. Refert eam Constitutio-
nem Theodorus Ballamon ad Photii nomocan. tit. 1. cap. 34. Per simplicem
autem Clericum sive λιτὸν παπᾶν Franciscus Bosquetus ad Innocentii III.
epist. 60. lib. 3. intelligit primum in Ecclesiâ tonsum, eoque refert, quod
græci παπαλίθρεα coronam Clericalem appellant, atque hinc porrò junio-
rum Clericorum seu paparum beneficia papatus dici putat ab Innocentio.

XXIII. Videtur tamen nomen istud reliquis Clericis tributum fuisse
tum demum, cum nullus amplius inter Episcopos ejus esset usus. Quo au-
tem tempore Episcopi ita vocari desierint, non una omnium est sententia,
uti videre licet apud Hieronymum Bignonum *ad Marculfum form. mox ab ini-*
tio. Nobis nunc ea cura non sedet, cum non lege aliquâ, sed desuetudi-
ne tantum, cuius plerumq; nullum constat initium, nomen istud abolitum
fuerit. Postquam autem Gregorius VII. Pontifex, Hildebrandus alias di-
ctus, monarchiam Ecclesiasticam adornare atque instruere summo annite-
retur studio, inter capitula sive canones, quos DICTATUS appellavit,
hanc veluti legem imposuit, ut nemo post hac, præter ipsum Pontificem

Roma.

Romanum, nomine isto uteretur amplius, sive, uti explicat Baronius ex schedis Vaticanis d. l. ut Papæ nomen unicum esset in universo Orbe Christiano, nec licet alicui se ipsum, vel alium eo nomine appellare. Dictatus isti leguntur inter epistolas Gregorii lib. 2. post epist. 55. apud Severin. Binium tom. 3. Concil. pag. 1196. & capitulum quidem, quod hoc pertinet, obscurioribus illic verbis conceptum est, hoc contextu: *Quod unicum est nomen in mundo.* Sed ea ipsam illam, quam dixi, nec aliam patiuntur interpretationem, eamque comprobant Ecclesiæ Latinæ Doctores plerique omnes. Nec obtinere tam potuit Gregorius VII, quod voluit. Nam & Græci Patriarchæ hodie quæ se Papas scribunt. Idq; testantur literæ Joachimi Patriarchæ Alexandrini, anno superioris seculi LXI. ad Albertum Comitem à Lewenstein scriptæ, apud Chytræum de statu Ecclesiarum in Græcia, in quibus hæc habentur verba: Οὐαλογῶ ἐγώ Ἰωάννημ, Πάπας ή Πατεράρχης τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας &c. Testor ego Joachim, Papa & Patriarcha magne Urbis Alexandriae. Quin & post Gregorium VII. Urbanus II. Episcopus Romanus Anshelnum Cantuariensem Archiepiscopum in Concilio Barense anno M XCVII. habito, Papæ nomine dignatus est. *Includamus*, inquit, *bunc in Orbe nostro, quasi alterius Orbis Papam.* Quod non tantum in Wilhelmi Malmesburientis lib. 1. de gest. Pont. Angl. legitur, sed etiam in MS. Gervasii Doroberniensis Monachi libro apud Joh. Selden. *Comment. in Eutychii Origin. Alexandrin. pag. 140.* & refert Franciscus Godwinus de præf. Angl. in vit. Anselmi pag. 91. Conf. eruditè hæc de re differentem Stephanum Bazuium not. ad Lup. Ferrar. p. 418.

XIV. Cæterum de Patriarchâ Alexandrino memorabile est, quod refert Eutychius, quâ ratione primum nomen Papæ ei tributum fuerit. Contigisse id ait tempore Heraclæ Patriarchæ, qui primus ita dictus est. Verba ejus sunt: *Cum vero homines audierant, Episcopos vocitare Patriarcham Abba seu Patrem, inter se dixeré, nos Episcopum quemlibet Abba seu Patrem appellamus, & appellant Episcopi Patriarcham Abba.* Unde sane oportet, ut vocemus nos patriarcham papam, id est, avum, cum sit Pater Patrum. Ita à tempore Heraclæ Patriarcha Alexandrinus dictus est Papa, id est, avus &c. Hæc si vera sunt, fallsum esse oportet, quod refert Nicephorus Callistus lib. 14. bistor. dum ait, Cœlestinum Romanum Pontificem concesuisse ex privilegio Cyrillo Episcopo Alexandrino à se constituto Legato in Concilio Oecumenico Ephesino, ut Papa diceretur, ac uteretur mitrâ. Ab Heraclâ enim ad Cyrrillum usque decem intermedii numerantur Patriarchæ Alexandrini, quibus omnibus, perinde ut Episcopis aliis, nomen istud tributum fuisse, verisimile est. Quanquam enim, eodem Eutychio referente, Alexander Patriarcha, qui septimus fuit post Heraclam, petisset ab Episcopis & presbyteris suis, ne Patriarcha Alexandrinus Papa vocitaretur; recte tamen observat Seldenus d. l. obtinere eum id non potuisse. Non ipsum enim tan-

tum, sed & Successorem ejus Athanasium passim adhuc appellatos fuisse Papas. Ex Eutychio autem hoc discimus inter alia, papæ nomen apud Alexandinos & in Ægypto avum denotasse, cùm apud alios patrem significaverit.

XXV. Unde verò & quale istud vocabulum sit, diversæ sunt autorum sententiæ, quas plerasque recenset, & velut in tabellâ exhibet Johannes Corasius lib. 5. miscell. c. 15. Alii ex duarum dictionum syllabis initialibus coaluisse putant, ut idem sit PAPA, quod pater patrum. Sed ea derivatio non placet Baronio ad martyrol. Rom. d. l. quod synodalis epistola ex concilio provinciali Epiri scripta ad Hormisdam Pontificem Romanum inscriptione utrumque nomen, Patris patrum, & papæ, conjungat. Longius eunt, qui à papillâ mammarii apice, unde lac extrahitur, Papæ nomen deductum putant. Nec minus illi, qui à pappo carduorum flore, qui marcescens in lanuginem abit, & ita per aërem sese diffundens citissime evanescit, originem vocabuli petunt. Utrique per allusionem & similitudinem aliquam, quod intendunt, explicant. Perridiculè verò Christophorus Landinus ad Dantis Aligeri Comediam de inferno cant. 7. Papam propter admirationem ita dici, existimat, eumque veluti rem admirandam proponit, argumentum petens ab interjectione. *Pape*, inquit, est interie^rto admirantis, cio è è voce, che dimostra maravigliarsi, onde il sommo Pontefice, come cosa maravigliosissima tra Christiani è chiamato Papa, hoc est, est vox, quæ notat affectum hominis admirantis, unde summus Pontifex, veluti summè admiranda res inter Christianos dictus est Papa. Et quis verò non miretur, Christi discipulum & vicarium ad istud culmen & fastigium ascendisse? Plures aliorum ineptias addere nolo.

XXVI. Optima mihi videtur sententia eorum, qui à pueris & infantibus nomen istud profectum arbitrantur. Πάπας enim infantili allocutione pater nuncupatur, & per anadiplasmatum πάππας. Sicuti μά dicitur mater, unde & Mammia. Hinc παππάζειν aut παππίζειν est infantium more blandeque patrem appellare. Lud. Cœl. Rhodigin. l. 6. lect. antiqu. c. 43. Videntur infantes cum animi sensa exprimere nullo adhuc modo possint, pa & ma syllabis iteratis parentes suos præ ceteris sibi cognitos honorare, & sibi familiares reddere velle, cumque verba tentare adhuc nequeant, & nec dimidiata quidem, optimè secum agi putant, si ad voces istas suas omnium primas, aures præbuerint parentes, seque istis compellari patientur. Blanda hæc sermonis & vocalarum ab inope linguâ tentamenta atque initia occasionem dederunt, ut qui patrum loco essent, infantium more Papæ blandiusculè appellarentur. Apud Græcos πάππας patrem, πάππος autem avum designat. Utrumque vocabulum ab isto infantum palpo originem dicit, nec interest, utro compelles Episcopum. In Ægypto tamen, uti dixi,

dixi, avi potius quam patris nomine honoratus fuit patriarcha. Episcopi autem communiter patres dici solebant, uti videre licet ex c. quorum, dist. 68. & ex Marculfi lib. 1. form. 25.

XXVII. Ea, quæ diximus, confirmantur autoritate Eustathii notissimi in Homerum Commentatoris, cuius verba in *Iliados* 5. hæc sunt: Κατὰ βρέφες ἀρεσφάγησιν, καὶ εὐαδιλασμὸν λέγομεν Πάπας καὶ Παπίας. Puerili loquela Ἐγεμινatā syllabā dicimus Papas, Πάπας καὶ Παπίας. Pater enim etiam Παπίας dicitur apud Aristophanem in *vespis*. Et ab hoc inter privatos vocabuli usu etiam in aulâ Constantinopolitanâ erat, qui dicebatur ὁ μέγας Παπίας, apud Codin. Curopalat. de offic. Constantinop. cap. 2. n. 22. ubi optimè notat Jacobus Goarus, quod Παπίας ille fuerit fidus & senior aulæ minister, cuius custodiæ palatum commissum, cuiusq; integritati claves noctu traditæ fuerint aslervandæ. Ex Clero autem utrum allectus ille semper fuerit, ipse subdubit Goarus. Videant alii, quibus ea res curæ cordique est. Nobis ad præsens nostrum negotium nihil facit.

XXVIII. Pergimus ad alia Episcoporum cognomina, ex quibus valde illustre fuit illud, quod *Apostoli* aliquando dicti fuerint. Etsi enim rariū fortè occurrat talis ejus vocabuli applicatio, ideo sc. quia Episcopi Apostolorum nomine se vocari rem suo merito majorem censebant, uti loquitur Rabanus Maurus in epist. ad Tit. cap. 1. in epistolis tamen Cypriani non unis vicibus ita usurpari, certum est, quia omnes Episcopos decet pro corpore totius Ecclesiæ, cuius per varias quasque provincias membra digesta sunt excubare, uti loquitur ipse Cyprianus epist. 30. Alii Episcopos vocabant, non Apostolos, sed molliore inflexione *Apostolicos*, eò scil. quod in locum Apostolorum illi successerunt, uti optimè declarat, & ex variis Scriptorum locis comprobat Hieronymus Bignonius ad *Marculfi* form. lib. 1. c. 2. Hinc igitur Apostolarus ab nonnullis autoribus pro Episcopatu ponitur. Sic enim Sidonius lib. 6. epist. 4. Lupum Episcopum Tricasinum alloquitur: *Præter officium, quod incomparabiliter eminenti Apostolati tuo debetur Sc.* Et lib. eod. epist. 7. Fontejum Episcopum Vaisonensem: *Ego quoq; ad Apostolatus tui notitiam pleniorum cum prærogatiâ domestica familiaritatis accedo.* Consimili modo Sedes Apostolica pro quâvis Ecclesiâ Episcopali sumpta fuit, uti constat ejusdem Sidonii testimonio lib. 6. epist. 1. Conf. Isaac Casaubon. exercitat. 14. n. 4.

XXIX. Sequentibus temporibus paulatim titulus ille ademptus Episcopis simplicibus peculiaris factus est metropolitanorum. Talem enim intellectum vult Albinus Alcuinus lib. de divinis offic. c. 36. quando ait: *Cum Episcopus civitatis fuerit defunctus, eligitur alius à Clero seu populo, fitq; decretum ab illis: Et veniunt ad Apostolicum (h. e. metropolitanum) cum suo electo deferente secum suggestionem, b. e. rogatorias literas, ut eis consecret Episcopum.*

Hujus

Hujus moris initia referenda esse putat Petrus de Marca lib. 6. de concord. sacerd. *S*imp. c. 3. n. 3. ad tempora Gregorii Turonensis.

XXX. Tandem verò ipsis etiam Metropolitanis ademptus est iste titulus, totaq; hujus nominis dignitas in Episcopum Romanum transfusa, ut jam ab aliquot seculis solus ille dicatur Apostolicus. Andr. Quercetan. in not. ad vit. Odilonis Abbat. Cluniac. p. 71. Hinc igitur suum ille officium appellat officium Apostolatus, in proœm. ad Clementinas, &c. porrò dist. 63. & quæ ad illum deferuntur, ad Apostolatus sui auditū pervenire dicit. c. 2. Extrav. Job. XXII. de concess. præbend. & familiari stylo Curiæ Romanæ literæ, decreta, mandata & præcepta ejus Apostolica dicuntur c. 1. X. de rescript. c. nulli dist. 19. & quicquid demum quocunque modo eum aut ejus facta concernit, id Apostolicum vocatur. E.g. Apostolica bulla, Apostolicum sigillum, nuncius Apostolicus, Apostolicum palatum, Camera Apostolica, Cancellaria Apostolica, Apostolicus legatus, indulgentia Apostolica, Apostolica autoritas, Apostolica dispensatio, Notarius & Protonotarius Apostolicus, & plura alia, quæ pasim occurunt.

XXXI. Si jam quæras, quo jure id nomen soli sibi tribuat Episcopus Romanus, vereor ego, ne à pristinâ Episcoporum nomenclaturâ multum ille aut ejus asseclæ deflectant. Docuit olim Thomas Stapletonus principior. doctr. l. 6. c. 7. *S* 15. defunctis Apostolis desiisse Apostolatum, & principium hoc ponit, Apostolatus nullam esse successionem. Idque Romæ etiam comprobatum est, uti patet ex annotat. in Cyprianum editum Romæ 1563. Impropiè igitur & ὀμωνύμως Episcopi olim dicti fuerunt Apostoli, quod successores Apostolorum cùm essent, sedes suas Apostolicis prædicti virtutibus regebant, uti loquitur Julianus Pomerius lib. 1. de vit. contemplativ. c. 25. Num verò iisdem virtutibus ornatos quoque inveniemus Pontifices Romanos? non sanè, non certè eos, quos describit Gilbertus Genebrardus lib. 4. Chronogr. his verbis: Per annos ferè CL. Pontifices circiter quinquaginta, à Johanne scil. VIII, qui Nicolao I. & Hadriano II. sanctis pontificibus successit, ad Leonem IX. usq; à virtute majorum prorsus defecerunt, apotactici apostaticive potius, quam APOSTOLICI - - E tanto Pontificum numero quinq; modo & satis tenuiter laudantur Martinus II. Agapetus II. Johannes XVII. Sergius IV. Gregorius VI. Ita scil. etiam laudat Franciscus Guicciardinus hist. Ital. lib. 16. Leonem X. & commendat eum, ut principem optimum, sed addit: Non loquor de bonitate APOSTOLICA, quoniam corrupto hoc seculo Paparum probata est bonitas, quando aliorum hominum non superat malignitatem. Audacter nimis & aperte vocabuli istius usum perstringit Georgius Wizelius in viâ Regiâ, dum ait: Est multo indignissimum, eam vocem APOSTOLICUM & APOSTOLICÆ in Curiâ omnibus plomatâs suis solitam, perq; banc audaciam adeoq; aper tam blasphemiam sacrilegos obtinere ab omnibus omnia, renitentibus, reclamanti bus Petro & Paulo, nisi forte illuc alius Petrus & Paulus regnet, quos nescit Ecclesia

fia Christi. Nihilominus tamen Bellarminus Cardinalis, qui & ipse in Chronologâ ad ann. 1029. agnoscit Pontifices Romanos à pietate veterum degenerasse, non veretur contra Stapletonum afferere, Papam aliquo modo in Apostolatu succedere, videlicet in totius mundi curâ. lib. 4. controv. q. 5. Episcopi illi, qui Apostoli olim dicti fuerunt, Apostolis quidem se successisse, persuasum habuerunt, in Apostolatu autem se successisse nunquam crediderunt. Quæ sit nota & proprius character Apostoli, exponit I. Caſaubonus diſt. exercit. 14. n. 4. plurimisq; autoritatibus & exemplis illustrat David Blondellus apol. de episc. & presbyt. ſect. 2. pag. 85. Nihil tale competeſſe Pontifici Romano certum eſt, quippe qui & doctrinam Apostolicam & vitæ genus Apostolicum prorsus deseruit. Totius mundi aut etiam universalis Ecclesiæ cura non aliter competit Pontifici Romano, ac Episcopo aliui cuicunque.

XXXII. Ex dictis patet, titulos istos, de quibus haſtenus egimus, Pontificis maximi, Papæ, Apostolici, olim communes pluribus, ſolis tandem Episcopis Romanis ſive per usurpationem, ſive per liberalem aliorum confeſſionem & convenientiam cefſiſſe. Nec patientur illi hodiè Episcopos vocari *monarchas*, aut regimē eorum *monarchiam*, quod nec averſatus eſt olim, nec abſtinuit ipſe Hilarius Papa hunc in modum ſcribens epift. 7. ad Leontium Episcopum. Miramur fraternitatem tuam ita Legis Catholicæ immemorem eſſe, ut queq; iniqua & contra Patrum noſtrorum ſtatuta in provinciā, que ad MONARCHIAM tuam pertinet, ſi ipſe aut non viſ, aut non potes, etiam nec nos silentii tui taciturnitate permittas corrigere &c. Episcopi ſcil. dioceſibus ſuis ita præerant olim, ut monarchæ, habebant, uti loquitur Cyprianus in Ecclesiæ administratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum, rationem aetū ſui Domino reddituri. Sicuti enim in Orbe universa plurima dantur imperia monarchica & plurimi principes ſummam potestatem obtinentes: ita in Ecclesiâ universâ plurimi constituti erant regentes, plurimi monarchæ, in hoc tamen à monarchis ſecularibus differentes, quod hi *autonegatrices* eſſent, illi vero caput spirituale, Christum nempe, haberent, cuius duetum ſequentur. Caput hoc ſi excipias, nemo quiskquam Epifcoporum & nec metropolitanus quidem in comprovincialium ſuorum Ecclesiis quicquam potestatis habebat, uti conſtat tum ex aliorum testimonioſi, tum in primis ex Ivonis Carnotensis epiftolâ 83. Quod ſi vero hodiè quis Epifcopum monarcham diceret, in eum ſine dubio graviter animadverteret Curia Romana.

XXXIII. Minus invidendum eſt nomen *Magiftri*, quod itidem Epifcopis aliquando tributum legitur. Occurrit iſtud apud Salvianum Mafiliensem epift. 8. scriptâ ad Eucherium Lugdunensem Epifcopum: *Et quia jam dispensatione divina atq; judicio etiam magistri Ecclesiæ eſſe cœperunt* (Salonium intelligit & Veranum Epifcopos, filios Eucherii, quorum Salvianus,

C

teſte

teste Gennadio, magister fuit) donet hoc benignissima D^El pietas, ut doctrina illorum fructus sit Ecclesiarum G^Tius. Quò pertinet, quod dicitur c. 1. dist. 48. & c. 4. dist. 61. miserum esse, fieri magistrum, qui nunquam fuit discipulus, h. e. ut qui heri erat catechumenus, hodiè fiat Episcopus. Est autem Magister, cui præcipua rerum cura incumbit, & qui magis, quam cæteri, diligentiam & sollicitudinem rebus, quibus præst, debet. Quin etiam ipsi magistratus per derivationem à magistris cognominantur. l. 57. ff. de V. S. Imo verò ipsi etiam quandoq; magistri dicuntur. Sic enim coniunguntur & pro iisdem habentur judices & magistri apud Agobardum Archiepiscopum Lugdun. lib. de divinis sententiis. Et ex historiâ officiorum domus Augustæ liquet, plurimos magistri titulo ornatos fuisse, magistrum nimirum officiorum, magistrum militum, magistrum scribariorum, magistrum census, magistrum admissionum, magistrum epistolarum, magistrum libellorum, & plures alios. Et quia adeo magistri vocabulum non dignitatis tantum nomen est, sed eum etiam designat, qui cuiuslibet disciplinæ præceptor est, ut ait Paulus d. l. 57. ff. de V. S. utroq; modo de Episcopo id accipi, dubium non est, non quidem, quod magistratus instar κατανεγένεται τῶν κλήρων debeat, sed quod debeat esse πάπα τῆς πομπᾶς, & ut in suâ dignitate sanctitatem colat, atque animum ostendat divinis virtutibus prædictum, suumq; gregem sermone & exemplo doceat.

XXXIV. Apud Philostorgium in historiâ Ecclesiasticâ pro Episcopo sœpè occurrit vocabulum Ephori. Sic enim de Synodo Nicænâ refert lib. 1. n. 9. ad eam Arianorum Ephororum catervam traductam fuisse. Et lib. 3. n. 4. ubi Legationem Constantii ad Homeritas describit, ait, Theophilum Indum, istius Legationis caput, Ephori dignitatem ab homodoxis accepisse. Clarius id patet ex lib. 9. n. 8. ubi de Eudoxio Episcopo Constantinopolitano verba faciens ait: Post bæc Nicænam profectus Episcopum ibi ordinatur, mortuus enim fuerat Eugenius ejus Ephorus, antequam finem negotio imponeret, vitam amisit Sc. Nempe Ephorus idem proflus significat, quod inspector, Superintendent, Præfector, adeoque proprium & genuinum est Episcopi synonymum. Tales inspectores apud Lacedæmonios erant illi specialiter ita dicti Ephori, de quibus Pausanias refert lib. 3. quod gravioribus præfecti fuerint negotiis. Atque illi eò tandem processerunt insolentia, ut non modo magistratus comprimerent & in disquisitionem vocarent, ac de vendendis emendisq; rebus cognoscerent, sed Regi, quid factò opus erat, præscriberent, quibusq; annis copiæ educendæ forent, quoque tempore equitatus aut gravis armatura & peditum acies promovendæ, enunciarent. Adeoque omnium rerum gerendarum censores erant. Vid. Alexand. ab Alexandro genial. dier. lib. 6. cap. 24. quem, si legeris, haud dissimilem tecum reputabis hodiernorum in Ecclesiâ Latinâ Ephororum seu Episcoporum μάνιπεργυμαστην. Conf. Aristoteles lib. 2. polit. cap. 9. Cornel. Nepos in vii. Pausania.

XXXV.

XXXV. De *Præfulis* vocabulo, cuius frequens admodum in epistolis Pontificum, quando de Episcopo sermo est, occurrit usus, prolixo nunc esse nolumus. Sufficit nosse, vocem eam à Christianis non esse inventam, sed à *τοῖς ἔξωθεν* acceptam. *Præfus* enim erat princeps Saliorum, sive Sacerdotum in Martis honorem constitutorum, quibus inde nomen, quia ancilia per Urbem gestantes salire solebant. Varro *lib. 4. de L.* L. Andr. Dom. Flocc. *de potest.* Rom. *lib. 1. c. 7.* Pompon. *Læt. de magistr.* Rom. *lib. 2. c. 8.* Hadrian. Turneb. *lib. 13. animadv. c. 8.* Atque hoc etiam Laurentius Valla observavit *lib. 5. elegant. cap. 65.* Est ergo vox ista derivata à *præfiliendo*, quod tri-podium aulpicaretur, sive primus esset inter saltatores, non quod *præfus*, aut à *præ* & *solum*, ut alii opinantur. Vid. Gerhardus Joh. Vosfius in *etymolog. Ling. Lat.* Quemadmodum igitur apud Romanos gentiles *Præfus* primus erat inter Salios: ita etiam in Ecclesiâ Christianâ deinceps, qui primus erat inter presbyteros, *præfus* dicebatur. Solebant enim gentilium vocabula apud Christianos sæpenumero in meliorem usum transformari.

XXXVI. Sunt & alia Episcoporum cognomina, sed ea pleraq; cum reliquis presbyteris communia, nec proinde multum ad institutum nostrum facient. Talia sunt, quando dicuntur *παπίκες*, *ἱερεῖς*, *πατέρες*, *πατερίστες*, *πατερίσται*, *ἀρχοντες*, *νυμφίας*, *νυμφάγων τῶν ψυχῶν*, *ἢ παριστό-ρες*, *καθαλή χειρὶς πληρώματος*, *pastores*, *sacerdotes*, *præcellentes*, *præpositi*, *præfetti*, *rectores*, *sponsi*, *animatorum ad sponsum deductores*, *ἢ despontatores*, *Christi complementi caput* *Sc.* Vid. David. Blondell. *apol. de episc.* *ἢ presbyt.* *scđ. 2. p. 64.* Inter ista verò maximè familiaria sunt Græcis, quando de Episcopis loquuntur, vocabula *πατερίστων* & *πατερίστων*. Unde & Latinis dicuntur *Præsidentes*, *Præsides*, *Præstites*, *Antistites*. Vel quod *præside-*ant & *antistinent* gregi suo, unde & *Pastores* dicuntur, vel quod primi sint in ordine clericali, & reliquis adeò *præsideant*. Quod si jam alia etiam Episcoporum epitheta, quibus vel officia vel qualitates eorum exprimuntur, speciatim explicanda essent, laborem aggredieremur & supervacaneum & inutilem planè. Quot enim sunt necessitates hominum, tot ferē nomina attributa inveniuntur Episcopis, nimiè quandoq; cum aslentatione, & vanitate insigni. Exemplum exhibit Joh. Limnæus in *addit. ad jur. publ. lib. 4. c. 6. tom. 4. pag. 426.*

XXXVII. Obiter noto, Episcopi nomen sæpe tribui Abbatibus, & inter se nomina ea commutari, quoties de collegio canonorum regularium sermo est. Abbatis enim nomen convenit tam *præpositis* Canonorum regularium, quam monachorum, ut monasterii nomen æquè pertineat ad Canonicos regulares atque ad monachos. Anton. Dadin. Alteserra *ad c. 21. X. de rescript.* Clerici namque regulares monachis esse perquam similes, nec nisi quoad habitum differre, tradit Franciscus Florens *ad c. 9. X. de vit.*

E honest. Cler. Idcirco, qui eis præfet, modo Abbas dicitur, modo Episcopus. Et sic in c. 9. X. de judic. Abbas Dulmensis in Angliâ dicitur Episcopus. Ecclesia enim cathedralis erat monasterium, cuius Canonici erant regulares Ordinis S. Benedicti, uti constat ex c. 1. Extravag. comm. de offic. jud. ord.

XXXVIII. Denique & hoc notandum, ab Episcopo dici *episcopium*, quod pro domo Episcopi usurpatum legitur in Concilio Meldenſic. 26, Sugerendum est etiam *E* ex divino mandato intimandum Regiae dignitati, ut episcopium, quod *domus Episcopi* appellatur, qualiscunq; sit in oculis Domini Episcopus, ipse tamen à Rege Regum Rex constitutus pro sanctitate ordinis Episcopalis -- venerabiliter ac reverenter introeat, *E* secundum sanctam prædecessorum consuetudinem, quando orationis *E* debitæ susceptionis gratia in transitu convenienti civitatem ingressus fuerit, habitaculis Episcopaliis reverenter inbabitet. Et post pauca: Sed *E* immunitates præcedentium Imperatorum ac Regum ab his modi longiori *E* diuturna convergatione *E* commemoratione Regum *E* quorumcunq; potentium ac secularium personarum in Episcopio prohibent. Istud Episcopium si ve domum Episcopi Ecclesiæ vicinam esse debere, constitutum fuit in Concilio Carthaginensi IV. c. 14. Ut Episcopus non longè ab Ecclesiâ hospitium habeat. Hospitium dicitur, secundum consuetudinem istius temporis, quod incidit in annum annum Christi CCCXCVIII. cum sequioribus seculis amplissima peristyria, Regum palatia & laxitate & dignitate æquantia, recipiendisq; Regibus idonea Episcopi inhabitaverint.

C A P . II . *De Episcopalis officii institutione.*

I.

Episcopi vocabulum idem omnino denotare dixi, quod Superintendens aut Inspector. Et hæc interpretatio jam satis declarat Episcopi officium, in quo istud consistat. Quia enim Ecclesiæ inspactor esse debet, consequens hinc est, ad ipsius curam pertinere totius Ecclesiæ salutem & incolumentem. Quæ ipsa aliter obtineri non potest, nisi per media à DEO ordinata & Episcopali officio injuncta. Debet igitur Episcopus prædicare verbum DEI, errantes docere, peccantes corripere, segnes horrari, anxios consolari, infirmos erigere, contradicentibus resistere, falsam doctrinam taxare, & damnare, vitia morum arguere, sacramenta divinitus instituta dispensare, peccata remittere & retinere, esse exemplar gregis, orare pro Ecclesia, & privatim, & publicas preces Ecclesiæ præire, pauperum curam agere, contumaces publicè excommunicare & vicissim refi-

resipiscentes recipere, & Ecclesiæ reconciliare, instituere ministros Ecclesiæ juxta Pauli præscriptum, constituere cum consensu Ecclesiæ ritus & ceremonias, quæ non pugnant cum verbo DEI, nec onerent conscientias, sed faciant ad ordinem, gravitatem, decorum, tranquillitatem, ædificationem &c. Quæ omnia aut maximam eorum partem commodius alibi explicabimus.

II. Unde vero originem hujus potestatis arcessemus? Natura enim omnes homines fecit pares, neque cuiquam præcipui quid dedit, quod potestatem talem ex nativitate connatam argueret. Necesse igitur est, ut aliunde impetretur. De ἐξοικείωσις nobis sermo est & potestate morali, non de physicâ, quæ δύναμις alias dici solet. Potest enim aliquis tali ingenio & prudentiâ instructus esse, ut & docere commode populum & alios actus ad officium Episcopale spectantes expedire optimè queat; id ei tamen propter ἐξοικείωσις deficientem non licet. Nec ergo statuere licet, singulis Ecclesiæ membris illam potestatem competere, cum utique certo tantum hominum ordini data sit, & illis solis, qui per vocationem & ordinationem ab reliquo cœtu quasi separati sunt. Atque ista separatio omnino necessaria est ex præcepto divino, quod extat Act. XIII, 2. Ἀφορίστη δῆ μοι. Separate mibi Barnabam & Saulum ad opus, ad quos eos advocavi. Separatio igitur illa per vocationem fieri solet, & deinceps per superadditam ordinacionem, quæ tamen, ut vocatio, æquè necessaria non est.

III. Etsi autem separatio talis propter præceptum divinum omitti nullo modo posit, separatio tamen ipsa causa efficiens non est potestatis spiritualis, quam Episcopi votati & ordinati consequuntur. Imò vero, etsi quis ab Apostolo Episcopus constitutus fuerit, potestatem tamen illam non accipit ab Apostolo. Et ut maximè concedamus, conferri & augeri in ordinatione dona ordinando necessaria, quatenus piæ preces presbyterii & Ecclesiæ impetrant augentq; dona, quibus eget ordinatus ad officii partes rectè & cum fructu obeundas, nondum tamen inde conficitur, ab ordinatione illa potestatem Episcopalem, quæ, uti in sequentibus audiemus, tota spiritualis est, proficiisci. Spiritualis autem & supernaturalis cum sit, ab hominibus illam donari, aut conferri impossibile est, cum in spiritualibus nihil omnino præstare queat homo, nec ea in suâ habeat potestate. Restat igitur, ut statuamus, à DÉO solo eam immediate conferri, sive jam immediate quis ab ipso DÉO etiam vocatus fuerit, sive mediate ab Ecclesiâ. Deus enim immediate semper, sicut Apostolis, ita etiam Episcopis per Apostolos missis, aut ab Ecclesiâ votatis, Apostolicam & Episcopalem tradidit & adhuc tradit potestatem. Apostoli & Ecclesia ministros quidem eligit & destinat officio suo, potestatem tamen illam nec Apostoli tribuerunt olim, nec Ecclesia adhuc confert, sed DÉUS, qui ordinariē his assistit electionibus & separationibus. Positâ igitur externâ illâ Ecclesiæ vocatione,

C 3

statim

Statim vocatis ordinariè confertur à DEO tota & integra potestas Episcopalis. Vid. Marcus Anton. de Dominis de Rep. Eccles. lib. 2. c. 5.

IV. In hunc sensum loquitur Paulus *Ephes. IV, 11. Is* (Christus) dedit alios quidem *Apostolos*: alios verò *Prophetas*: alios autem *Evangelistas*, alios autem *Pastores* & *Doctores*. Quatuor hīc memorāntur genera eorum, quorum commune officium fuit, homines à tenebris ad lucem convertere, & Christo Domino Ecclesiam sive cōctum fidelium colligere. Nimirum Servator noster initio sui in his terris ministerii duodecim sibi speciatim adscivit comites, hosque ad prædicandum Evangelium & doctrinam cœlestem variis miraculis confirmandam primos ablegavit. Atque his nomen *Apostolorum ἐξαρτῶν* in S. Literis attributum est. Deinde Ecclesiæ dati sunt *Prophetæ*, qui vel revelationes habebant de futuris, vel linguas & scripturas interpretabantur. Tertio loco referuntur *Evangelistæ*, quos Apostoli adsciebant, ut unā cum ipsis aetorum jussu obirent provincias, & ad Ecclesias condendas suam conferrent operam, atque acceptam à Christo disciplinam nationibus communicarent. Præter istos erant *Pastores*, qui ad certam aliquam Ecclesiam erant destinati, ut ibi Evangelium docerent, & Sacra menta administrarent. Tandem in sacro isto cōctu rese rūntur *Doctores*, quibus certæ alicuius Ecclesiæ cura præcipua non erat demandata, nihilominus tamen doctrinam verbi proponebant & interpretabantur, ad modum catechistarum rudimenta Christianæ fidei proponentium. Et de his omnibus dicitur, quod dati sint à Christo, h. e. quod potestatem suam diuinitus concessam habeant.

V. Consimili modo idem Paulus convocatos Ecclesiæ Ephesinæ presbyteros hunc in modum alloquitur *Ad. XX, 28. Attende vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos &c.* Iste verò presbyteri non erant, ut Apostoli, immediate vocati, sed vel à Paulo vel à Timotheo constituti, & tamen à Spiritu S. eos positos dicit Paulus ipse. Sive ergò immediate quis vocatus fuerit, sive mediately, soli DEO acceptam referendam habet suam potestatem & *ἐξοίκια* Ecclesiasticam. Immediata namque & mediata vocatio non differunt causâ efficiente, cum utraque sit à DEO, sed tantum modo. Illa siquidem fit per ipsum DEUM, hæc autem per Ecclesiam à DEO. Et propterea verissimum est, à Christo per spiritum suum omnem Ecclesiasticam potestatem in promissione clavum inclusam & Apostolis omnibus & eorum successoribus omnibus tradi. Quòd pertinet formula ab Episcopis olim in literis suis usitata, qua se Episcopos DEI GRATIA scribebant, uti ex quamplurimis Petri Blesensis epistolis patet.

VI. Vulgare alias tūm inter Theologos tūm inter Canonistas est pronunciatum, Episcopos esse successores Apostolorum, sive Episcopos in Ecclesia locum tenere Apostolorum. Sæpè igitur illi, ut capite antecedente dixi, Apostolorum nomine veniunt. Vicissim verò etiam Apostoli dicti sæpius-

Sæpiusculè sunt Episcopi, eò quod Episcopale munus Apostolis suo modo competiisse dici potest. Fuit enim, uti Petrus explicat *Act. I, 20.* Apostoli Judæ functio *Diaconum.* Et Paulum Apostolum pasim Episcopum vocat Hilarius. Sic & Cyprianus ait *lib. 3. epist. 9.* *Meminisse autem diaconi debent, quoniam Apostolos i.e. episcopos & presbyteros Dominus elegit: diaconos autem post ascensum Domini in cælum Apostoli sibi constituerunt episcopatus sui & Ecclesiæ ministros, apud Gratian. c. Dominus, dist. 93.* Pari modo Epiphanius *bref. 27.* Romæ Petrum & Paulum primos fuisse ait & Apostolos & Episcopos. Et Jacobum Domini fratrem Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopum à Collegis ordinatum constanter afferunt Doctores veteres.

VII. At verò probè hic observandum est, Apostolorum & primariorum & primarij succenturiatorum duplēcēm fuisse potestate, ordinariam unam, quæ Episcopalis dici potest; extraordinariam alteram, in quâ *εξαιρέτος* Apostoli murus consistit. Illius functionis sunt Evangelium prædicare, sacramenta administrare, omnia ad *ιερατεῖα* & *εὐηγγελίων* spectantia disponere, Christi gregem regere & pascere, fidei controversias ex verbo DEI decidere & definire, jurisdictionem Ecclesiasticam exercere, & ejusmodi alia. Hujus verò munia sunt, Ecclesiæ ubiq; terrarum fundare, fundatas infallibili spiritu ductu pascere, fidei canonem consignare, miraculis doctrinam traditam confirmare &c. Hac distinctione observatâ facilè nunc licet discernere, quæ Apostolorum functiones ad Episcopos pertineant, & in quibus facta sit ista successio. Nimirum Apostolis, in quantum ipsi erant Episcopi, succedunt Episcopi, non in quantum erant Apostoli: hoc est, succedunt eis in totâ regiminis Ecclesiastici ministeriali potestate ordinariâ; non tamen in eo, ut sint testes vitæ, doctrinæ, & resurrectionis Jesu Christi Domini nostri & quidem testes oculati, quod requisitum exigit Petrus *Act. I, 21.22.* neq; in eo, quod à Christo Domino immediate electi & missi sunt, neq; in multis gratiis & prærogatis, ut in copiâ spiritus, in doctrinæ infallibilitate, in conformitate in gratiâ, in plenitudine scientiæ, in dono linguarum & miraculorum &c. In his enim Apostolorum propriis axiomatibus nulla datur in Ecclesiâ successio ordinaria. In reliquâ autem potestate & officio ita successerunt Episcopi, ut nihilominus præscriptas ab Apostolis regulas observare teneantur. Successerunt scil. in locum aut vicem Apostolorum, sed non in id, quod formaliter Apostolos faciebat. Vid. Marc. Ant. de Dominis de Rep. Eccles. lib. 2. c. 2. n. 1. seqq.

IX. Eleganter Claudius Espencæus Theologus Parisiensis in *1. Tim. I. vers. 1.* Differt Apostolus ab Episcopo, quod ille immediate a Christo vocatur, certò habet Spiritum S. ubiq; & in omnibus Ecclesiis docet, juxta illud Pauli *2. Cor. II. 8.* *Ullitudo omnium Ecclesiæ.* Unde & Chrysostomus editionis secunde in *Matthæum homil. 19.* Apostolos vocat omnium Ecclesiæ Doctores. Hic, scil.

Epi-

Episcopus, per homines vocatur, certo loco praest, Spiritum S. non continuò nec necessariò habet, dictatam ab Apostolis doctrinam accipere debet, non etiam novum doctrine genus invehere. Quo etiam modo in populo Israel Prophetæ Sacerdotibus antecellebant. Theodoretus ad caput hujus epist. 3. Qui nunc, ait, vocantur Episcopi, Apostolos olim nominabant, sic enim Apostoli erant Philippensium Epaphroditus, Cretenium Titus, Asianorum Timotheus, & Antiochenus ab Hierosolymis scriperunt Apostoli & Presbyteri, Act. XV. Procedente autem tempore Apostolatus nomine Iesu, qui veri erant Apostoli relicto, Episcopatus appellationem Iesu, qui olim Apostoli appellabantur, imposuerunt &c.

I X. Erant scilicet Apostoli ab ipso Domino nullo cuiusquam interventu vocati, & ad omnes gentes legati: claram veritatis lucem habebant & præsentem atque singularem Spiritus S. vim, quam non solum variante loquelâ & diversis linguis *τὰ μεταλέια & Θεος* enunciabant, ægros sanabant, miracula edebant, res penitus abditas & occultas penetrabant atque interpretabantur, sed etiam ministerio suo a DEO impetrabant, ut hæc eadem dona per manus impositionem conferrentur aliis, qui ad perfectionem Apostolicam quam proximè accederent. His novis & admirandis Spiritus S. dotibus in principio nascentis Ecclesiæ opus fuit, ad eos, qui nihil dum de Christo audierant, convertendos, & fideles, quibus inter adversitates multæ & maximæ tentationes oboriri quotidie solebant, in fide confirmandos, tum etiam, ut idonei Pastores Ecclesiæ a se fundatis præfici possent. Ecclesiæ autem semel fundatis & in fide Christianâ probè jam informatis, nihil horum amplius necessarium erat. Ministerium Catholicum, quod Apostolorum erat, cessabat, postquam singulis Ecclesiæ dati fuerant Episcopi. Miracula jam ante facta & in memoriam ac posteritatem prominentia sufficiens erat testimonium doctrinæ coelestis, & perpetuum. Donum linguarum, donum sanationum, donum prophetiarum, atque universim omnes gratiarum gratis datus, quas vocant, abunde jam sele exseruerant, & metuendum erat, ne continua multiplicatione vilescerent. Illæ vero partes Apostolici muneris, quæ versantur in docendo, baptizando, cœnâ Domini administrando, potestate clavium, imponendis denique manibus ad Pastores & presbyteros ordinandos, manserunt in Ecclesiâ, neque cessare unquam poterunt, siquidem Ecclesia subsistere debeat. Thom. Bilson. *de perpet. Eccles. Christi gubernat. cap. 9.*

X. Stante hâc explicatione possumus quidem in Apostolorum personis τὸ Apostolicum, & τὸ Episcopale discernere, sed ita, ut eadem non separemus ab invicem, sed utraque eis, ut Apostolis, vindicemus. Vulgari enim significatione Episcopus eum denotat, cuius curæ & fidei particularis aliqua Ecclesia committitur, quales extiterunt Ephesini & Philippenses Episcopi, Act. XX, 28. Philipp. I, 1. & illi quos Christus angelos appellat Ecclesiarum Apocal. I, 20. Sed Apostolus ad annunciatum omnibus gentibus,

bus, orbisque terrae nationibus Evangelium mittebatur. Quod si igitur Apostolus tale aliquod munus, quod Episcoporum nunc est, sustinebat aut expediebat, non faciebat id, ut Episcopus illius loci, sed ut Apostolus; Et Episcopalia illa munera in Apostolico continebantur. Poterat igitur Apostolus sine praetudicio Apostolatus sui aliquam particularem Ecclesiam regere & in eam residere, vel ad tempus, quod plerique Apostoli fuerunt, vel toto vitae tempore, quod Jacobum Hierosolymis fecisse volunt historiae, tota tamen, ista residentia, quam vocant, intelligenda est cum autoritate & plenitudine Apostolicâ. Vid. Andr. Rivet. in *Cathol. Orthodox. quest. 22.* Joh. Rainold. in *colloq. cum Hart. cap. 6. sect. 3.*

XI. Parte hinc, quomodo intelligi debeat, quod vulgo dici solet, Episcopos esse Apostolorum successores. Hoc tamen in utrisque manet firmum & immotum, quod potestas eorum, quam Ecclesiam Christi regunt, & salutem ejus procurant, immediatè eis ab ipso DEO conferatur. Nec alius hodiè est potestatis istius autor. Quamvis enim particularis cuiusque Ecclesiae coetus, vel cui jus patronatus ex consuetudine recepta competit, applicet individuum aliquod a se electum officio divinitus instituto; nequam tamen propterea confert potestatem istam, ac si ipse potestatem istam penes se haberet, & in gremio suo possideret. Nec enim unquam potestas illa communicata est universitati isti, nec propterea dici potest, quod in universitate ista radicaliter haereat; sed applicat tantum personam officio & potestati illi jam ante existenti, & a DEO promissa. Inde ministri novi Testamenti, Ministri Spiritus dicuntur 2. Cor. III, 6. quia Spiritus S. est ministerii autor & conservator, instruens ministros donis necessariis. Nec enim potest ex humanis viribus potestas talis supernaturalis, & quæ tendit ad finem supernaturalem derivari.

XII. Hic vero valde nobis adversantur Canonistæ communiter omnes, quibus grave est a nobis audire, & eandem fuisse Apostolorum omnium prærogativam, & potestatem Episcopis non minus immediate a I. EO hodiè conferri, atque olim collata fuisse Apostolis. Nec tamen unum & idem sentiunt omnes. De Apostolis docet Didacus Covarruvias *ad c. peccatum de reg. jur. in 6. part. 2. §. 9. n. 5.* potestatem a Christo Jesu quoad spiritualia datam fuisse Petro ut Principi, & ceteris Apostolis, immediate quidem, sed tamen subordinatam dispositioni Petri Apostolorum principis, atque ita aliorum Apostolorum potestatem hac ex parte dici derivatam fuisse a Petro, eoque mediatore datam a Christo Jesu. Deinde addit, fatendum esse, Apostolos ipsos a Christo Jesu creatos fuisse Episcopos immediatè cum jurisdictionis & ordinis potestate. At vero diversum hic sentit Augustinus Barbola *de offic. Episcopi part. 1. tit. 1. cap. 1. n. 18.* his verbis: *Licet omnes Apostolos fecerit pares respectu consecrationis & ordinis, non tamen eos aequales fecit respectu jurisdictionis: in illa enim Petrus præfuit omnibus.* Mox

D

vero

vero quasi oblitus eorum, quae dixerat sub num. 31. haec ponit verba: Fatum est, omnes Apostolos immediate habuisse a Christo Domino potestatem, que quidem licet ex ipsa Christi institutione esset Petri ut capitis & Ordinarii eorum etiam Principis & Pastoris dispositioni subordinata, ad hoc, ut Concilium convocaret, & alia obiret Presidentis officia, tamen hujusmodi potestas sic ad Petrum subordinata Apostolis a Christo Domino concessa in nihil secundum se erat potestari ejusdem Petri inequalis, sed potius absq; ulla limitatione equalis in totum Orbem & ad omnes altiss, quos Petrus agere poterat, idq; non solum quoad ordinem & dignitatem consecrationis, ut supra dicebamus, sed etiam quoad jurisdictionem & potestatem administrandi, cum ejus etiam functiones sint de essentia munieris Apostolici &c. In sequentibus tamen hanc statuit differentiam, quod Apostolorum reliquorum jurisdictionis personalis fuerit, & per eorum obitum extinta sit; Petri autem jurisdictione perpetuo superesse & manere in successoribus debuerit.

XIII. Eandem ferè sententiam proponit & tuetur Theophilus Raynandus Jesuita in libro de coron. aur. sup. mitr. Pontif. pag. 6. his verbis: Omnes Apostolos fuisse dignitate pares, & ius presidentium per totum Orbem tenuisse affirmant Patres. Displacet autem nonnullis, qui volunt, Apostolos reliquos accepisse jurisdictionem a S. Petro. Hoc puto falsum, lubensq; agnosco, omnes Apostolos jurisdictionem a Christo immediate accepisse. Et tamen addo, S. Petrum speciali modo claves accepisse, & prerogativa jurisdictionis esse potitum. Poterat aliis precipere, & eos, si res ferret, buc aut illuc mittere. Idem omnium curam habebat. Solus poterat universale concilium indicere. Solus poterat de universali ordine aliquid statuere, & leges universales sciscere, aliorum vero Apostolorum leges mutare aut revocare. Et quod caput est, ejus solus potestas universalis erat ordinaria, ceterorum autem non nisi delegata & cum ipsis extinguedenda. Ita ut sicut potestas Vicarii generalis idem cum Episcopo tribunal sortiti, tametsi amplitudine extensiva, sive quoad objecta & loca potest esse par auctoritati Episcopali, salvâ subiectione ad Episcopum: ita Apostoli omnes, tametsi Petro aequales honore, quoad amplitudinem extensivam & fontem jurisdictionis personalis universalis, tamen in ea ipsa aequali autoritate Petro suberant, non quidem, ut ejus Vicarii (nam in hoc deficit analogia) sed quatenus ei subordinati, prout capiti supremo Ecclesiae, ipsorumq; etiam Apostolorum. Et pag. 33. hanc facit inter Apostolos & Apostolicas potestates distinctionem: Potestas Apostolica in solo S. Petro fuit ordinaria, & cum jure transmissionis ad Successores; in reliquis autem Apostolis potestas Apostolica & universalis, etiamsi non fuit delegata, quia non manaverat ab ordinario Pastore S. Petro, sed Christo, fuit tamen tantum personalis & absq; jure transfusionis ad posteros.

XIV. Sextus Senensis lib. 6. bibl. annot. 269. sub aliis verborum involucris distinctionem concipit. Cum enim primatui Episcopi Romani obstatre videret plurima Hieronymi testimonia, hac ratione nodum soluisse se putat.

putat. Sciendum est, inquit, triplicem in Petro suiss potestatem, nimurum Ordinis, Apostolatus, ac Regni. Si Apostolatum spectemus, hoc est, docendi officium, & Evangelicae prædicationis curam, recte dixit Hieronymus in comm. ad Gal. Paulum non esse Petro inferiorem, quia Paulus ad Evangelicum munus non à Petro, sed à Deo, aquè ut Petrus, electus est, ut ipse evangelizaret in gentibus, sicut ille in Iudeis. At si potestatem inspicimus, quæ in Ordinis Sacramento confertur, scitè in Jovinianum pronunciavit Hieronymus, omnes Apostolos ex aquo claves accepisse, & Ecclesiæ fundamenta solidasse. Verissime etiam ad Evagrium scripsit, omnes Episcopos pares esse, quia omnes Apostoli in eodem Sacerdotii ordine, & in eādem Sacramenti præstantiâ pares erant: & omnes Episcopi eorum successores, sive Eugubii, sive Tanis, sive cuiuslibet vilioris oppiduli aquales sunt Romanae Urbis Episcopo, Sacramenti scil. ordine, & spirituali ejusdem ordinis potestate. Demum si de potestate Regni, deq; illâ primariâ super omnes Episcopos & Ecclesiæ autoritate sit sermo, optimè contra Jovinianum, & contra Luciferianos, & alibi scripsit Hieronymus, unum Petrum inter duodecim Apostolos electum & caput omnium constitutum, ut ejus supremâ autoritate & eminentiori præceteris potestate, contentiones Ecclesiæ dirimantur, & omnis schismatum occasio tollatur.

XV. Alii aliter sententiam suam exponunt. Universi autem & singuli id agunt & intendunt maximè, ut monarchiæ & primati Pontificis Romani ne detrahant, neve detrimentum patiatur Respublica Romanorum, ut nunc est, Ecclesiastica. Postquam enim placuit Episcopi Romani potestatem εξ αρχήν facere, ejusq; Episcopatum in universas totius Orbis terrarum Ecclesiæ extendere, inter ipsos etiam Apostolos subjectionem & imperium statuere oportuit, ne si paritas inter eos concederetur, nulla Pontifici Romano maneret prærogativa. At verò nulla unquam inter Apostolos tantafuit inæqualitas, quanta hodiè in Ecclesiâ Latina fingitur. Ordinem fuisse inter eos, apud omnes antiquos in confessu est. Sed ex ordine & εὐναξίᾳ non licet illico principatum aut monarchiam inferre. Observarunt etiam patres nonnulli differentias alias, quibus Apostoli utcumque inæquales dici possent; non tamen illas ex parte potestatis & iurisdictionis, sed ex quibusdam personalibus prærogativis & virtutibus, absq; ullâ inter ipsos verâ & propriâ subjectione, utilatiū explicat Marcus Antonius de Dominis de Rep. Eccles. lib. 1. c. 5. n. 7. Dicendum eā de re prolixius erit tūm, quando de primatu Episcopi Romani nobis agendum fuerit.

XVI. Is idem Pontificis Romani principatus, quem statuunt, facit, ut positâ inter Apostolos subjectione, & unius imperio, uti ex eorum sententiâ exposui, etiam inter successores Apostolorum, quos Episcopos esse dixi, quoad collationem potestatis, insigne asseratur discrimen. Quâ de re Didaci Covarruviae d. l. verba hæc sunt: Observandum, sic datam fuisse immediatè à Christo Jesu summam potestatem Petro, ut & ab ipso Redemptore nostro Petri Successoribus immediatè eadem potestas & idem primatus datum esse ex Catholicâ

tholica doctrinā constet. Ipsiis verò Apostolis sic data fuit à Christo Iesu potestas ordinis ac jurisdictionis ipsi Petro Principi summo subdita, ut in Episcopos Apostolorum Successores jurisdictionis potestas minimè transmissa ex immediata Christi concessione censeatur, sed ea à summo Pontifice, Christi Vicario, derivata ex ejus concessione ipsis Episcopis competit, ac tandem Romano Pontifici subdita sit. -- Ex Christi institutione ab ipsis Vicario summo Pontifice Episcopi immediate instituuntur cum potestate jurisdictionis, quæ ab ipso Pontifice, ut fonte in ipsis derivatur emanat.

XVII. Haud paulo clarius ista edifferit Augustinus Barbosa d. l. dum in hunc modum philosophatur: *Inter Romanum Pontificem & ceteros Episcopos hoc differt, quod jurisdictione Romani Pontificis in totam Ecclesiam est jure divino à Christo Domino instituta, & ab eo immediate accepta, ceterorum vero Episcoporum omnium jurisdictione est quidem à Christo Domino instituta, sed à Romano Pontifice tanquam Christi Vicario, & summo ac primo totius Ecclesiae Pastore suscepta, & ab eo veluti è fonte Christi præcepto in illos derivata.* -- Ratio autem, cur jurisdictione cuiuslibet Romani Pontificis dicatur accepta proximè à Christo & non jurisdictione alterius alicujus Episcopi, illa est, quia, cum Rom. Pontifex eligitur, ei jurisdictionem Electores non dant, quia nemo dat, quod non habet; sed dat ei immediate Christus Dominus, supposita eâ conditione electionis legitime, cum electio tantum sit veluti conditio, sine qua Romanus Pontifex à DEO jurisdictionem non acciperet; Sed cum aliquis Episcopus eligitur & confirmatur à Romano Pontifice vel ab alio auctoritate ipsis, electio & confirmatio non est veluti conditio, sine qua Episcopus jurisdictionem à DEO non acciperet, sed est id, per quod Romanus Pontifex dat ei jurisdictionem in ea provincia, cui præficit. At verò hoc est in quæstione, cur electio Episcopi non æquè sit veluti conditio, prout est electio Pontificis Romani, ut DEUS immediate det jurisdictionem. Et ergò principium petit Barbosa, nec differentiam satis congruè exponit, cur diversum obtineat in successoribus Episcopi Romani, quod non obtineat in successoribus aliorum Episcoporum. Sed audiamus eum porrò: *Quamvis igitur Episcopalis dignitas, ejusq; jurisdictione ut ordinaria & ex officio considerata, saltem in generali, sit instituta à Christo Domino ad effectum, ut Petrus & Successores Ecclesiam ejus per Episcopos ordinarent, - - tamen si Episcopalis jurisdictione, sicut etiam munus ipsum Episcopale, sumatur in particulari, prout scil. in hoc vel illo subjecto, respectu horum vel illorum subditorum collocatur, non est de jure divino, nec ab eo habet certos jurisdictionis gradus, qui augeri vel minui nequeat, sed totum pendet à summo Pontifice, per quem idem munus immediate habetur in particulari, & quo ipsius jurisdictione immediate conceditur & derivatur.*

XVIII. Theophili Raynandi verba supra adduximus. Is verò adhuc longius procedit, & Pontifici suo non in Episcopos tantum universos & singulos Apostolorum ceterorum successores, sed in ipsis etiam Apostolos Petri collegas, potestatem tribuit. Sic enim loquitur pag. 8. *Pontifices, qui*

qui S. Petro successerunt, idem ius habuerunt in reliquos Apostolos (quamdiu aliqui eorum fuerunt superstites) quod S. Petrus habuit. Et porro: Omnes S. Petri Successores par cum eo ius habuerunt in decreta ab Apostolis edita. Unde poterant & etiamnum possunt, si res ferat, mutare & abrogare eorum decreta. Ut videmus fecisse S. Victorem Papam, qui praeceptum Johannis Evangelistæ circa celebrationem paschatos abrogavit. Quin imo, quia potestas posteriorum Pontificum, in qua succedunt S. Petro, monavit à Christo, nec est subordinata potestati S. Petri, sed par & equalis, eque potuerunt, ac etiamnum possunt S. Petri decreta mutare, ac ceterorum Apostolorum &c. Euge! quam bellè nunc se habet monarchia Ecclesiastica, dum non Episcopis tantum, sed ipsis etiam Apostolis, immò vero ipso etiam Petro superiorem habere licet Pontificem Romanum. Dicendum ea de re erit infra prolixius.

XIX. Ut telam incepitam pertexam, operæ pretium erit ex Petri Suavis hist. lib. 7. hic recensere, quam diverse de institutione Episcoporum & origine potestatis Episcopalis disceptatum fuerit in Concilio Tridentino. Ansam dederat Johannes Fonseca, Theologus Archiepiscopi Granatensis, qui longius excurrens, hanc materiam ex professo tractaverat, asserens, Episcopos à Christo institutos. Neq; verò rectè consequi à Christo institutos non esse, nec ab ipso autoritatem habere, propterea quod confirmantur aut creantur à Papâ, siquidem & Papam à Cardinalibus creari, & tamen autoritatem habere à Christo. Et presbyteros creari ab Episcopo Ordinatore, verùm autoritatem recipere à DEO. Similiter Episcopos à Papa accipere dicæsin, autoritatem verò à Christo. Hunc excipiens, frementibus licet & indignantibus nonnullis, F. Antonius de Grosseto Dominicanus constanter assertebat, necessario declarandum esse, Episcopos officii sui functionem ab hominibus non habere. Nam si ita esset, mercenarios fore, quorum oves non sunt proprie; tum, ubi ei, à quo hac cura demandata, satisfactum fuerit, nihil ipsis ultra cogitandum. Atque D. Paulum demonstrare, obligationem regendi populum Christianum esse divinam & à Spiritu S. impositam. -- Esse Papam caput Ecclesie ministeriale, quo mediaente Christus principale caput operatur, & cui opus adscribendum, dicendumq; cum S. Paulo, Spiritum S. gregi pascendo preponere. Nunquam opus adscribi instrumento, aut ministro, sed semper agenti principali, -- nec aliter Christo soli adscribendam institutionem pastorum & doctorum, qui sunt Episcopi, quam ipsorum Apostolorum & Evangelistarum.

XX. Hæc quidem non male omnia, non tamen ad palatum eorum, qui summo opere intendebant, ut monarchiam papalem stabilirent. Illi igitur, ut contrariam sententiam defenderent, aliis, quorum dicendi partes adhuc reliquæ erant, stimulum & quasi quasdam verborum faces admovabant. Quod igitur deinceps factum sit, his verbis refert Suavis: Proximo die duo Theologi contendebant, Episcoporum autoritatem certam quidem, sed si que, atur, quo jure, id verò & difficile ad decidendum, & si quando deter-

minabitur, nullo usui futurum, adeoq; relinquendum. Alii duo tenebant, juri esse pontificii. F. Simon Florentinus Theologus Seripandi differuit secundum opinionem Cajetani & Catharini ad hanc formulam; Episcopatum esse de jure divino institutum à Christo ad regimen Ecclesie. Ab ipso omnes Apostolos institutos Episcopos; sed illam institutionem fuisse personalem, & cum eorum quolibet interitaram. Unum ex iis constitutum, qui in perpetuum duraturus esset in Ecclesia, qui fuit Petrus. - Proinde cum queritur, an aliquis sit Episcopus jure divino? respondendum, quod sic, nempe unicus successor ille Petri. De cetero Episcopatum esse de jure divino, ita ut ne in ipsis Papæ potestate sit efficere, ut non sint Episcopi in Ecclesia; at singulos quosq; Episcopos esse de jure Pontificio. Unde fit, ut ipse eos possit creare, transferre, ipsorumq; diœceses restringere, aut extenderre, majorem aut minorem ipsis autoritatem conferre, suspendere etiam aut derivare; quam potestatem in eo, quod est de jure divino, non habet. Siquidem non potest à Sacerdote auferre autoritatem consecrandi, propterea quod eam habet à Christo; at ab Episcopo omnem jurisdictionem potest auferre, haud aliam ob causam, quam, quia eam ab ipso met habet. Si quis aliter dixerit, non posse defendi, Ecclesie regimen esse perfectissimum, id est, Monarchicum &c.

XXI. Universa tamen ista argumenta tanti valoris non erant, ut persuaderi possent οἱ ἐξ ἑαυτῶν. Sed cùm in congregacione Prælatorum idem argumentum tractaretur, graviter & enucleatè priorem opinionem propugnavit Archiepiscopus Granatensis, hancq; dixit Ecclesiæ Catholicae constantem esse sententiam, ordines dari per manum ministrorum, at potestatem conferri à DEO. Et quanquam Jesuitarum Generalis Lainezius prolixâ admodum oratione in contrarium dissenseret, induci tamen haudquaquam poterat Granatensis, & nec reliqui Hispani, imò nec Galli quidem, qui fervente eâ quæstione supervenerant, ut sententiam mutarent. Nec ulla sanè tantâ cum contentione, tantoq; cum tumultu & per tot dissensiones atque comperendinationes agitata fuit controversia, atque ipsa hæc, quæ est de institutione Episcoporum. Rationem exponit ipse Suavis, dum ait: *Vix dum finita erat secunda congregatio, cum ex sententiis pronunciatis & rationibus adhibitis facile licet serò Legati animadvertebant, quantum momenti res esset, quidq; ex eâ consequeretur. Inde enim colligebant, claves non fuisse soli Petro datas, & Concilium esse supra Papam; siebantq; Episcopi & equales Pontifici, cui nihil relinquebatur, nisi quædam pre aliis prærogativa. Dignitatem Cardinalitiam Episcopis superiorem tolli necesse erat, & relinquebantur puri presbyteri aut diaconi. Tum autem ex ea determinatione necessario consequbetur ad residentiam obligatio; jam actum erat de curia; præventionibus & reservationibus valedicebatur; beneficiorum quoq; collatio trahebatur ad Episcopos &c.*

XXII. Sic igitur cedere oportuit veritatem monarchiæ papali noviter fabricatæ, quæ alias salva esse non potuerat. Cumq; metuendum sibi vide-

videret Pontifex, ne per pluralitatem suffragiorum autoritate suâ excideret, quotidie propemodum novum aliquem ex Italiam suis praelatum ad concilium alegavit, ut qui suas partes tuebantur, reliquos numero vincerent. De tali enim procedendi modo aperte conqueritur Claudio Elpencæus digress. 1. ad cap. 1. epist. ad Tit. dum ait: *Factum est posterioribus seculis, ut quod meritò in Concilio Basileensi Ludovicus Arelatensis querebatur, in Conciliis id demum fiat & necessariò fiat, quod nationi placeat Italicae, ut que sola Episcoporum, qui & ipsi soli vocem illuc decisam habent, numero nationes alias equeat, aut superet, sicut scripto libro primo de gestis ejus Concilii Aeneas Sylvius nondum Pius. Hec illa est Helena, que nuper Tridenti obtinuit.* Quales autem fuerint Episcopi illi subsidiarii, non patitur nos ignorare Isidorus Clarius & ipse Italus Abbas Benedictinus orat. 9. in Luc. dum ait: *Circumspicite Christianum Orbem, Italiam ipsam, in qua degimus, contemplamini, si quatuor in tanto ambitu sunt Episcopi, qui integre fungantur officio suo.*

XXIII. Ut maximè vero Pontifex Romanus per emissarios suos omnem moverat lapidem, ut in partes suas traheret dissentientes, neutram tamē obturari ora potuerunt Hispanis & Gallis, quo minus fundamenta sua identidem repeterent, & de divinâ suâ vocatione ad naufragium reliquorum verba ficerent. Non pigebit legere hoc loco elegantem discursum, quem in eodem Concilio eruditè proposuit Jacobus Gilbertus de Noguetas Episcopus Alliphensis. *De institutione Episcoporum differenti, inquit, non posse stabiliore loco fundamentum collocari, quam in verbis S. Pauli ad Ephesios bene pensatis & intellectis. Siquidem quemadmodum verissimum esset, Christum absoluere imperio Ecclesiam rexisse, dum in carne viveret, ita falsissimum illud post ascensionem in cælum illud regimen projecisse, quin imò nunc id vel maxime exercere. - Huc accedere etiam operam Spiritus S. adeò ut à Christo tanquam capite etiam non solum gratiarum interior influxus veniat, verum etiam exterius quoddam adminiculum, tamē si nobis invisibile, attamen ejusmodi, quod subministrat occasiones & fidelibus salvandis & propulsandis mundi temptationibus. Sed præter hæc omnia membra quedam Ecclesiæ in Apostolos, pastores &c. distinguise ad fideles ab erroribus defendendos & in unitatem fidei & cognitionis DEI dirigendos. His dedisse donum pio huic officio exercendo necessarium, potestatem ut appellant jurisdictionis: que in omnibus & equalis non est, verum quanta in quolibet est, ipsi eam Christus immediate largitur. Nihil esse D. Paulo magis contrarium, quam si dicatur uni soli data, qui eam aliis communiceat. Id quidem verum, non esse in omnibus & equalem, sed secundum divinam distributionem: que ad unitatem Ecclesiæ conservandam ordinavit, inquit Cyprianus, ut in Petro & Successoribus suis esset suprema. Non quod ea sit absoluta, & uti jactatur pro verbo voluntas sit pro ratione, sed, ut D. Paulus ait, in edificationem Ecclesiæ tantum, & non in destructionem. Ideo non sese extendere ad abrogandas Leges & canones ab Ecclesia constitutos, pro administrationis sue fundamento o.*

XXIV. Ni-

XXIV. Nihil potuisse ad rem præsentem dici commodius, nisi quod monarchiam Ecclesiasticam noluerit prorsus everlam, quanquam eam valde restringat, & certis limitibus circumscribat. Apertius autem & significans, nisi fallor, hujus monarchiæ qualitatem descripsit Archiepiscopus Granatensis, quando dixit: *Ego Granatæ Episcopus sum. Et Papa ejusdem civitatis est Archiepiscopus, innuens Papam Ecclesiarum particularium inspectionem habere, sicut Archiepiscopus in Ecclesiæ suorum suffraganeorum.* Et binc verò diffutari cœpit, utrum recte dicatur, Papam habere omnem Christi autoritatem, quippe quam neque cum restrictionibus admittere volebant Galli, hanc tantum propositionem comprobantes: *Papam habere autoritatem parem S. Petro.* At is modus admodum suspectus erat Pontificiis, quasi id ageretur, ut vita & actiones Petri Pontifici pro exemplo essent; quo facto Sedis Apostolicæ potestatem ad nihilum redigi affirmabant, quam illi adeò absolutam & incircumspectam profitebantur, ut pro temporum occasionibus, omnibus emergentibus regulam dare posset, etiam contra ea, que ab omnibus antecessoribus, imo ab ipso D. Petro attitata.

XXV. Exitus tandem hic fuit, quod propter dissensum Patrum prorsus omissa sit istius controversia decisio, facta à Cardinale Morono promissione, ut quandocunq; potestas Papæ secundum Formulam Concilii Florentini declararetur, etiam tunc declarari debeat institutio Episcoporum de jure divino. Et hæc ratione nullo decreto publico, sed solo Pontificis Romani placito, & privatâ Doctorum sententiâ nitorum famosa ista de Romani Pontificis in omnes Episcopos transfusâ potestate doctrina. Nec alios nisi privatos Doctores adducere possunt ejus sententiæ defensores. Paulus Laymannus *Theol. moral. lib. 1. tr. 4. cap. 7. §. 2. Joh. Azor. institut. moral. part. 2. lib. 3. c. 30.* Paul. Piasc. in *prax. Episc. part. 2. c. 1.* Theoph. Raynandus *de coron. aur. Pontif. pag. 386.* Sed eorum tota probatio ex principiis minime concessis petitur, & præcipue supponit, non aliam Ecclesiæ convenire regimini formam, præter monarchicam, cum tamen neque ex instituto DEI, neque moraliter necessarium sit, ut omnes per universum Orbem Doctores subjiciantur potestati unius sui ordinis.

XXVI. Laudanda est *magisteria* Francisci à Victoria, qui in *relect. 2. scđt. 2. n. 27. 28. 29.* istas in publicum exhibuit propositiones: *Prima:* Qui libet Apostolorum potuit relinquere Successorem, licet non universalem, saltem in quacunq; provinciâ voluisset, qui esset verus Episcopus illius provinciæ, etiam inconsulto Petro. *Secunda:* Non solum Apostoli hoc potuerunt, sed similiter quilibet successorum potuit relinquere sibi successorem. *Tertia:* Quilibet Episcopus in suâ provinciâ potuit condere legem, ut presbyteri eligerent Episcopum, vel aliam formam institutionis dare, etiam inconsulta sede Petri. Hæc Victoria, quem splendorem instituti Dominicanî, decus & ornamentum Theologiae & exemplar antiquæ religionis vocat Alphonsus Garsias *comm. de doctis Hisp. Viris.* Sed addit tamen Victoria

ctoria hanc limitationem: *nisi à sede Petri aliter provideatur.* Quâ ipsâ haud partim enervat suas istas propositiones, cùm ita in arbitrio Pontificis Romani sit, utrum validam esse velit electionis formam ab alio Episcopo præscriptam. Credo ego, limitationem istam ut $\omega\varphi\lambda\alpha\pi\tau\epsilon\nu\beta\omega\vartheta\eta\mu\alpha$ additam fuisse, ne in indices expurgatorios conjicerentur propositiones Sedi Romanæ non usquequaque placituræ.

XXVII. Dum ita in partes abeunt tūm Canonistæ, tūm Theologi inter pontificios, parum aberit, quin tota illa controversia ab eis inter quæstiones probabiles referatur, quarum ea est natura, ut liceat uni parti quæstionis opinatiè assentiri, & nihilominus alteram contradicentem probabilem judicare. Nec obstat, ab alterutrâ parte plures numero stare Doctores, & hinc opinionem eorum probabiliorem videri, & magis communem. Rectè enim in tali casu respondet Martinus ab Azpilcueta Navarrus *in encirid. cap. 27. n. 289.* Non videtur una opinio appellanda communis ad effectum præjudicandi alteri, eo solo, quod plures eam sequantur, tanquam oves alie alias, qua precedunt, sine judicio sequentes, velut aves, qua unam volantem alia omnes sequuntur, (tale quid in hac, de quâ nunc agimus, controversiâ contigisse, unusquisque qui ejus originem & progressum, in primis ex actis Concilii Tridentini, expendet, perspectum habebit) Communiorum enim ad hoc existimare illam, quam sex vel septem autores Classici rem ex professo tractantes asserterent, quam probatam à quinquaginta solâ ferè autoritate aliorum ducis. Opinio enim communis non ex numero opinantium, sed ex pondere autoritatis fit. Quin & arbitror, utramq; ad hoc posse dici communem, quando utraq; habet octo vel decem assertores graves, & cum judicio eam diligentes.

XXVIII. Extra verò autoritates, si qua colliguntur argumenta, tam infirma ea sunt & imbecillia, ut plane nihil faciant ad probandum thema propositum. Videbimus ea, quando de primatu Pontificis Romani agendum erit. Interim teneamus, vocationis mediatæ, quâ quis ab Ecclesiâ vocatur ad docendum non minus, atque vocationis immediatæ, principem causam esse DEUM, qui hunc vocandi ordinem Ecclesiæ præscripsit, & sic Episcopalem etiam potestatem à DEO immediate conferri. Radix enim & fons potestatis Ecclesiasticæ, sive ordinis ea dicatur, sive jurisdictionis qui influat in omnes pastores universæ Ecclesiæ non est in ullo mortalium. Subordinatio est inter eos, nulla generatio, aut essentialis productio. Optimè hic confert potestatem Ecclesiasticam & Regiam Petrus de Marca *lib. 2. de concord. sacerd. & imp. c. 2. n. 2.* quando imperium omne DEO adscribens adversus dissentientes hunc in modum verba facit: *Nolo ire per omnium veterum scripta, ut rem apud illos certissimam probationibus inde haustis evincam adversus eas opiniones, quæ in Aristotelis officinâ conflatae, magno studio etiam à Christianis arrepta sunt, ut maximum discrimen ex eo capite constituatur inter potestatem Ecclesiasticam & Regiam,* cùm illa ab ipso Christo per munus

E ordina-

CAP. II. De Episcopalis officiis

34

ordinationis conferatur Episcopis, qui antea suffragiis Cleri & populi sunt electi; hæc autem à populis per suffragia in Principem electum transscribi dicatur. Par enim utrobiq; ex hoc capite reverentia debetur, et si spiritualis in se dignitate præcollat, & ejus origo conceptis verbis in Evangelio à Christo sancta sit, quia pertinet in Reges singulos ac in Episcopos hæc autoritas à DEO immediate derivatur.

XXIX. Memorabile est, quod in actis Concilii Láteranensis sub Leone X. anno 1516. habitu refertur apud Severinum Binium tom. IV. Concil. pag. 629. Cùm enim in sessione undecimā recitata esset schedula continens privilegia religiosorum, & quæsiti essent patres congregati, num placeret ea, & numquid mutari deberet, Vincentius Episcopus Signinus, pro verbis illis, quæ in eâ continebantur, quod Episcopi assumpti fuerint à Pontifice, reponi debere monuit, quod assumpti fuerint à Christo. Et eo tempore tamen nec Lutherus adhuc cognitus erat, neque Romæ aliud quidquam agebatur, nisi ut Hieromonarchia, quæ ad aquam pervenerat, in eo statu conservaretur, ut mirum sit profecto, hanc dicendi libertatem in Episcopo toleratam fuisse. Sed enim tum temporis nondum divinare quisquam potuit, quantum damni ex formulis ejusmodi non benè observatis Romanæ curiæ metuendum esset, quippe quod ipsis aliquando imposuit Legatis in Concilio Tridentino.

XXX. Ut tractatum hunc de institutione Episcoporum absolvam tandem, video adhuc sollicitos esse nonnullos de modo, & tempore, quo Apostoli primum Episcopi fuerint constituti. Quam in rem juvat adscribere verba Guilielmi Beveregii ex annotat. in can. 1. Apost. quæ hæc sunt: In Ecclesiâ ab ipso denominatâ Christus ipse primus, & quamdiu inter vivos numeratus est, solus fuit Episcopus. Apostoli autem, quos elegerat, Christo adhuc superstite, nondum Episcopi erant, nec Episcopali bus fungebantur officiis. Nondum enim quempiam ordinabant, nec Ecclesiasticam exercebant autoritatem & jurisdictionem: hæc præfecto sive Episcopo suo nostroq; Christo peragenda relinquebant, dum ipsi interim baptizando & evangelium prædicando operam darent, quæ sunt propria presbyterorum munia. Christus autem mortuus & suscitatus & ad celum jam adscensurus, ut loci sui conservatores post se relinquere, Apostolos suos in Episcopos promovebat. Prima bujus Episcopalis consecrationis traditur Job. XX, 21. 22. ubi Apostolis in unum congregatis dicit eis Iesu: Sicut misit me Pater &c. Antehac fateor Dominus Apostolos suos ordinarat, sed ad Evangelium tantummodo prædicandum, illudq; miraculis confirmandum. Marc. III, 13. 14. Matth. X, 1. Nunc autem primò post resurrectionem dicit iis: ut Pater me misit, sic & ego mittovos; nunc primum in eos sufflat, dicens: Λέγειν πρεσβύτερον. Unde clarissime elucefit, per hanc secundam ultimamq; ordinationem, ut plurimis celebratam ceremoniis, Apostolos ad majorem quam antea gradum proiectos esse: imò quidem ad eundem, quantum ad ordinandi & Ecclesiasticam disciplinam exercendi facultatem,

tatem, ad quem ipse Christus à Patre consecratus est. Prime igitur ordinationis virtute evangelium prædicabant, bāc autem ultimā Episcopi jam creati, Christiq; absentis vices in terris supplentes, & ipsi alios procrearunt. Episcopi autem ab Apostolis ordinati eandem ab iis Episcopalem accipiebant autoritatem, quam ipsi à Christo: siquidem Spiritus in eos à Christo sufflatu per manum eorum impositio-nem in alios quoq; diffusus est. Et sic perpetuā successione Episcopi rite ordinati, quantum ad Episcopalem attinet dignitatem, ipsius Christi in terris locum tenent, & presbyteri Apostolorum, ut Christo adbuc superstite, constituti sunt. Hæc Be-veregius, suamq; hanc sententiam de Episcoporum origine ac institutione, ut verissimam sic & antiquissimam profitetur, fulcitq; aliquot Ignatii testi-monii.

XXXI. Accuratam ejus discussionem Theologis relinquo. Ego, quid mihi de ēa videatur, præfiscini adjiciam. Primum describit Episcopum ex eo, quod potestatem ordinandi & jurisdictionis habeat, propria vero presbyterorum munia dicit consistere in baptizando & evangelium prædi-cando. At hæc sequioris ævi distinctio est, nec in primitivâ Ecclesiâ tale inter Episcopos & presbyteros discrimen cognitum fuit, uti deinceps ostendam. Christus fuit & adhuc est ḥιον Θεοῦ Χριστός, uti vocatur I. Petr. II, 25. sed in significatu eminente & officium Episcopale, ut hodiè in Eccle-siâ est, longè transcendentē. Deinde non satis consideratè dicit Bevere-gius, Apostolos in Episcopos esse promotos, ac si gradus Episcopalis excederet & superior esset gradu Apostolico. Imò vero nemo Apostolorum propriè Episcopus dici potuit, quanquam munia Episcopalia in Apostolatu contenta fuerint, si quidem ea ex posteriorum temporum determinatione æstimes, quā Episcopalia primū dici cœperunt. Tertiò neque id videtur satis accuratè dictum, Apostolos per secundam demum ordinationem Epi-scopos constitutos esse. Sanè Apostoli jam ante primitias Spiritus acce-perant. Cūm vero nova donorum Spiritus S. incrementa eis dare vellet Salvator, novum aliquod symbolum, flatum sc. oris, adhibuit, in majorem fidem, & ut de symbolo isto certiores redderentur, quod cum eo, in eo, & per istud uberiora Spiritus S. dona collata sibi fuerint. Neque enim simul & semel omnia ista spiritualia dona Apostolis communicata sunt, sed suc-cessivè, antequam sufficientissima illa & plenisima in festo Pentecostes conferrentur. Quin imò uberrimis istis donis etiam postea quædam fuisse superaddita non obscurè colligitur ex Act. XV, 28. Nec vero potestas ordi-nandi & jurisdictionem exercendi tanti momenti fuit, ut ad eam extra-ordinariis Spiritus S. donis opus esset, cūm ea ad potestatem absolvendi à peccatis potius collata dicantur. Et omnino videtur excellentior potestas clavium data Apostolis, quam vel Ecclesiæ deinceps, vel sacerdotibus in Ecclesiâ circa res divinas ministrantibus. Quartò illud etiam offendit, quodait, Episcopos ab Apostolis ordinatos ab illis Episcopalem habere au-

E 2

torita-

toritatem, Apostolos autem à Christo. Ex antecedentibus enim satis intelligitur, utrisq; & Apostolis & Episcopis potestatem immediatè à Christo conferri. Deniq; non satis tutò ad Ignatii Epistolas provocat Beveregius, et si protestetur, non ex supposititiis & falso ei adscriptis, sed indubitatis & summæ fidei epistolis testimonia se petere velle. Non enim summæ, sed sublesteꝝ prorsus, imò nullius fidei istas esse epistolas, solidè ostendit Johannes Dallæus *speciali tractatu de scriptis Dionyſii Areopagita & Ignatii Antiocheni.*

XXXII. Verum est per missionem à Christo factam, & solennem ejus promulgationem, atque additum afflatum excellentius quid accessisse Apostolorum personis, ut peccata dimittere possent. Tantæ enim rei pares futuri non erant, nisi instructi peculiari gratiâ & virtute Spiritus Sancti. Spiritum itaq; sanctum illis impertit Christus adhibito signo, quo certiores illos de adventu Spiritus faceret, eoque convenienti Spiritui, & ejus à Patre ac Filio processioni. Ut enim ipsa persona vocabulo Spiritus, ita processio vocabulo spirationis declarari consuevit, quibus respondet hæc ipsa ceremonia à Servatore adhibita. Cùm autem jam ante haberent donum Spiritus, per quod fideles constituerentur, & dæmonia ejicere atque infirmitates curare possent, nunc porrò per afflatum istum accipiunt donum, per quod idonei reddantur ad ministerium obeundum & discernendum, quibus remittenda peccata vel retinenda, accepturi die Pentecostes sub visibili quoque specie uberioris donum, quo linguis uterentur & miraculis, quibus tūm opus erat, doctrinam Evangelii confirmarent & propagarent. Potius igitur est, ut per missionem istam & ceremonias additas Apostolos factos fuisse dicamus, quam Episcopos, cùm ipsa illa missio Apostolatum propriè denotet, atque Apostoli hinc etiam missi dicantur, et si negandum non sit, etiam Episcopos certo modo missos dicí. Apostolis enim omnibus hæc tradita fuit potestas, ut possent & ipsi mittere in Ecclesiasticum ministerium alios, sicut ipsi mittebantur à Christo, & sicut Christus ipse missus fuerat à Patre, & ut ipsi etiam ab eis missi cum simili facultate alios mittendi mitterentur, & sic deinceps usque ad consummationem seculi, ut in Ecclesia Christi nunquam deessent ministri legitimi.

C A P . III .

De differentiâ, qua est inter Episcopos & presbyteros.

I.

Presbyteri vocabulum ex Judaismi veteris usu in Christianismum receptum esse, nec ætatem semper, sed aliquando etiam dignitatem propter prudentiam alicui collatam denotare, prolixè admodum probat Joha-

Johannes Seldenus *comm. in Eusebii origines Alexandr. num. 20.* § de Synedr. *vet. Hebr. lib. 1. cap. 14.* Utiq; enim in ipsis nascentis Ecclesiæ Christianæ principiis nomen istud vel officii vel dignitatis aut honoris fuisse appareat ex epist. ad Tit. I, 5. ubi Paulus ait: *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas & constitutas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Et ex hoc recte Isiodorus apud Gratianum c. *cleros dist. 21.* Presbyter, inquit, græcè latine Senior interpretatur, non modò pro ætate vel extremâ senectute, sed propter honorem & dignitatem, quam acceperunt, presbyteri nominantur. Unde & in jure Feudali, qui feuda concedunt, modo domini vocantur, modo Seniores, non ratione ætatis, quoniam & minores domini esse possunt, atque Seniores, sed propter fidem & servitia ipsis debita, & propter jura sibi reservata. Sunt enim hæc vocabula juris, quibus non persona, sed jus demonstratur, quemadmodum paterfamilias dicitur ille, qui sui juris est, etsi filium non habeat. Herm. *Vultej. de feud. lib. 1. cap. 3. in fin.* Cumque ita diversimodè vocabulum presbyteri sumi soleat, non male ad hæc summa capita significatus ejus redigit Hugo Grotius *de imp. summ. pot. circa sacr. cap. 11. n. 14.* ut per illud denotetur vel ætas, vel Magistratus, vel Sacerdotium.

II. Sed in Sacerdotio, qui ita dicitur, usu Ecclesiæ recepto ille tantum intelligitur, qui infra Episcopum est, quiq; proinde in secundo sacerdotio esse dicitur Optato Milevitano *lib. 1. advers. Parmen.* *Quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesiâ nulla fuerant dignitate suffulti? quid ministros plurimos? quid diaconos in tertio? quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos?* Et sic etiam secundi Sacerdotes vocantur in constitutione Theodosii & Valentiani, quam refert Jacobus Sirmondus ad Apollinar. Sidon. *lib. 4. epist. 11.* sed quam suppositam vocat Jacobus Gothofredus *ad l. 6. Cod. Theodos. de heret.* in hoc tamen optimè convenientem cum dictâ lege 4. ubi Gratianus Imp. presbyterorum vocabulum proximum facit Episcoporum nomini. Et sic nimirum usitatum per multa admodum secula fuit in Ecclesiâ, ut ab Episcopis presbyteri proximi essent. Quorum utrorumque originem his verbis explicat Anacletus Pontifex Romanus epist. 3. *Scitis à Domino Apostolos esse electos & constitutos, & postea per diversas provincias ad predicandum dispersos.* Cum verò messis cœpisset crescere, videns paucos esse operarios, ad eorum adjumentum septuaginta duos eligi præcepit discipulos. *Episcopi verò Domini Apostolorum: presbyteri quoq; septuaginta duorum discipulorum locum tenent.* Episcopi autem non in castellis aut modicis civitatibus debent constitui, sed presbyteri per castella & modicas civitates atq; villas debent ab Episcopis ordinari & ponni, singuli tamen per singulos titulos suos. -- Amplius quam isti duo ordines Sacerdotum nec nobis à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt, &c. Quæ ipsa verba recitat Ivo Carnotensis in decreto part. 5. c. 58. nonnulla etiam Gratianus c. *Episcopi dist. 80.* Et fateor, si germana ea essent, & ipsius Anacleti, multum illis ex antiquitate accederet autoritatis, quod Anacletus Papa in-

eunte seculo secundo sub imperio Trajani ledem Romanam occupasse fertur. Sed ipsam totam epistolam supposititiam esse, & ab improbo impostore confitam eruditè ostendit David Blondellus in *Pseudoisidoro* pag. 136. seq. & comparationem Episcoporum cum Apostolis, presbyterorum itidem cum discipulis recentius inventum esse, docet idem Blondellus *apol. de Episc. Presb. scilicet 3. n. 9.*

III. Quandoquidem verò negari nequit, discrimen istud inter Episcopum & presbyterum antiquissimum esse, & per multas hominum ætates in Ecclesiâ obtinuisse, disquiri jam diu inter Doctores cœpit, quo jure illud introductum fuerit, divino, an humano? Sanè, qui successiones Episcoporum in quatuor summis totius orbis Ecclesiis, prout eos ab Apostolorum ætate ad sua usq; tempora recenset Eusebius *in hist. Eccles.* apud le oculis & animo lustraverit, simulq; pensitaverit, Apostolos ipsos, quorum Episcopi illi successores fuerunt, à Christo ipso institutos fuisse, inclinare huc mentem facile poterit, institutionem Episcoporum ex jure divino provenire. Et confirmabitur is in opinione hâc suâ, si quod capite antecedente diximus, ulterius consideraverit, Episcopos potestatem suam ab ipso DEO immediate habere. Quibus positis, oppidò facilis ei videbitur decisio non aliunde discrimen istud inter Episcopum & presbyterum originem suam habere, quam ex jure divino & ab ipso Christo, cùm præsertim in Ecclesiis illis primariis, Hierosolymitanâ puta, Romanâ, Antiochenâ & Alexandrinâ, nec minus, quæ quinta fuit, Constantino politanâ, non potuerint ab uno & solo illo Episcopo, qui quovis tempore fuit, sacra peragi, sed necesse fuerit etiam presbyteros adhiberi, qui locii essent laborum, ita tamen, ut regimen & Episcopatus penes eum, qui præcesset, subsisteret.

IV. Sed in hoc negocio necesse est, ut separemus ea, aut distinguamus saltem, quæ alias confusionem parere possent. Non enim ex eo, quod potestatem Episcopalem à DEO immediate conferri dixi, inferri debet, potestatem illam intelligi debere, ut est distincta à potestate presbyteriali ex arbitrio Ecclesiæ. Illa enim differentia specifica & proportio differentiæ inter ordinem Episcopalem, presbyterii & Diaconorum, cùm quoad officii determinationem, tūm quoad præcedentiam dignitatis, qualis hodiè obtinet, nequaquam juris divini est, sed humani tantum. Nec species illæ hodiernarum differentiarum, uti à Canonistis referuntur, & successu temporis tabilitæ sunt, ullo idoneo arguento referri possunt ad Apostolorum aut universalis Ecclesiæ statuta. Hulseman. *in breviar. cap. 19. in suppl. n. ult.* Non igitur hic disputandum, an Episcopi presbyteris de facto ut locuntur sint superiores, sed an jure: nec quæstio de jure humano & positivo, sed divino instituitur, utrum ex divinâ nascientis Ecclesiæ disciplinâ, sepositâ omni morum legumve ab humano arbitrio provenientium ratione, Episcopalis five ordo, five dignitas, five gradus, presbyteriali superior

aut

aut ab eo diversus, an verò neutquam dispar seu idem prorsus sit habendus.

V. Nec facit ad rem, quod officia ministrorum Ecclesiæ ex ipsâ institutione Christi juxta diversas qualitates objecti, distincta sint. Id enim certum est, singulos nec debere nec posse circa omnia objecta officii Ecclesiastici ex æquo versari, quod maximè ostendit Paulus *i. Cor. XII. per tot.* Et possumus adeò distinctionem honoris & dignitatis facere inter ministros, secundum objecti determinationem, circa quod quisque versatur, & secundum utilitatem publicam, quam quisq; consert propius aut remotius ad conservationem corporis mystici, ita ut fundamentum diversi istius honoris quærendum sit in diversitate objectorum, circa quæ non omnes versantur æqualiter, nec eodem modo. Absolutè tamen & generaliter de omnibus Ecclesiastici ministerii gradibus, in specie de Episcopatu & presbyterio dici nequit, quod eorum institutio & distinctio ab institutione divinâ dependeat, siquidem gradus illi non sunt certo distincto & necessario numero antehac vel à DEO præscripti, vel ab Apostolis introducti, sed Ecclesiæ libertati relieti. Gerhard. loc. de ministr. Eccles. n. 206. Et quanquam negari nequeat, propter èvangelias & ad concordiam in Ecclesiâ conservandam admodum utile esse, ut gradus eorum, qui in verbo & doctrinâ laborant, distinguantur, nondum tamen inde conficitur, gradum hunc & istum distinctè ita ab invicem consideratum, Episcoporum scil. & presbyterorum esse de jure divino.

VI. Cùm autem id, quod divini juris est, non nisi ex Scripturâ sacrâ & verbo divino revelato, demonstrari queat, necesse est, ut si discriminem Episcopi & presbyteri juris divini esse statuatur, ipsum etiam ex Scripturâ sacrâ probetur. At verò tantum abest, ut ejus rei aliquod vestigium in sacris literis inveniatur, ut potius diversa omnia in illis appareant. Videmus enim, eosdem qui presbyteri constituendi vel constituti erant, eadē operà Episcopos constitutos & titulo Episcoporum insignitos atq; per requisita Episcoporum propria definitos fuisse, *Act. XX. Tit. I, 5. 7.* Illic enim presbyteris, quos Ephelo evocari curaverat Apostolus, dicit: Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Sp̄ritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI. Hic vero j̄bet Titum oppidatim presbyteros constituere idoneos, qui scil. sint inculpati, tanquam dispensatores DEI, non præfracti &c. subiecta hâc ratione, quod tales esse oporteat Episcopos.

VII. Deinde constat idem ex communijure, usu, & effectu τῆς χειροτονίας, quâ presbyteri Episcopos constituerunt. Sic enim scribit Apostolus Timotheo suo: *Ne neglexeris donum, quod in te est, quod datum est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii, i. Tim. IV, 14.* Certum est, presbyterium hoc, quod manus imposuit Timotheo, fuisse Collegium sacerdotum, in quo erant Episcopi & presbyteri, titulo & jurisdictione in hoc actu

non

non distincti, sed in χεροφέσιας eâdem potestate concurrentes. Τὸ μὲν enim in textu græco significat comitem, uti recte explicat Claudio Espencæus ad b.l. five causam lociam plurium presbyterorum. Multum hic se torquet Henricus Hammondus *dissert. 4. adv. Blondell.* ut alium vocabulo presbyterii à proprio affingat significatum, & sensum textui inferat planè diversum, provocans ad patres, quibus non usquequa certum fuerit, utrum ordinatus fuerit Timotheus in loco presbyterii, an verò ab ordine presbyterii, an assistente ordine presbyterii. His enim significatis vocem istam explicari posse contendit. Multus etiam est Johannes Seldenus *de Synedr. vet. Ebraor. lib. I. c. 14.* ubi cùm prolixè admodum ex quamplurimorum exemplariorum collatione, utrum presbyterii an verò presbyteri legendum sit, differueriset, tandem ad eruendum sensum concludit, non esse ablonum, vocem ibi illam de ipsâ dignitate seu officio presbyterii, non de presbyterorum cœtu aliquo capere, quasi dictum fuisset, quæ tibi data est per prophetiam cum manuum impositione, quâ creatus es presbyter, perinde ac si quis diceret, per impositionem manuum Doctoratus. Quem eundem sensum Anshelmus quoque Cantuariensis, Thomas Aquinas, & alii inde enuclearunt. Alii per presbyterium Episcoporum ordinem intelligunt, atque ut opinioni suæ ne quid inde detrabatur, omnes Episcopos quidem presbyters, non vero presbyters Episcopos esse contendunt. Quæ omnia à simplici verborum significatu nos haudquam seducunt, cum sint præsertim inter τὰς εἰς ἐκκλησίας nonnulli, qui presbyterorum & Episcoporum nomina in primitivâ Ecclesiâ communia esse fateantur, ipsas tamen eorum potestates distinctas fuisse mordicus defendant. Præterquam autem, quod hâc ratione petatur τὸ ἄνθρωπον, etiam alienum videtur ab officio accurati Doctoris, de rebus & potestatibus eo in loco, ubi eas distinguiri vel maximè refert, communia & indistincta vocabula usurpare.

IIX. Confirmatur nostra sententia porrò ex defectu distinctionis, qui in quibusdam Scripturæ locis appareat. Dum enim Apostolus ordines Ecclesiasticos distinguit, Episcoporum solum & diaconorum mentionem facit, *I. Timoth. III, 2. 12.* ubi cùm per diaconos Oeconomos Ecclesiæ & rationum profectos intelligat, necesse est, ut alterâ Episcoporum notione omnes eos, qui in verbo laborant, comprehendat; secus omisi vel exclusi forent presbyteri & sacerdotes Ecclesiæ. Pari modo idem Apostolus in salutatione suâ Philippensibus destinatâ Episcoporum tantum & diaconorum meminit, certissimo arguento, inter Episcopos & presbyters nullum eo tempore discrimen fuisse, cùm ex principiis adversariorum constet, nunquam in uno cœtu plures fuisse Episcopos. Quæ hic magno conatu objiciunt Bellarminus *lib. 1. de cler. c. 15.* & Hammondus *dissert. 4. de jur. Episc. c. 10.* eruditè admodum & enucleatè refutat Joh. Georg. Dorscheus *in exercitat. ad diatypos. Concil. Nicæni de cœna scđt. 1. §. 13. 14.* quod annotasse sufficiat,

ciat, ne ὑπερ τὴν ἐκαμψίαν πηδάν, & falcem in alienam messem immittere dicamur. Plana & perspicua est sententia Chrysostomi ad istum Pauli locum hunc in modum commentantis: *Quid hoc est? an unius Urbis plures Episcopi? Minime, sed presbyteros vocavit Episcopos. Hactenus enim utriusque, nomina communia eadem Sc.* Et haec eadem Scripturæ Sacrae argumenta suo adhuc tempore, circa annum Christi M CCC XXIV. proposuit Marcellius Patavinus in defens. pac. cap. 14

IX. Vetustiores si consulas Ecclesiæ Doctores, non alia eorum fuit sententia, nec alia Scripturæ interpretatio. In jure Canonico celebre est fragmentum ex Hieronymi epist. ad Evagrium episcopum, quod refertur c. legimus dist. 93. his verbis: *Legimus in Esaiā: Fatus fatua loquitur. Audio quendam in tantam erupisse recordam, ut diaconos presbyteris, id est, Episcopis anteferret. Nam cūm Apostolus perspicue doceat, eosdem esse presbyteros, quos Episcopos, quid patitur mensarum & viduarum minister, ut supra eos tumidos se efferaat, ad quorum preces Christi corpus sanguisq; conficitur? Queris auctoritatem? Audi testimonium. Paulus & Timotheus servi Christi Iesu omnibus sanctis, qui sunt Philippis cum Episcopis & diaconis. Vis & aliud exemplum? in actis Apostolorum ad unius Ecclesię Sacerdotes ita Paulus loquitur: Attendite vobis Sc. Ac ne quis contentiosè in una Ecclesiâ plures Episcopos fuisse contendat, audiat & aliud testimonium, in quo manifestissimè comprobatur, eundem esse Episcopum atq; presbyterum: Propter hoc reliqui te in Cretâ, Sc. & ad Timotheum: Noli negligere gratiam Sc. Sed & Petrus in primâ epistolâ, Presbyteros, inquit, qui in vobis sunt, precor ego compresbyter Sc. Quod quidem græcè significantius dicitur, Πατροπέντε, id est, Superintendentes, unde & nomen Episcopi tractum est. Parva tibi videntur tantorum virorum testimonia? Clangat tuba Evangelica, filius tonitruj, quem Jesus plurimum amavit, qui de pectore Salvatoris doctrinâ fluentia potavit: Presbyter electe Domine, & filii ejus, quos ego in veritate diligo. Et in aliâ epistolâ: Presbyter Cajo charissimo, quem ego in veritate diligo. Quod autem postea unus electus est, qui ceteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Evangelista iug. ad Heracliam & Dionysium episcopos presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant: quomodo si exercitus sibi Imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se, quem industrium uoverint, & archidiaconum nuncupent. Quid enim facit exceptio ordinatione Episcopus, quod presbyter non faciat? - - Presbyter & Episcopus aliud ètatis, aliud dignitatis est nomen. Unde & ad Titum & ad Timotheum de ordinatione Episcopi & diaconi dicitur: de presbyteris omnino reticetur, quia in Episcopo & presbyter continetur. Notanda in primis est occasio hujus dissertationis, quam ita instituit Hieronymus. Erat scil. Romæ quidam Falcidius, uti eum prodit autor quæstionum utriusq; testamenti Ambrosio adscriptarum, q. 101. qui duce stultitiâ & civitatis Romanæ jactantia*

tiâ. Levitas Sacerdotibus & diaconos presbyteris coquare contendit. Hunc perstringit Hieronymus in verbis adductis, & diaconos presbyteris æquiparari posse negat, ideo, quod presbyteri ex institutione primâ nihil omnino different ab Episcopis, quos tamen se superiores esse diaconi agnoscerent. Nervus scil. argumenti in eo consistit, quod diaconi concedebant & lubentes agnoscabant, se Episcopis inferiores esse. Posito hoc principio subsumit Hieronymus: Atqui secundum phrasin Scripturæ nihil omnino differt presbyter ab Episcopo, quod adductis Scripturæ testimonii probat. Et hinc infert, Ergo Diaconi itidem presbyteris se inferiores agnoscere debent. Ne quid autem haberent diaconi, quod ex Episcoporum ~~ταποχην~~ tum usitatâ regerere possent, longius digreditur Hieronymus, & dignitatem istam Episcopis ab Ecclesiâ sequioribus temporibus collatam & concessam ostendit.

X. Similia sunt, quæ ex ejusdem Hieronymi commentario in epist. ad Tit. recenset idem Gratianus c. olim dist. 95. quæ paulo latius ex ipso illo commentario adscribere haud pigebit. *Idem*, inquit, est presbyter, qui \mathfrak{E} Episcopus, \mathfrak{E} antequam diaboli instinctu, studia in religione fierent, \mathfrak{E} diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cepha, communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisq; eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi; in toto Orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesia cura pertineret, \mathfrak{E} schismatum semina tollerentur. Putet aliquis, non Scripturarum, sed nostram esse sententiam, Episcopum \mathfrak{E} presbyterum unum esse, \mathfrak{E} aliud etatis, aliud esse nomen officii, relegat Apostoli ad Philippenses verba dicentis: Paulus \mathfrak{E} Timotheus \mathfrak{E} . Philippi una est Urbs Macedonia, \mathfrak{E} certè in una civitate plures, ut nuncupantur, Episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem Episcopos illo tempore quos \mathfrak{E} presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Episcopis quasi de presbyteris est locutus. Adbuc hoc alicui videatur ambiguum, nisi altero testimonio comprobetur. In actibus Apostolorum scriptum est, quod cum venisset Apostolus Miletum, miserit Ephesum \mathfrak{E} vocaverit presbyteros Ecclesiæ ejusdem, quibus postea inter cetera sit locutus: Attendite vobis \mathfrak{E} . Et hoc diligentius observe, quomodo unius civitatis Ephesi presbyteros vocans postea eosdem Episcopos dixerit. -- Hæc propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros, quos \mathfrak{E} Episcopos, paulatim vero (ut dissensionum plantaria evellerentur) ad unum omnem solicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi prepositus fuerit, esse subjectos: ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse majores, \mathfrak{E} in commune debere Ecclesiam regere \mathfrak{E} .

XI. Hanc Hieronymi sententiam multis aliis aliorum Patrum dictis illustravit, & permodum apologiæ eruditissimo opere defendit David Blondellus, quem et si ex professo scriptis hâc de re dissertationibus infectetur

tur Henricus Hammondus, persuadere tamen haud quicquam potuit illis, qui Hieronymi sententiam ejusq; cum Scripturâ Sacrâ consonantiam attentiū considerant. Agnoscit verò Alphonsus à Castro Regis Hispaniarum Concionator in voce *Episcopus*, Hieronymum sentire, non esse ex necessitate legis, quod Episcopus iulus per manūs impositionem Spiritum S. conferat, sed hoc esse ex Ecclesiæ institutione ad honorem Sacerdotii. Idem agnoscit Sixtus Senensis *bibl. lib. 6. annot. 324.* dicta Hieronymi palam arguere, eum Sacerdotes Episcopis facere pares. Cordatè admodum Dominicus Soto in *4. d. 24. q. 2. a. 2.* *Ut ingenue fatear*, inquit, *arbitror, Hieronymum in eâ fuisse opinionem, quod primitus de jure divino nullum erat discrimen.* Agit nempe Magister sententiarum sub dictâ dist. 24. de his Ecclesiæ gradibus, & inter alia hæc ponit verba: *Cum omnes spirituales sint & sacri, excellenter tamen canones duos tantum sacros ordines appellant censem, Diaconatus scil. & presbyteratus, quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse, & de his solis preceptum Apostoli habemus &c.* Huic sententiæ multum favent verba Hieronymi, de quibus id quod recensui, judicium fert Soto. Et testatur Michael Medina *l. 1. de sacror. hom. orig. c. 5.* non solum Hieronymum ita sensisse, sed etiam Ambrosum, Augustinum, Sedulum, Primasum, Chrysostomum, Theodoreum, Oecumenum & Theophylacum. Eam verò Medinæ sententiam valde inconsideratam vocat Cardinalis Bellarminus *de cler. c. 15.* & subjungit: *Quâ fronde sanctos patres adversus hereticos adferimus, si eam sententiam ab Ecclesiâ damnatam dixerimus, quam omnes ferè patres tûm Græci, tûm Latini docuerunt.*

XII. Simul vero ex Hieronymi dictis addiscimus, quâ ratione Episcopi superiorem gradum occupaverint. Id quod pleniū explicat Johannes Chrysostomus, quando rationem redditurus, cur Apostolus *1. Tim. III.* ab Episcopis illico ad diaconos transeat, omisso intermedio ordine presbyterorum, cum tamen ejus intentio sit informare sacros ordines de partibus officii cuiusq; , & sic de officio presbyterorum nulla planè describat monita, his verbis commentatur: *Postquam de Episcopis differuit, eorumq; officium peculiariter charactere definit, dicens, quidnam eos habere, à quibus item abstinerere oporteat, omisso presbyterorum ordine, ad Diaconorum officia transit.* Cur hoc queso? Quianon multum interest, ὅτι ἀ πολὺ τὸ μέσον, (inter ordinem scil. Episcoporum & presbyterorum.) Nam & presbyteri assumpti sunt ad docendum populum, & ad prefecturam Ecclesiæ. Ideoq; que de Episcoporum ordine dixit, etiam presbyterorum ordini congruunt. Solid enim ordinatione supra eos adscenderunt, & hoc solo presbyteris superioribus esse videntur. Τὴν γὰρ χειροτονίαν μόνην αὐτῶν αἰτάει καὶ τῷ τέτο μόνον δοκεῖται ταλέοντεν τὰς περισσεύγες. Modestè ait, non multum interesse, atque sic aliqualem admittit differentiam, quæ qualis fuerit, nunc videbimus.

XIII. Præsupponendum scilicet est, ministros verbi divini in una particulari Ecclesiâ unum quoddam corpus atque unum collegium constituer. Est enim collegium sive corpus societas quædam hominum ita contracta, ut ex pluribus personis veluti una persona & unum corpus fiat, pertinetq; ad tertium genus corporum, quod refert Pomponius in l. 30 ff. de usucap. Quomodo igitur de Christianis in genere loquitur Tertullianus in apol. cap. 39. *Corpus sumus de conscientia religionis & disciplina unitate, & fieri sedere:* Sic etiam de speciali eorum collegio, qui sacris Christianorum peragendis destinantur dici poterit, quod unum aliquod corpus conficiant. Idque corpus sive collegium vocari solet ministerium, quod divino cultui ministeria religionis impendant, ut dicitur in l. 2. C. Th. de Episc. Et huc faciunt verba Bellarmini l. 1. de Cler. cap. 11. Episcopus & presbyter quantum ad sacrificium idem omnino ministerium exhibent, proinde unum ordinem non duos faciunt.

XIV. Quemadmodum igitur in omni Collegio, qualecumq; id sit, ratio naturalis dictitat, ut inter Collegas sit aliquis ordo standi, sedendi, sententias ferendi: ita etiam Collegium hoc sacrum ejusmodi ordinem ut servet necesse est. Consultum etiam, imo verò necessarium est, ut in omni collegio aliquis habeat πενταστίαν & πενταδιάν, sive πενταρίας jure sive ex singulari suo merito, qui consulendo, monendo, hortando, propounding reliquis præeat, suffragia in causis dubiis colligat, autoritate suâ universam actionem moderetur, & id quod ex pluralitate votorum decernitur prudenter exequatur. Atque id similiter, ut in quovis Ecclesiastico collegio observetur, sana jubet ratio. Et hinc, qui presbyterorum conventui præsideret, feliebat olim maximè venerabilis. Quâ ratione etiam in Conciliis aliquando, quæ ex Episcopis & presbyteris congregabantur, præses erat ille, qui ætate aut industriâ atque donis divinitus concessis præstantior erat. Sic enim de Palmâ Episcopo Amalstridis refert Eusebius lib. 5. c. 23. quod ille in Concilio Episcoporum Ponti præses fuerit. Ubi rectè Henricus Valesius in not. In Ecclesiasticis, inquit, Conciliis diversa fuit sedendi ratio pro diversis temporibus ac locis. Simplicissima quidem & rationi maximè consentanea sessionis fuit ratio, ut antiquissimus Episcopus ceteris præsideret. Postea Episcopis primiarum Urbium seu metropoleon id honoris concessum. Idem igitur, quod in collegiis & conventibus Episcoporum & presbyterorum totius provinciæ observatum fuit, etiam in presbyterorum Collegiis particularibus obtinuit, cum nec aliter εὐταξία stare potuerit.

XV. Illa autem unius in Collegio presbyterorum eminentia antiquissimis & primis illis nascentiis Ecclesiæ temporibus erat ἡ πηγὴ, ἀλλα πενταρίας δέχομδίων, ut Chrysostomus loquitur, comm. in cap. 1. Att. & oppidò parum differre faciebat ab reliquis presbyteris, ut adeo rectè dixerit idem in verbis supra adductis: Οὐ πολὺ τὸ μέτον. Et hinc igitur non male autor quæ-

questionum veteris & novi testamenti, q. 101. Quid est Episcopus, nisi primus presbyter, h. e. summus sacerdos? Quanquam enim presbyterorum illa Collégia unum aliquem suorum, ut caput haberent, & singuli ex isto corpore honorem hunc ei deferrent, ut primas ubique partes relinquerent, æqualiter tamen adhuc inter omnes Ecclesiæ cura divisa manebat, sive ut Hieronymus loquitur, communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernantur, nondum omnis Ecclesiæ cura aut omnis sollicitudo ad unum delata erat. Primus qui est inter paros, nullam illicè εξοτιαν has in reliquos, nec reliqui propterea ei subjecti sunt. Inter plures namque necesse est, ut ordo servetur, & ut uni alicui prærogativa aliqua concedatur, cum fieri vix possit, ut sine directione promptè & sine confusione aliquid expediri queat.

XVI. Illi tamen unius eminentiæ, quam nil nisi περιπτωσίαν ή περιστολαν initio fuisse diximus, annexum observamus mox alium honorem, & potestatem quandam exfortem. Quæ quidem sub teneris Christiani nominis initiis, cum Ecclesia inter persecutiones in summo flore esset, & maxima quotidie incrementa caperet, nihil omnino utilitatis præstare, & neque ad tuendam neque ad ordinandam salutem Christianæ Reip. qualis tum temporis erat, conferre quicquam poterat, quod nimirum quisque τῶν ἐν κονόν εξεταζομένων, ut in Concilio Nicæno can. 16. dicuntur, sine alterius monitione, quæ sui munera erant, sponte & animo promptissimo expediret, quodq; omnium illorum tum esset una voluntas, una fententia, unus affectus, ut dissidii & dissensionum semina haud facile succrescere inter eos possent. Postquam autem οἱ ἐν λαήρῳ à priscâ illâ morum sanctimoniam desciserent, & in contentiones multaq; alia vitia deflecerent, non posse aliter ea coërceri creditum fuit, nisi per potestatem ἀναγκαστικὴν τῆς περιστοστιανας superadditam, ita ut in unâ particulari Ecclesiâ deinceps inter ministros Ecclesiæ imperium esset aliquod & subjectio. Ethoc scil. est, quod dicit Hieronymus ad Evagrium: *Quod postea unus electus sit, qui ceteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet.*

XVII. Natæ inde sunt apud S. Patres formulæ loquendi, quibus ab unâ parte Episcopi dicebantur εξοτιαν εχειν, αρχειν, ex alterâ presbyteri & reliqui, qui in Clero erant, τινὲς τὴν εξοτιαν είναι, τινὲς διάδοται, τινὲς διάδοται, τινὲς διάδοται id est θησαυρωταριανα, & id genus alia. Neque improbanda est ita τινὲς, quam ipsimet in nostris Ecclesiis sancte tuemur, dum tamen nec Episcopi suam εξοτιαν ultra positos terminos extendant, majoremq; sibi, ut fieri sapient, arrogant autoritatem. Bonus scil. Ecclesiæ Ordo postulat, ut omnes alicujus diocelesios presbyteri, aliiq; qui in Clero censemur, sub obedientia sui Episcopi degant; & ipse ita subiit

regulis Ecclesiasticis, ut nemini injuriam facere possit, etiamsi maximè velit. Cui rei satis Patrum canonibus cautum est, Regumq; qui suscepereunt Evangelium legibus. Quæ ubi vigent, nulla Episcoporum tyrannis metuenda est. Contra leges usurpata potestas tyrannis est. Hadrian. Saravia de imper. aut. & Chrijian. obed. lib. I. c. 39.

XVIII. Verum enimvero, ut omnis potestatis, quantacunq; ea sit, difficilis planè est moderatio, & in isto genere multa ambitiosius fieri solent: ita hujus quoque Episcopalis potestatis insignis abusus mox invaluit, ut temperandæ illi nullæ prorsus sufficerent leges, nulli canones, nulla aliorum Episcoporum monita. De Episcopis Alexandrinis id notat Socrates lib. 7. hist. Eccles. c. 7. ubi, postquam de Cyrillo verba fecisset, quod majore cum potestate, quam Theophilus antecessor, ad Episcopatum acceperit, subiungit: *Ex eo enim tempore Episcopi Alexandrini sacerdotalem gradum atque ordinem supergressi, principatum quendam obtinere, & cuncta pro imperio agere coeperunt.* Paria refert de Episcopis Romanis c. 11. *Invidia istos quoq; attrivit: cum Episcopatus Romanus perinde atq; Alexandrinus ultra sacerdotiz finis progressus jam olim in dominationem degenerasset.* Et factum hinc adeò, ut quod in schismatis remedium introductum dixit Hieronymus, plurimis deinceps schismatibus anslam dederit, maximasq; contentiones & lites excitaverit, quas multo cum senio legere licet in historiis Ecclesiasticis.

XIX. Successu temporis, quo magis magisq; suam ampliarent potestatem Episcopi, singularia plane & peculiaria officia sacra sibi solis adscriperunt, & talia quidem sàpè, quæ ex proprio suo cerebro fingebant, ut faltem multiplicarentur jura & reservata Episcopalia, & fortunis suis nova quotidiè accederent incrementa. Inter epistolas Damasi Pontificis Romanii, quæ quinta est, & de Chorepiscopis agit, sequentia recenset, ut Chorepiscopis & presbyteris prohibita, atque solis Episcopis reservata: *Quod vero eis non liceat sacerdotes consecrare, nec diaconos aut subdiaconos, nec virgines, nec altare erigere, nec ungere aut sacrare, nec Ecclesias dedicare, nec chrisma confidere, nec christmate baptizatorum frontes signare, nec publicè quidem in missâ quenquam pœnitentem reconciliare, nec formatas epistolas mittere, nec populum benedicere, nec ante Episcopum in baptisterio aut in sacrario introire, nec presente Episcopo infantem tingere aut signare, nec pœnitentem sine preceptione Episcopi sui reconciliare, nec eo presente, nisi illo jubente, Sacramentum corporis & sanguinis Christi confidere, nec eo coram positâ populum docere aut salutare, nec plebem exhortari.* Quæ omnia solis Pontificibus deberi tam ex superioribus, quam ex aliis patrum constitutis, aut sacris canonibus edicti estis &c. Verba, hæc, si verè sunt Damasi, jam seculo IV. ista omnia solius Episcopi axiomata fuisse certum est. At vero inverecundo impostori larvam hic detraxit David Blondellus in Pseudo-Isidoro pag. 541. eumq; secutus Johannes Dallæus de confirmat. lib. 2. c. 22. epistolam hanc apocrypham in seculum nonum

nonum rejicentes. Interim verò inde hoc dicitur, tractu temporum multa sibi περσέα constituisse Episcopos, vel ignota olim, vel cum presbyteris communia. De quibus alias commodior erit dicendi locus.

XX. Sane ætate Chrysostomi præter ordinationem nihil præcipuum habuisse videntur Episcopi. Sic enim se habent ejus verba loco supra citato: Τὴν τὰς χειροτονίαν μόνην αὐτῶν ἀναβέβησται, καὶ τὸ πόνον δοκεῖται πλεονεκτεῖν τες περσέας. Solā enim impositione manū adscenderunt Episcopi supra presbyteros, & hoc solum lucri videntur præripuisse presbyteris. Bis utitur vocabulo *solum*, quod est exclusivum, Aug. Barbola in dict. *solum*, ut scil. removeret omnes alios actus sacros, quos proinde cum presbyteris communis relinquit. Consentit Hieronymus d. l. quando ait: *Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter non faciat?* SOLA ordinatio EXCIPITUR; cætera omnia presbyter perinde ut Episcopus facere dicitur. Inheptè glossa ad c. legimus dist. 93. in ordinatione, inquit, cætera intelliguntur, quæ non sunt, nisi ab Episcopis, & provocat ad c. quamvis dist. 68. ubi referuntur verba Leonis I. Pontificis Romani ex epistolā 88. sed quam itidem constitam esse ostendunt Blondellus in Pseudo-Isidor. p. 568. & Dallaeus de confirmat. lib. 3. cap. 3. Agit ex professo Hieronymus de Episcopi & presbyteri officiis, & quantum illa distent à se invicem, aut inter se convenient, quidq; præcipui habeat Episcopus accurate inquirit, & nihil invenire potuit amplius, quo excelleret ille, præter ordinationem.

XXI. Sed ipsa etiam potestas ordinandi soli Episcopo non competet, nisi lege humana atque Ecclesiastica ita constitutum esset. Quin, si attentius verba Chrysostomi expendantur, satis perspicue ea docent, non aliter Episcopos ab initio hoc ius impetrasse aut acquisivisse, quam per occupationem aut usurpationem. Non ait, datam illis aut concessam vel à Christo, vel ab Ecclesiâ hanc ordinandi potestatem & hanc prærogativam, sed proprium Episcoporum factum causam esse ait istius præminentia: Αναβέβησται, i. e. adscenderunt, sive transgressi sunt conditionem presbyterorum, quos per αναβασιν illam depresso & inferiores reddiderunt. Αναβασιν enim significat adscendere, in altum se extollere, ad superiora tendere, emergere. Ανα quippe hic idem est, quod ανα lussum, ut Lexicographi docent. Similiter & verba, quæ sequuntur, καὶ τὸ πόνον δοκεῖται πλεονεκτεῖν τες περσέας, & hoc unum videntur sibi lucrificisse pre presbyteris, satis ostendunt, de facto hanc potestatem Episcopos sibi primum tribuisse. Πλεονεκτην enim cum accusativo significat fraudare, circumvenire, vi agere, rapaciter agere, aliena eripere, extorquere, præripere alicui commodum. Et in passivo πλεονεκτην est propriè in sortitione, vel distributione ab alio potiores partes sibi vindicante & suam conditionem meliorem faciente justâ parte & portione privari, minoremq; sortiri. Unde pro-

profraudari & circumveniri ponitur, & pro quomodo cunctis alterius potioris adversarii avaritiâ vel ambitione damnum accipere. Differunt scilicet apud Græcos ταλαιοντεῖν πινα, & ταλαιοντεῖν πνεῦ. Qui ex alicujus injuria aut ad alicujus injuriam ταλέον ἔχει, tunc ταλαιοντεῖν ἐκάπερ dicitur. At si simpliciter sine cuiusquam damno aut detimento superior sim illo aliquâ re bonâ, potiorq[ue] mea sit conditio, tunc ταλαιοντεῖν ἐκείνη dicor. Et propter ea, qui aliquem circumvenit, ut ei sua auferat, ταλαιοντεῖν ἐκάπερ, non ἐκείνη. Salmas. de fœn. trapezit. p. 168. Hoc igitur lensu, secundum verba Chrysostomi, Episcopi circumvenerunt & defraudarunt presbyteros potestate ordinandi, eamque illis abstulerunt, & cum injuriâ illorum sibi propriam fecerunt. Neque excusari potuisset ista Episcoporum arrogantia, nisi accessissent Leges Ecclesiasticae usurpationem istam confirmantes.

XXII. Duo hinc, uti dixi, sufficienter probare licet, primò, aetate eâ, (vixit autem Chrysostomus & Hieronymus finiente seculo quarto post natum Christum,) exceptâ solâ ordinatione potestatem Episcopi & presbyteri fuisse eandem, nec plus potuisse Episcopum, quod non aequè potuerit presbyter. Deinde, illam etiam ordinandi potestatem titulo non satis bono ad Episcopos solos per venisse, sed in eâ presbyteros ab Episcopis circumventos atque defraudatos fuisse. Nec tamen propterea improbo constitutiones, quæ deinceps promulgatae fuerunt, Ecclesiasticas, postquam observatum fuit, cedere istam ὑπεροχὴν atque ἐξστίαν Episcoporum, si canonice & prudenter exerceatur, in Ecclesiæ salutem haud contemnendam. Sed quod ita per Ecclesiasticas constitutiones firmatum est, ejus Origo ex jure divino frustra petitur. Nimirum, quæ ad ordinem externum decorum & disciplinam faciunt, illa Christus caput suæ Ecclesiæ distinctè & specialiter non præscripsit, sed ejus prudentia commisit. Generali tantum monito, quid in hisce fieri vellet, significavit, nimirum, ut omnia fiant κατὰ τὸν καὶ ἐνθυμητὸν. Licuit igitur Ecclesiæ quædam munia Episcopo seorsim conferre. Verum ut id faceret, speciale mandatum Christi aut Apostolorum non habuit. Atque adeò si Ecclesia, quod antea probaverat, omittat postea, aut sanctione aliâ permutet, novâ scilicet emergente causa, contra divinam institutionem id fieri dicendum non est.

XXIII. Ex his vero, quæ diximus, manifestum est, non facere nos cum illis, qui in Britanniâ hodie Episcoporum statum abrogatum cupiunt, & Ecclesiasticam ὑπεροχὴν prorsus aversantur, atque omnis inter ministros differentiæ osores existunt. Eorum originem his verbis describit Johannes Lætus in compend. hist. univ. civ. § Eccles. p. 616. Colmannus, Buttonus, Halinghamus, Benjonus, & alii, qui plus ceteris in religione ac puritate sinceri aut esse sibi persuadebant, aut videri volebant, receptam in Anglicanâ Ecclesiâ disciplina, liturgiam & Episcoporum autoritatem in questionem revocare cœperunt,

runt, cùm parum illam à Romanâ in speciem abesse dicerent, & omnes ejus ritus ad præscriptum Genevensis Ecclesie conformari cuperent, qui quanquam Regine iussu mox in custodiam dati sunt, non paucos ad stipulatores habuerunt: ita ut Puritanorum bis initis nomen exoriretur, in Scotiâ bodiè obtineat, nec paucos in Angliâ se ðatores habeat. Verba hæc pleraq; sunt Guilielmi Camdeni ad ann. cl. I. LXVIII. ex quo ista desumptis Lætus. Quod autem de Genevensium Ecclesiâ ait, in eo perstringit Theodori Bezae Puritanorum Patriarchæ institutum & opinionem, qui Episcopi vel Superintendentis gradum non permanentem & fixum, sed mobilem & temporaneum, atq; sic ejus officium annum esse voluit. Cæteroquin nullum omnino gradum inter ministros admittens, quod nec dissimulat Camdenus, in anno cl. I. XXCIIX. Genesiam enormis hujus puritatis scaturiginem fuisse docens. Refutavit hanc & alias Bezae sententias Hadrianus Saravia, & nuperrimè Matthæus Scriverius in apol. pro Eccl. Angl. tūm & alii plures, sed qui plerumq; in alteram partem nimium deflectunt. Longius adhuc excurrunt Puritani in Angliâ, statuentes, totum Episcopi sive Superintendentis officium cum actione definere. Electum scil. hodiè à presbyteris Seniorem ordinare posse alium Ecclesiæ ministrum, sed hoc officio defunctum ab hâc ēz̄ḡt̄ sua excidere, nec ordinare posse plures, integrumq; adeò esse collegio presbyterorum ad instantem similem ordinationem eligere præsidentem alium, qui crastino die idem officium luscipiat & expleat. A quibus omnibus magno discrimine nos abesse, tūm ex iis, quæ supra diximus, tum in primis ex praxi nostrarum Ecclesiarum, abundè constat.

XXIV. Cæterum, quo tempore primùm ἀναβαῖσθαι ista Episcoporum facta sit, non est, ut specificè definiamus. Nec verò, ut rectè notat David Blondellus in apol. pag. 3. putandum est, simultaneo quodam actu in toto orbe institutum fuisse, ut unus de presbyteris electus superponeretur, sed probabile est, jus istud per consuetudinem paulatim invaluisse. Nec dubium mihi est, pleraq; alia Episcoporum jura, quibus illi eminent hodiè, non collata aut usurpata fuisse simul & eodem tempore, sed sensim & tractu temporis vel concessa ab Ecclesia non invitâ, vel occupata & erepta ei fuisse. Quod autem Blondellus putat porrò, ante annum centesimum & quadragesimum nullas tales probationes existere, quibus Episcopis potestatem ordinandi cesisse, firmari queat, quodq; adeo initium schismatis inter Corinthios orti, (ex quo prærogativam Episcoporum natam dixerat Hieronymus) ad istum annum Christi referat, id falsè perstringit Matthæus Scriverius in apol. pag. 55. Sed nos litem istam non faciemus nostram. Sufficit ostendisse, ex sententia Patrum ὑπεροχῆν istam Episcoporum juri divino adscribi non posse. Neq; exigit à nobis debet, ut quod consuetudine invaluisse diximus, fixum aliquod initium habuisse afferamus, aut definitivè id constituumus. Consuetudinis, inquit Franciscus Connarus lib. I. comm. cap. 10. n. 5.

50 CAP. IV. De Distinctione Diœceson & Provinciarum,

& principium nescitur ut plurimum & autor certus nullus citari potest, sed imprudentibus se nobis insinuat, voluntatesq; nostras obscure primum, tunc etiam aperte ipsa sibi conciliat, postremo tantum acquirit autoritatis & gratiae, ut regnet & dominetur lege potentius, &c.

CAP. IV.

De Distinctione Diœceson & Provinciarum,
& ex hâc natâ Distinctione Episcoporum.

I.

Us Canonicum c. 1. dist. 99. ex Anacleti Pontificis Romani epist. 2. hæc notayit verba: Provincie multo ante Christi adventum tempore divisæ sunt maxima ex parte, & postea ab Apostolis & B. Clemente predecessor nostro ipsa divisio est renovata in capite omnium Provinciarum. Ubi dudum primates erant legis seculi ac prima judicaria potestas: Ad quos qui per reliquas civitates commorabantur, quando eis necesse erat, qui ad aulam Imperatorum vel Regum confugere non poterant, vel quibus permisum non erat: Confugiebant pro oppressiōnibus eorum, vel injustitiis suis, ipsoſq; appellabant, quoties opus erat, sicut in lege eorum scriptum erat. Ipsiſ quoq; in civitatibus vel locis nostros Patriarchas vel primates, qui unam formam tenent, licet diversa sint nomina, leges Divine & Ecclesiastice poni & esse jusserunt: ad quos Episcopi, si necesse fuerit, confugerent eosq; appellarent: & ipſi nomine primatum fruerentur. Relique verò Metropolitanæ civitates, que minores judices habebant, licet majores comitibus essent, haberent Metropolitanos suos, qui prædicti justè obedirent primatibus, sicut in legib; seculi ordinatum erat: qui non primatum, sed aut Metropolitanorum aut Archiepiscoporum nomine fruerentur. In margine notavit Antonius Contius in Metropoli Biturigum Professor, hanc epistolam non esse Anacleti, seq; id jam in præfatione monuisse: At præfatio illa nullibi apparet, & nec edita quidem, sed à Censoribus suppressa est, uti manifestum ejus rei indicium facit Johannes Rainoldus in Colloq. cum Hart. cap. 8. sett. 3. Nec tamen propterea quisquam credet censoribus, epistolam istam esse genuinam, & ab Anacleto conscriptam. Quin operam hanc præclarè deinceps & eruditè præstítit David Blondellus in Pseudo Iſiodoro, & cum eo plurimi alii viri cordati atq; eruditi, qui non Anacleti tantum illam epistolam, sed integrum farraginem Decretalium, quam compilavit Iſiodorus Mercator, ad Scombros & ad quicquid amicitur ineptis chartis ut adulterinam & supposititiam amandarunt.

II. Quod ait Pseudo-Anacletus, provincias multo ante Christi adventum tempore divitas esse maximâ ex parte, & postea ab Apostolis & Cle-

Clemente divisionem istam esse renovatam, id non satis cohæret. Divisiones quidem varias & ante Christi adventum alias, alias post nativitatem ejus factas fuisse, nota res est. Divisionem autem eam, quæ ante Christi adventum obtinuit, ab Apostolis renovatam esse, frustra omnino afferitur. Unde enim id probabitur? Et cur vero postquam Augustus Imperator novam Imperii formam introduxit, Apostoli aliam ab ea lequi debuissent? Cur veterem & antiquitatem divisionem, reiectâ noviore & usitatâ, revocare satius putassent? Imò verò in usu semper hoc habuit Ecclesia, ut divisionem civilis Imperii, quoad fieri posset, sequeretur. Quocirca, si qua civitas celebrior esset, & ex Imperio civili propter præfectos in ea constitutos majus aliquod incrementum haberet, etiam Episcopos ejus civitatis majore autoritate præ cæteris polluisse certum est. Nec potuisset sanè Constantopolitanus Episcopus ad fastigium istud ascendere, nisi sedes Imperatoris in civitatem istam translata fuisset. Et sic factum quidem fuit, ut qui in Metropoli alicujus Provinciæ habitaret Episcopus, cæteris ejusdem Provinciæ antecederet, Metropolitam non alia intelligeretur, quam quæ in civili regimine constituta esset. Quod nec ipse Pseudo-Anacletus negare potest, ut adeò frustra dicatur, ab Apostolis renovatam fuisse divisionem Provinciarum ante Christi adventum factam.

III. Crasius adhuc philosophatur Pseudo-Clemens, cuius mentionem fecit Anacletus, quod ab Apostolis & Clemente renovatio Provincia rum facta fuerit. Is enim epist. 1. quam ad Jacobum fratrem Domini scriptum mentitur, ultima Petri Apostoli verba commemorans, si ve potius ex cerebro suo fingens, hunc in modum differit: *In illis civitatibus, in quibus olim apud Etnicos Archiflamines eorum ac primi legis Doctores erant, Episcorum primates ponuntur, vel Patriarchas, qui reliquorum Episcorum judicia & majora (quotiescunque neceſſe foret) negotia in fide agitant & secundum Dei voluntatem, sicut constituerunt Apostoli, ita ut ne quis iniuste periclitaretur definirent. In illis autem civitatibus, in quibus dudum apud predictos erant Archiflamines, quos tamen minores tenebant, quām memoratos Primates, Archiepiscopos institui precepit, qui non tamen primatum sed Archiepiscorum fruerentur nomine. Episcorum quoque judicia (ut superius memoratum est) & majora Ecclesiarum negotia, si ipsi reclamaverint, aut aliquem timorem, aut istos vel alios suspectos habuerint, adjam dictos Primates vel Patriarchas, ne aliquis nocenter periret, transferri per docuit. In singulis verò reliquis civitatibus singulos, & non binos, vel ternos, aut plures Episcopos constitui precepit, qui non primatum aut Archiepiscorum aut Metropolitanorum nomine, quia matres civitatum non tenent, sed Episcorum tantum vocabulo potirentur, &c.* Hæc Pseudo-Clementis verba impoluerunt multis, ut similia alibi observata scriberent, qualia permulta de Britannis suis refert Jacobus Usserius Archiepiscopus Armachanus de Britannicar. Eccles. antiq. cap. 5. Similia invenies apud Gratianum in pr. dist. 21. Andr.

52 CAP. IV. De Distinctione Diocesorum & Provinciarum,

Dominic. Flocc. tive L. Fenestell. de potestate. Rom. lib. I. c. 5. Polydor. Virgil. de inventor. rer. lib. 4. c. 12. aliosq; plures. Sed optimè dudum notavit Joh. Juellus Episcopus Sarisburiensis in defens. apol. pro Eccles. Anglic. part. 2. c. 4. divis. 2. Omnia ista, quæ de flaminum principatu afferuntur, mera esse fomnia, insipida Anacleti & Clementis fabula quādam fundata. Neq; vel non-mina ista imaginaria Archiflaminum ac protoflaminum apud idoneum aliquem Scriptorem veterem reperiri, vel universalem ejusmodi aliquam, quæ ad eos pertineret potestatem.

IV. Prolixius fabulam istam explodit Franciscus Godwinus Episcopus Landavenis de convers. Britann. cap. 3. cuius aliqua verba hīc adscribere operæ erit precium: *Nihil est absurdius, quam somnum illud de Archiepiscoporum & Episcoporum sedibus ad Archiflaminum & flaminum, (si diis placet,) Ethnorum numerum aptandis.* Commentum, pace dixerim doctissimorum Virorum, qui hoc aut tradiderunt aut crediderunt, planè putidissimum & plusquam puerile. --- Hoc etenim fidenter affirmarim, mortalium neminem ostendere posse inter antiquos & verè Romanos Scriptores quempiam, qui de protoflamine aut archiflamine u quam faciat mentionem. Si hoc satis non est, evolvat cui placet quantivis pretiis librum illum inscriptionum antiquarum orbis Romani à Grutero editum. Flamines & Flaminicæ occurserunt ubiq. Protoflaminis verò aut Archiflaminis ne umbra quidem aut vestigium comparebit. --- Clarius est, quā ut possit negari, raro uia venisse, ut non una & eadem civitas plurima haberet Sacerdotum Collegia & sic plures flamines. -- Urbs una Romana non tantum Dialem habuit, sed pro Romulo, Quirinalem, pro Marte Martialem, & ne singulos enumerem, singulis diis singulos flamines attributos. Et ne aliquis omnino numerus eorum iniri possit, Imperatoribus quoq; suis defunctis & in numerum Divorum pro more relatis, templa, sacra, sacerdotes, deniq; etiam Flamines constituebant; Augusto Augustalem, Vespasiano Flaviam, Antonino Titialem, & sic de ceteris, donec adeo crescente divisorum numero, ut universa civitas tot templorum capax brevior non videretur futura, hec ratio tandem inventa est, modum huic rei statuendi. --- Fieri quomodo potest, ut inter illorum Flamines & nostros Episcopos aliqua existat proportionis ratio, cū illi in unaquaq; civitate, ne dicam oppido, plurimos haberent Flamines, nos verò aliquot Comitatibus non raro unum duntaxat præficerimus Episcopum. Hæc Godwinus. Sed videri tamen hic poterunt, quæ pro defensione Pseudo-Clementis & Pseudo-Anacleti ex antiquis inscriptionibus collegit Petrus de Marca *dissertat. de primat. num. 5 & seqq.*

V. Plura addere non libet, præsertim cum fontes, ex quibus fabula ista ortum habuit, planè impuri sint, & mendacissimi impostoris putidum ~~πονηρα~~, Pseudo-Clementis scil. epistola. Fingitur scil. Clemens scribere ad Jacobum fratrem Domini, & significare illi mortem Petri Apostoli, cū tamen constet, Jacobum obiisse multò ante Petrum. Bellarmin. *de scriptor. Eccles. sub Clement. Nicol. Vedel. ad Ignat. epist. part. 2. pag. 15.* Unde ipsi-

ipsum Pontificiæ Monarchiæ Architecti sèpè fidem ei & autoritatem derogant. Johannes de Turrecremata presbyter Cardinalis eam prorsus recitat, uti refert Sixtus Senensis lib. 2. verb. *Clemens*. Et quanquam pro ejus fide ad sudorem usq; laboraslet Franciscus Turrianus Jesuita, persuadere tamen Cardinali Baronio haudquaquam potuit, verum id solummodo consecutus est, ut Baronius eam causam à se amolitus totam in illius humeros rejecerit: *Cujus fidei sint, inquit, ac firmitatis, non labore, consule Turrianum, ad ann. 102. n. 6. & sub n. 7.* addit in margine: NON INNITENDUM APOCRYPHIS, tacitè innuens, Epistolas illas Clementis, quæ circumferuntur vulgo, sublestæ omnino fidei esse. Turriani autem insulsas defensiones ita dejicit & confutavit David Blondellus in *Pseudo-Isidoro*, ut nullo in precio haberí queant, neq; Lectori fucum amplius faciant. Addi poterit Andr. Rivet. in *Critic. sacr. lib. 1. cap. 8.*

V I. Ut de Distinctione Episcoporum, quæ in Ecclesiâ ubiq; terrarum invaluit, exactior habeatur notitia, probè tenendum est, initio nascentis Ecclesiæ nullam talem distinctionem in usu fuisse. Dum enim, uti capite antecedente exposui, nullum inter Episcopos & presbyteros observatum fuit discriminem, quomodo Episcopi inter se differre potuissent? Quod si igitur Episcopus cum Episcopo, sive primus inter ministros unius particularis Ecclesiæ cum alio quovis primo alterius Ecclesiæ conferri debeat, nulla nisi personalis se le exseret differentia, h. e. talis, quæ existit inter personam & personam, quod alia sit persona hujus, alia alterius Ecclesiæ, quoad cætera verò prorsus convenient, & in paritate officii exæquati omnino fuerint. Nec desunt testimonia Veterum, quibus adstruitur, episcopum nulli aliij Episcopo subjectum esse, nec habere superiorem, nisi DEUM. Apud Ignatium in epist. ad Smyrnens. hæc leguntur verba: *Nemo potior est DEO, neque similis ei: neque Episcopo in Ecclesia honorabilior,* ἐπίσκοπος οὐ μᾶλις, h. e. non est quid maius. Et porrò: *Laiici Diaconis subditi sint, diaconi presbytero, presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, sicut ipse Patri.* Et in epist. ad Philadelphens. Presbyteri διάκονοι atque omnis Clerus simul cum omni populo obedient Episcopo, Episcopus verò Christo, sicut Christus Patri. Non adducerem hæc Ignatii testimonia, cum de ejus epistolis diu jam dubitaverint eruditii, nisi essent, qui earundem autoritatem acriter propugnant, & sine corruptelis ad nos pervenisse existimant.

V II. Ejusmodi νόθεας vitio non laborant verba Cypriani Carthaginensis Episcopi, quibus anno CCLVIII. in Concilio à se habito ita allocutus est Patres & coepiscopos congregatos: *Supereft, ut de hac ipsâ re, quid singuli sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes.* Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adgit, quando habeat omnis Episcopus pro licentiâ libertatis δύο potestas-

54 CAP. IV. De Distinctione Diocesorum & Provinciarum,

potestatis sue arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non possit, cum nec ipse possit alterum judicare. Sed expectemus universi judicium Domini nostri Iesu Christi, qui unus & solus habet potestatem & præponendinos in Ecclesia sua guber natione & de actu nostro judicandi. Dubium non est, sugillari in his verbis Stephanum Pontificem Romanum, uti agnoscit Severinus Binius in not. tom. 1. Concil. p. 203. & Cardinalis Baronius ad ann. 258. n. 42. quanquam Pamelius ea de Collegis Cypriani interpretetur, neque ad primatum Pontificis Romani torqueri posse contendat. Probè autem notentur formulæ loquendi, quibus utitur Cyprianus. Ait, omnem Episcopum pro licentiâ libertatis & potestatis sua arbitrium proprium habere: nullum judicari ab alio posse: nullum posse alterum judicare: solum Christum habere potestatem de actu Episcoporum judicandi, & universos Episcopos debere judicium Domini expectare. Quæ omnia tantam inter Episcopos subinнуunt paritatem, ut nulli imperio aut subjectioni locus sit, sed omnes ex æquo, quisq; tamen in sua Ecclesiâ, præsint.

VIII. In eandem sententiam differit Hieronymus ad Evagrium apud Gratian. c. legimus dist. 93. Nec altera Romana Urbis Ecclesia, altera totius Orbis existimanda est. Et Gallia, & Britannia, & Africa, & Persia, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si autoritas queritur, Orbis major est Urbe. Ubiq; fuerit Episcopus, sive Roma, sive Eugubii, sive Constantinopolis, sive Regini, sive Alexandria, sive Thebis, sive Guarmatia, ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdotii. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas vel sublimior vel inferiorem Episcopum non facit. Ceterum omnes Apostolorum Successores sunt. &c. Verba satis perspicua sunt, quibus Episcoporum æqualitatem describit. Exempla adducit amplissimarum tunc & in tenui fortunâ constitutarum Urbium, nihil inde autoritatis accedere ait earum Episcopis, utrosq; esse ejusdem meriti & ejusdem Sacerdotii, & ejusdem etiam potentiae, cum inter Episcopos nullus sublimior sit, nullus inferior. Et concludit inde, nec Romanæ quidem Urbis Episcopum præcipui quid habere, nec debere proinde diaconos ejus Urbis supra conditionem suam intumescere, quod perstringere sibi proposuerat Hieronymus.

IX. Negari tamen nequit, jam inde ab antiquissimis temporibus sedes aliquas Episcopales, & qui eas tenerent, Episcopos præ ceteris eminuisse, & in omni specie honoris priores potioresq; habitos fuisse. Inter presbyteros dixi cap. anteced. eminere & emergere cœpisse illum, qui ordine primus esset vel ætate vel industriâ, cum sine tali ordine nullum Collegium subsistere facile queat. Idem contigit inter Episcopos unius provinciæ, ut cum plures essent, ipsi quoque, dum unum corpus constituent, aliquem servarent ordinem, ex aliis tamen & diversis fundamentis; cum & rariores conventus habere soleant, & causæ, quæ in conciliis istiusmodi tractantur, haud

haud vulgarem disceptationem exigant & plerumq; majoris momenti sint, atque illæ, quæ inter presbyteros expedituntur. Nec verò putandum est, eminentiori illi Episcopo universa ista axiomata, quæ recenserit magno numero hodiè solent, à primis ejusmodi dignitatis initis competiisse ; Sed processu temporum & paulatim ea ad istam ἀκμὴν, in quâ hodiè conspiciatur, pervenit, uti contingere plerumq; solet, si quid consuetudine invalefecit. Ita enim putamus, autoritatem prærogativæ istius consuetudini suos debere natales, eamque sensim productam, ac legibus Ecclesiasticis tandem confirmatam atque auctam fuisse.

X. Cùm verò præcipuum hoc sit consuetudinis requisitum, ut sit rationabilis, ut loquuntur Canonistæ per c. fin. X. de consuetud. non certè caruit consuetudo hæc, quâ hierarchia deinceps succrevit, suo fundamento. Nempe ita observari cœpit in regimine Ecclesiastico, ut majorem autoritatem præ reliquis omnibus haberent Ecclesiæ illæ, quas Apostoli ipsi, & Apostolici Viri, sive discipuli Apostolorum fundaverant. Quod si aliqua controversia oborta fuisset vel circa fidem, vel circa disciplinam, solebant Doctores sæpe numero provocare ad doctrinam in illis Ecclesiis traditam & excultam, & ad mores earum usitatos, ut ostenderent scil. doctrinam suam & disciplinam esse verè Apostolicam & ab Apostolis traditam, eò quod credentur istæ Ecclesiæ Apostolorum vocem adhuc retinere, cum & scriptas ab eis epistolas, doctrinam hanc continent, & propriis Apostolorum manibus exaratas sancte custodirent & conservarent. Sic igitur fiebat, ut etiam Episcopiistarum Ecclesiarum præ cæteris magnam haberent autoritatem in causâ fidei afferendâ, & inde τερποχῆν aliquam tractu temporis consequerentur. Idque naturalis videtur suadere ratio, ut, quæ veluti per traducem propagatæ erant Ecclesiæ, non possent doctrinam ex revelatione ad se devolutam ut certam & incorruptam afferere, nisi eam origini convenientem ostenderent. Quemadmodum in judicis, si qua circa exempla producta nascitur dubietas, semper recurririt ad exemplar sive originale, uti vocatur, ut de conformitate constet. Et hinc ipsæ illæ ab Apostolis fundatæ Ecclesiæ originales & matrices vocari solent.

XI. Elegantia sunt verba Augustini, quibus Cresconium Grammaticum lib. 2. redarguit : *Vos itaq; secundum vestrum errorem vel potius furorem accusare cogimini, non solum Cæcilianum & Ordinatores ejus, verum etiam illas Ecclesiæ, quas in Scripturis Apostolicis & Canonicis pariter legitimis, non solum Romanorum, quo ex Africa ordinare paucis vestris soletis Episcopum, verum etiam Corintiorum, Galatarum, Ephebiorum, Thessalonicensum, Philipponsum, ad quas apertissimè scribit Apostolus Paulus : Hierosolymitanam, quam primus Apostolus Jacobus episcopatu suo rexit : Antiochensem, ubi primò appellati sunt discipuli Christiani, Smyrnensem, Thyatirensem, Sardensem, Pergamensem, Philadelphiaensem, Laodicensem, ad quas est apocalypsis Apostoli Johannis : tot alias Eccle-*

Ecclesiā, Ponti, Cappadocie, Asia, Bitynia, ad quas scribit Apostolus Petrus, & quicquid alids se Paulus ab Hierusalem ad Illyricum Evangelio replevisse testatur, ut taceam de aliis tam latis atque universis terrarum partibus, in quas ex his Apostolicis laboribus & plantationibus porrecta crevit & crescit Ecclesia. Ihas certè Ecclesiā, quas ex literis divinis atque Canonicis nominavi, tam longe ab Africā constitutas tanquam perierint ex peccatis Africorum, accusare cogimini, nec corrigitis errorem, qui vos ad tantum scelus nefariā dissensione compellit. Hoc agit Augustinus, ut ostendat, Donatistas, dum Cæcilianum Carthaginien-sium Episcopum accusant, discedere ab omnibus Ecclesiis Apostolicis doctrinæ & disciplinæ Apostolicæ custodibus, & quæ epistolas Apostolicas ut ἀγαπήν sanctè conservarent, nec proinde excusare errorem suum posse.

XII. Ut clarius eluceat, sententiam nostram de matribus Ecclesiārum, & primigeniā harum ad illas relatione multum valuisse olim in controversiis fidei, non omittenda sunt verba Irenæi Doctoris Augustino multo antiquioris ex lib. 3. adv. hæref. c. 4. quæ hæc sunt : Quid enim & si quibus de aliquâ modicâ questione disceptatio esset, nonne oportaret in antiquissimas recurrere Ecclesiā, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis de præsenti questione sumere, quod certum & re liquidum est. Et cap. 3. Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiārum enumerare successiones, maximæ & antiquissimæ & omnibus cognitæ à gloriissimis duobus Apostolis, Petro & Paulo Romæ fundatae & constituta Ecclesiæ eam, quam habet ab Apostolis traditionem & annunciatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt.

XIII. In eandem sententiam pluribus verbis differit Tertullianus, Irenæo ferè coetaneus, cuius nonnulla ex libro de præscriptionibus hic annotare non pigebit. Sic autem ille cap. 20. Apostoli primò per Judæam contestatā fide in Jesum Christum & Ecclesiis institutis debinc in Orbem profecti eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, & proinde Ecclesiā apud unamquamq; civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ ceteræ exinde Ecclesiæ mutuatae sunt & quotidiè mutuantur &c. Et paulo post : Quid autem prædicauerint (Apostoli) id est, quid illis Christus revelaverit, & hic prescribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesiās, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam vivâ, quod ajunt, voce, quam per epistolæ postea. Si bæc ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matribus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à DEO suscepit &c. Idem cap. 36. postquam hæreticorum cavillationes confutas, Ecclesiās aliquot Apostolicas commemorat his verbis : Age jam qui voleas

voles curiositatem melius exercere in negocio salutis tue, percurre Ecclesiâs Apostolicas, apud quas ipse abduc Cathedrâ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipse authenticè literâ eorum recitantur, sonantes vocem & repreſentantes faciem uniuscujusq. Proximè est tibi Achaja, habes Corintum: si non longè est à Macedoniâ, habes Philippos, habes Thessalonices. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum: Si autem Italiæ adjaces, habes Romanam, unde nobis quoq; au- toritas preſto eſt.

XIV. Quod de matricibus Ecclesiis ait Tertullianus, conformatatem in fide cum illis esse tenendam, satis patet, non alias ibi intelligi, quâm quas ipsi fundarunt Apostoli, cùm sequioribus temporibus matrices Ecclesiæ etiam dicantur omnes cathedrales, sive Episcopales, uti probatur ex c. vi- dentes 12. q. 1. & c. non habenti 12. q. 2. Et hic ferè seculo Irenæ & Tertulliani erat modus procedendi cum hæreticis, multumq; valebat tûm tempo- ris argumentum, si doceri poterat, Ecclesiâs illas, quas Apostoli institu- erant, in eâdem fidei profissione consentire, eâdemq; doctrinam tenere atq; proponere. Negocium scil. sanctis Patribus erat cum illis, qui, cùm ex Scripturis arguebantur, in accusationem vertebarunt Scripturarum, non esse eas tantæ autoritatis, quia variè essent dictæ, & quia non possit ex his inveniri veritas, nonnulli etiam non recipiebant integras vel mirè intor- quebant. Dicebant præterea, non per literas traditam doctrinam, sed per vivam vocem. Cum his talibus quid fecissent exercitatisimi Scriptu- rârum? præsertim aduersus illas hæreses, quæ Scripturas vel prorsus non recipiebant, vel si quas recipiebant, non integras, quas ipsas tamen adje- ctionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertebant, uti loquitur Tertullianus. Talibus ergo, qui traditionibus innitebantur falsis, veris traditionibus occurrentum fuit, quæ tempore illo, quo adhuc in vivis reperiebantur Apostolorum discipuli, facilis via fuit; præsertim Ecclesiis vigentibus, quæ ab Apostolis fuerant institutæ, & apud quas re- cens erat memoria, & praxis adhuc invariata eorum, quæ ab ipsis Aposto- lis acceperant. Quæ quidem procedendi methodus hodiè frustra urge- tur, cùm qui hodiè vivimus homines ab illo Tertulliani ævo & Apostolo- rum temporibus nimium quantum absimus, ut ista sinceræ & non fucatae traditionis *recte* haberi amplius non possint. Sed ne extra oleas eva- gemur, eum tantum in finem Tertulliani, Irenæ & Augustini verba addu- cta à nobis sunt, ut inde constet, quanto in honore primis istis seculis Eccle- siæ ab Apostolis & Apostolicis Viris fundatae, quiq; in illis cathedram tenu- erunt, Episcopi habitu fuerint.

XV. Et hinc scil. optimâ ratione deducitur origo consuetudinis, quâ præ ceteris *æcclesiis* consecuti fuérunt nonnulli Episcopi. Quæ quidem ipsa tenue admodum habuit initium, & ex intentione Doctorum eo tem- pore viventium plane incapax fuit tantæ eminentiæ, quanta deinde affe-

58 CAP. IV. *De Distinzione Diocesorum & Provinciarum,*

ctari cœpit, & hodiè in immensum aucta est. Imò verò ex ipsis principiis surrexit tandem monarchia illa Ecclesiastica, ad quam ipsa Romani imperii majestas tām reverenter olim ab omnibus gentibus habita, paulatim elanguit. Contigit scil. hic idem, quod sēpè alias contigisse in Rebus publicis observavit Aristoteles lib. 5. polit. c. 3. ut ex re minima per inadvertitiam, quod διά τὸ μηρὸν & οὐχὶ τὸ μηρὸν vocat, maximarum rerum momenta orientur & exudent. Nec enim ex minimis ipsis causarum initiis prævideri aut concipi posse insperatus ille, qui aliquando sequitur, eventus potest. Ut gutta paulatim cavat lapidem, nec cavarī vidēmus hunc, sed cavitum esse: Ut arbores non vidēmus crescere, sed crevississe: ita levium hujusmodi incommoda non animadvertisimus, nisi cùm emerserent. Nec obvertere mihi poteris, τὸ μηρὸν istud in eminentiā Ecclesiistarum Apostolicarum consistens, omni virtute caruisse, & utiliter admodum adversus haereticos à sanctis Patribus usurpatum fuisse, nec dici adeo posse, orta exinde fuisse & in Ecclesiam redundasse damna aliqua & incommoda. Verum enim id esset, nisi pravus ille effectus sequeretur præter intentionem ob aliud interveniens, ita ut τὸ μηρὸν istud per se quidem bonum sit, sed bonitatem illam suam non transfundat in ordine ad effectum per accidens. Non animadvertisserunt majores nostri, cùm nunc ædificulam, nunc agellum, nunc pagum, nunc aliud quippiam coenobii & religioni donarunt, quanta exinde mala ad posteritatem obventura essent, quorum insanabilem perniciem pleraque omnia hodiè experiuntur regna. Et quis verò reprehendere tūm ausus fuisset singulares illas liberalitatum & donationum formas? Quis putasset ex bonitate causa perversos istos atque inauspicatos fecuturos effectus? Sed redimus ad id, unde digressi sumus. Diximus autem, ex consuetudine primum natam fuisse hierarchiam Ecclesiasticam.

XVI. Vir summus & in rebus Ecclesiasticis versatissimus Petrus de Marca nostram hanc non omnino improbat sententiam, sed agnoscit, summam apud veteres habitam fuisse rationem earum Ecclesiistarum, quæ ab ipsis Apostolis institutæ sinceriūs fidei traditiones conservasse censebantur. Agnoscit etiam, consuetudini in hac quæstione multum tribui debere. Sed neque in hac consuetudine, neque in privilegio illo Ecclesiistarum Apostolicarum subsistere se velle profitetur, sed ab ipsis Apostolis Ecclesiistarum per provincias divisionem fluxisse contendit. Sententiam suam lib. 6. de concord. sacerd. & imp. cap. 1. his verbis exponit: *Observatum id ab Apostolis in infantia Ecclesie, qui sapienter in Ecclesia retinuerunt civilem imperii Romani dispositionem, in quo DEI religio facilius suscepta est, quam apud gentes barbaras: adeo ut cùm imperii corpus in provincias tributum esset, Orbem quoque ipsi Ecclesiasticum in provincias partiti sint. Rursum cùm in imperio provinciae contributæ essent ciuitati primaria, que Metropolis dicebatur, apud quam magistratus subjectorum causas judicabant, & quod propterea populi frequentius conveniebant,*

bant, quod singulari quodam jure ceteræ civitates à matrice penderent; Apostoli itidem Episcopos in civitatibus constituerunt, eo videlicet ordine, ut penderent ab Episcopo in metropoli sive Urbe primaria collocato. Hæc est mea sententia circa constitutionem metropoleon, quam cum alii Petro & Ecclesiæ Romane acceptam referri debere censeant, alii ex jure divino descendisse, quidam tamen ad vetustam Ecclesiæ consuetudinem referunt. Temperamenti loco esse potest vera sententia; nimurum, consilium illud generale distribuendi Episcopatus in provincias & metropoles ex traditione Apostolicâ esse, cuius clara documenta extant in Sacra Scripturâ; sed executionem & in tot provinciæ sectionem, ex consuetudine Ecclesiastica fluxisse. Acquievisset sine dubio illustrissimus vir in consuetudine hæc, & nobiscum eandem lententiam tenuisset, nisi Romanæ Ecclesiæ primatum planè exortem pro virili defendere juramento seobstrinxisset. Hanc provinciam dum sustinet, ad ipsa Apostolorum tempora referre hierarchiæ institutionem oportuit, ne, si moribus eam invaluisse concederet, Romanæ sedis eminentiæ aliquid detraheretur. Sed nec de consilio illo generali quod de distribuendis Episcopatibus ab Apostolis promanasse dicit, nullib[us] quicquam apparet, nisi in factis illis & supposititiis primorum pontificum decretalibus. Imo vero non consilium tantum, sed ipsam etiam ejus executionem Marca in sequentibus verbis tribuit Apostolis, quando in duabus sele occupari, eaq[ue] probare velle promittit, primum: Apostolos Orbum Ecclesiasticum in provincias distribuisse ad exemplum dispositionis civilis, quæ per illas tempestates viguit in Imperio. Alterum: Apostolos cum Ecclesiæs distribuerent in provincias, in animo habuisse, ut in iis corpus Episcoporum statueretur sub præsidentiâ Episcopi metropoleos. At vero, quod pace tanti Viri dixerim, utrumq[ue] hoc falso isto nititur principio, illico ab initio talem, qualis nunc est, constitutam fuisse hierarchiam. Hinc adeò inquirere oportuit, numquid in Scripturâ Sacrâ inveniri posse, quod hypothesi isti adaptari quocunq[ue] modo queat. Videamus, ut institutum hoc suum prosequatur Vir excellentissimus.

XVII. Primum luculenter probari dicit auctoritate Sanctorum Petri & Pauli: quorum primus, cum destinatus fuisset ad erudiendos Judeos, jamq[ue] in Iudeâ evangelium prædicasset, curam suam convertit ad Judeos tunc prime dispersionis, tunc secunde. --- Abiit itaq[ue] Alexandriam, que Ægypti metropolis erat, & in quâ habitabant Judæi secunde dispersionis, institutoq[ue] illic Episcopo Marco Evangelista, Antiochiam profectus est, atq[ue] hinc Babylonem, ubi degebat hereditarius Patriarcha Judeorum prime dispersionis. Eâ in urbe constitutus scripsit epistolam primam Canonicam. --- Constat eam esse datam ad novos Christianos dispersionis provinciarum Ponti, Galatiae, Cappadociae, Bitynie & Asie, id est, Christianos totidem provinciarum Imperii Romani. Patet igitur, Principem Apostolorum Christianos per provincias compellasse; atq[ue] id eò magis placet, quod distributio illa in his regionibus perseveraverit primis Ecclesiæ seculis.

60 CAP. IV. De Distinctione Diocesorum & Provinciarum,

culis. Quippe semper habuimus provinciam Bityniam, in quā Nicomediā metropolis; provinciam Cappadociam, cuius metropolis erat Cesarea, &c. Ego verò ex verbis Petri nihil aliud colligo, præterquam Ecclesiás, quod in provinciis Romani Imperii constituerit, & quod ad Ecclesiás in illis institutas literas dederit. Quod verò ipse provincias ita instituerit, nec vola nec vestigium apparet. Ecclesia est & fuit semper in Republicā, neq; denominari aut circumscribi aliter potest, nisi ex loco, cui illa quasi affixa est, neq; visibilis esse potest aliter, (de tali enim nunc agimus,) nisi intra fines eiusq; provinciæ, cuiusq; civitatis, cuiusq; pagi & vici. Ecclesiā, quæ Parisiis est, non alio nomine compellabis, nisi Parisiensem. Sic & quæ Lugduni est, Lugdunensis, quæ Arelati est, Arelatensis, quæ Rhōtomagi est, Rhōtomagensis audiet. Et hæc nomina illis inhærent, quamprimum fundamenta Christianæ fidei illic posita fuerunt, et si de regimine aliquo eminentiore nulla adhuc cogitatio suscipi potuerit. Non ideo Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Bityniæ & Asiæ nomina recenset Petrus, quod ipse provincias ita divisorit, sed quod in provinciis illis essent Ecclesiæ à se institutæ, nec aliis nominibus compellari illæ potuerint. Orbis Ecclesiasticus, quem vocat Marca ad institutum sequioris Ecclesiæ pertinet, quæ monachiam fabricavit, & paritatem Episcoporum sustulit. Nec arbitror, Regi Galliæ divisiones provinciarum Romani Imperii ex eâ ratione adscribi posse, quia in illis passim suos habeat Legatos, aut Residentes, uti vocant. Non aliter autem sè habent ἀρχαὶ Ecclesiarum ab Apostolis constituti.

XVIII. Pergimus ad alterum, cuius probationem suscepit Vir illustris, nimirum Apostolos, quām Ecclesiás distribuerent in provincias, in animo habuisse, ut in iis corpus Episcoporum statueretur sub præsidentiâ Episcopi Metropoleos. Evidens, inquit, ejus rei argumentum extat in epistola Pauli ad Titum, ubi scribit, se illum reliquisse Crete, ut constitueret presbyteros per civitates. Ecce Metropolitani institutionem. Atq; is quidem babet auctoritatem ordinandi presbyteros, id est, Episcopos, juxta interpretationem ipsius met. Pauli in versiculo sequente, S. Hieronymi, S. Johannis Chrysostomi & aliorum veterum; ita tamen ut eos ordinet in unâquâq; urbe, οὐ πόλεις. Ecce integrum consilium politie Ecclesiastice. Episcopi in urbibus provinciæ; qui ab uno quodam Episcopo ordinantur, quamvis curi consortio suorum Collegarum, per impositionem manuun presbyteri. Universi quidem Episcopi manus imponunt Episcopo; sed unitantur competit jus vim tribuendi ordinationi, veluti Tito apud Cretam, & ad exemplum illius, unicuiq; Metropolitano in suâ provinciâ. Creta porrò provincia erat Imperii Romani; cuius metropolis erat Gortyna, que prerogativam illam semper in Ecclesiâ servavit. Sed vereor ego, ut ne ad sui magis, quām Apostolici temporis Episcopos respexerit Marca. Ab Apostolis Christianæ fidei propagatoribus constitui utiq; debuerunt, qui curas habe-

haberent animarum, & Ecclesias jam fundatas in verâ fide conservarent, ex illis etiam alias novas, quasi colonias, producerent, & sic regnum Christi dilatarent. Ethoc voluit Paulus, ut Titus, quem in hunc finem in Cre-tâ reliquerat, expediret. Nec tamen illi, qui ita à Tito instituebantur, pres-byteri, tales erant, quales nunc sunt nostri Episcopi, nec ipse Titus in simili schemate Metropolitanus. Et quia Creta insula centum oppida olim ha-buit, *ἐκατόντας* inde dicta, quis crederet, in unaquâq; Urbe talem Episco-pum constitutum fuisse à Tito, qui *τοῦ πάπια* presbyteros constituere jussus fuerat? Quis crederet insulam istam in longitudine millaria Germanica septuaginta, in latitudine quindecim non excedentem, centum Episcopa-tus habuisse? cui nostro tempore octo sufficienes fuerunt. Et sic igitur presbyteri illi, qui *τοῦ πάπια* à Tito constituti fuerunt, rectè quidem Epi-scopi dici potuerunt, sed eo significatu, quem exposui capite antecedente. Imò vero illi sive Episcopi, sive presbyteri, pares omnino erant Tito, neq; is ullam potestatem superiorem aut prærogativam habebat, nisi quod ab Apo-stolo ordinatus esset, & hoc respectu *τερασίας* mereret, quæ omnium *περιτεχνητῶν* communis erat honor. Nec probari potest, Titum fuissæ certæ alicujus Sedis Episcopum perpetuum & ordinarium, certoq; loco quasi affixum, & certâ diœcesi constrictum, habentem sub se Episco-pos, presbyteros, diaconos, præsertim cùm frequentibus itineribus & pere-grinationibus occupatus fuerit. Vid. Hulseman. *manual. contr. Hager.* *disp. 12. p. 505.*

XIX. Manet igitur, quod supra dixi, parum proficere eos, qui ori-ginem hierarchiæ, qualis nunc est, aliunde quam ex consuetudine paulatim invalecente arcessunt. Quia enim præsumebatur olim, doctrinam Apo-stolicam in illis Ecclesiis, quæ ab Apostolis ipsis fundatæ erant, fidelissime omnium conservari, & propterea in causâ fidei ad illos jure optimo provo-cari posse, inde etiam Sedes Episcopales Apostolicæ; quæ hisce Ecclesiis an-nexæ erant, sive ipsi Episcopi, qui hisce Ecclesiis præsidebant, præ cæteris conspicui & magnæ autoritatis erant, quod hi, ut *τύλοι* Ecclesiarum Apo-stolicarum, sanctissimorum suorum decessorum vestigiis infistere & sancta fidei mysteria illibata servare crederentur. Et sane magna orthodoxæ doctrinæ confirmatio accedebat, si quis assertioni suæ ex Scripturis proba-tæ ostenderet etiam illos adstipulari, qui Apostolicas Cathedras tenebant. Hanc conformitatem præcipitanter jam seculo IV. proposuit Theodosius M. in celebri illo edicto, l. 1. C. de summ. *Trin.* quo populos sibi subditos ad Catholicam fidem ab Arrianorum sectâ revocat. *Cunctos populos, inquit, quos clementia nostra regit imperium, in tali volumus religione versari, quam di-vinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usq; adhuc ab ipso insinuata declarat, quamq; Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum-Alexandriæ Epi-*

62 CAP. IV. De Distinctione Diocesorum & Provinciarum,

scopum Virum Apostolicæ sanctitatis: hoc est, ut secundum Apostolicam disciplinam, Evangelicamq; doctrinam Patris & Filii & Spiritus S. unam deitatem sub pari maiestate & sub piâ Trinitate credamus Sc. Romanam & Alexandrinam Ἀρχιεπισκοπῶν proponit Ecclesiæ, quas sequi debeant subditi, quod utraq; tum valde celebris & in verâ fide perseverans esset. Et ne quis putet, solam eorum autoritatem argumentum veræ doctrinæ præbuisse, ipse Imperator simul exponit & præscribit regulam & normam Catholicæ fidei, quam ab utrisq; Episcopis sanctè custoditam afferit. Nec enim opus fuisse tali declaratione, si Theodosius velut Regulam unicam & canonem, Ecclesiæ Romanam eq; consentientem Alexandrinam proponere voluisset, uti recte observat Jacobus Gothofredus ad l. 2. C. Th. de fid. cathol.

XX. Tanto igitur in honore cum passim haberentur Ecclesiæ Apostolicæ, mirum non est, simili prærogativâ claruisse earum præsides aut Antistites. Eminere tamen cooperunt etiam alii, qui non erant sedium Apostolicarum episcopi. Et inter ipsas etiam sedes Apostolicas aliæ aliis celebriores erant, quibus scil. aliunde aliqua eminentia & prærogativæ ratio accedebat. Nempe usi ita obtinebat, ut sedis Episcopalis autoritas inter alia æstimaretur ex autoritate & splendore urbis, in quâ illa continebatur. Quæ enim sedes in primariâ alicujus provinciæ Urbe sive metropoli erat, ea præ cæteris conspicua erat & ipsa, reliquisq; honoratior habebatur. Et sic etiam, qui illas sedes obtinebant, inter Episcopos suæ provinciæ erant primarii. Et hoc itidem consuetudine primum invaluisse videtur. Secuta tamen est seculo IV. Lex Ecclesiastica in Concilio Antiocheno conscripta, quæ etiam rationem exponit istius ἀρχεδεῖας. Verba Canonis noni sic habent: *Episcopos qui sunt in unaquâq; provinciâ scire oportet, Episcopum, qui metropolitæ præfet, curam & sollicitudinem totius provincie suscipere: eò quod in metropolim undequaq; concurrunt omnes, qui habent negotia. Unde placuit, eum quoq; honore præcedere: reliquos autem Episcopos nibil magni momenti sine ipso agere.* Sc. Sic enim per naturam quasi, & humanarum rerum rationem obtinuit, ut in quâvis provinciâ maximæ, majores, & minores inveniantur civitates. Aëtate Antonini Pii Imperatoris, uti legitur in l. 6. §. 2. ff. de excus. tut. maximæ civitates dicebantur illæ, in quibus non tantum erat forum causarum, sed etiam quibus suberant multæ aliæ civitates, merum licet imperium habentes. Majores merum quidem habebant imperium, non tamen sub se alias habebant civitates. Minores sive parvæ jurisdictionis tantum aliquam speciem habebant, quæ dabatur defensoribus civitatum. Vid. Card. Tusclus lit. C. concl. 280. n. 17. Nic. Lollæ de Jur. univer. part. 1. c. 2. n. 20.

XXI. Quia autem Ecclesia hâc in parte æmula fuit regiminiis civilis atq; secularis, operæ precium erit de hujus constitutione paucissimis dispicere, & quasi in compendio nonnulla, quæ huc facere possunt, annota-

re.

re. Nec tamen necesse erit, vel antiquiores, vel recentiores Augusti & Hadriani divisiones recensere, quod eo tempore vel infans admodum Ecclesia Christiana fuerit, vel misera atq; afflita ab illis, qui rerum potiebantur, & summis magistratibus praeerant. Potius est, ut Constantini hic sequamur institutum & provinciarum partitionem, ut illa refertur à Zosimo lib. 2. c. 33. Etenim cum anteriores principes totam Orbis Romani administrationem uni primum, deinde duobus praefectis praetorio credidissent, ille unum hunc magistratum in quatuor imperia sive administraciones discepserit, totidemq; praefectos praetorio instituit, quorum unicuiq; certam assignavit portionem. Primus dicebatur praefectus praetorio Orientis, cui Constantinus totam Aegyptum cum Libyæ pentapoli, & Orientem ad Mesopotamiam usq;, & præterea Cilicos, Cappadoces, Armenios, oramq; maritimam toram, à Pamphyliâ Trapezuntem usq; & usq; ad Castella propter Phasidem sita tradidit. Eidem & Thraciam commisit & Mysiam, Haemæ ac R̄ hodopes ac Doberi oppidi finibus circumscriptam. Præterea Cyprum adjecit & Cyclades insulas; Lemno & Imbro & Samothraciâ exceptis. Secundus dicebatur praefectus praetorio Illyrici, & huic regendos tradiderat Constantinus Macedones, & Thessalos & Cretenses & Græciam & circumiacentes Insulas, & Epirum utramq;, præter has & Illyrios & Dacas, & Triballos & Pannonios ad Valeriam usq; & Mysiam superiorem. Tertio, qui praefectus Italæ dicebatur, totam Italiæ & Siciliam & circumiacentes Insulas, & Sardiniam & Corsicam & Africam à Syrtibus Cyrenen usq;. Quarto, praefecto scil. Galliarum, transalpinos Celtas & Hispanos cum insulâ Britanicâ commisit.

XXII. Hac ratione duo in Oriente constituti erant praefecti praetorio, & duo in Occidente. Portiones cuiq; assignatae tractus dicebantur, ut patet ex l. 13. C. de fund. patrimon. lib. XI. Unusquisq; tractus plures continebat dioeceses, & unaquæq; dioecesis plures provincias. Zosimus dioeceses à provinciis non distinxit. Et hunc constat ratio differentiæ, quâ à Zosimi enarratione abit notitia Imperii. In hac namq; Praefecto Praetorio orientis quinq; dioeceses subjectæ leguntur: Oriens, Aegyptus, Asiana, Pontica & Thracia. In Oriente quindecim continebantur provinciæ: Palæstina, Phœnice, Syria, Cilicia, Cyprus, Arabia, Isauria, Palæstina salutaris, Palæstina secunda, Phœnico Libani, Euphratensis, Syria salutaris, Osdroëna, Mesopotamia, Cilicia secunda. In Aegypto sex numerabantur provinciæ: Libya superior, Libya inferior, Thebais, Aegyptus, Arcadica, Augustanica. Ad Asianam dioecesin decem referebantur provinciæ: Pamphilia, Hellespontus, Lydia, Pisidia, Lycaonia, Phrygia Pacatiana, Phrygia salutaris, Lycia, Caria, Insulæ. Pontica dioecesis itidem decem habebat provincias: Galatiam scil., Bithyniam, Honoriadem, Cappadociam primam, Cappadociam secundam, Pontum Polemoniacum, Hellenopontum,

64 CAP. IV. De Distindione Diœceson & Provinciarum,

pontum Armeniam primam, Armeniam secundam & Galatiam salutarem. Thracia sex provinciis constabat, quæ erant Europa, Thracia, Hæmimontus, Rhodope, Mœsia secunda, Scythia. Atq; hinc constat, unicam illam diœcesin, quæ sub regimine præfecti prætorio orientis erat, quadraginta septem provincias comprehendisse, quæ singulæ vel à Comite Orientis, vel à præfecto Augustali, vel à Proconsule, vel à Vicariis regebantur, ut à magistratibus minoribus & præfecto prætorio subordinatis.

XXIII. Eodem modo imperium occidentale septem comprehendebat diœceses, unaquæq; rursus aliquot provincias. Præfecto namq; prætorio Galliarum subjecta erat Diœcesis Gallicana, quæ ex leptendecim provinciis Galliarum constabat: Diœcesis Britanniarum ex quinq; provinciis: Diœcesis Hispaniarum ex septem provinciis. Ita ut totus istetractus constaret ex 29. provinciis. Sub præfecto prætorio Italæ erat diœcesis Africana sex continens provincias: diœcesis Italica septem provincias: diœcesis Romana decem provincias comprehendens. Tandem præfetus prætorio Illyrici septendecim provincias regebat. Omnium & singularum istarum provinciarum nomina hic exprimere, non patitur institutum. Et disci illa poterunt ex notitiâ Imperii, quæ passim prostat. Singulæ istæ provinciæ suas habebant metropoles, quas vel frequentia populi, vel præfectorum potestas, vel judiciorum ordo commendabat. Ita in Bithyniâ e.g. eminebat Nicomedia, in Ponto Amasea, in Galatiâ Ancyra, in Achajâ Corinthus, in Macedonia Thessalonica. Sed & inter metropoles ipsas erant, quæ præ cæteris in totâ diœcesi excellebant, quibusq; propterea primæ tribuebantur partes. Ita e.g. in Ægypto lex erant provinciæ, & in illis eminebat Alexandria: in undecim Orientis provinciis Antiochia: in decem Ponti provinciis Cæsarea Cappadociæ: in decem Asianæ provinciis Ephesus: in sex Thraciæ provinciis Heraclea Europæ, quondam Byzantium. Eodem modo in diœcesi Italica excellebat Mediolanum: & in Illyrico Orientali, cuius undecim erant provinciæ, Thessalonica, & in sex provinciis Illyrici Occidentalis Sirmium præcipua erant civitates.

XXIV. Ex hâc celebritate civitatum nata est autoritas & *πρεσβεία* Episcoporum in istis civitatibus residentium. In provinciis primus & præcipuus erat ille, qui in metropoli sedem suam habebat, Metropolitanus proinde dictus. Et hoc est, quod dicitur in can. 9. Concilii Antiocheni, Episcopum, qui metropoli præst, honore præcedere debere, τῇ πρᾶτη πρεσβείᾳ ἀντὸν. In diœcesibus primus erat, qui in cuiusq; diœceles civitate nobilissimâ sedem fixerat. Et isti tales aliquando exarchi diœceles, aliquando patriarchæ dicebantur. Diœceles in utroq; imperio erant undecim, sex in Occidente, & quinq; in Oriente. Earum totidem erant Rectores Ecclesiastici, quorum auctoritas præcipue in convocandis totius diœceles Synodis spectabatur, quibus & præsidebant; eaq; concilia generalia quandoq; etiam

etiam universalia dicebantur, ex universâ nempe dioecesi congregata. In Ægypto sex erant provinciæ, & ejus dioeceseos Exarchus erat Episcopus Alexandrinus, qui & patriarcha dicebatur, atq; is convocabat Synodum dioeceseos Ægyptiacæ, id est, Synodum sui patriarchatus, omnes scil. provinciarum dioeceseos sive Metropolitanos & Episcopos. Patriarcha Antiochenus convocabat dioecesin Orientalem, h. e. Episcopos ex undecim provinciis in Oriente. Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, quæ caput erat universæ dioeceseos Ponticæ, Synodum ejus dioeceseos congregabat. Asia na dioecesis decem habebat provincias, quarum prima Ephesum metropolin continebat. Ephesus ergo Metropolita Exarchus dicebatur dioeceseos Asianæ, Synodoq; generali ejus dioeceseos præsidebat. Thracia sex habebat provincias, prima erat Europa, Metropolis ejus Heraclea; Heracleæ ergo Episcopus Exarchus dioeceseos Thracicæ dicebatur, & in synodo istius dioeceseos primas tenebat.

XXV. Ne verò quisquam decipiatur promiscuo, qui irrepit, vocabulorum usu, explicanda hic nobis erit æquivocatio, cui subjacent voces, dioecesis & Exarchus. Dioecesis jam inde à Constantini M. temporibus junctam plurium inter se provinciarum administrationem denotavit. Et describitur à Theodoro Balsamone ad can. 9. Concil. Calchedonens. quod sit ἡ μῆλας ἐπαρχίας ἔχουσα σε εἰστῆ, quod multas sub se habeat provincias. Sic enim distinguitur dioecesis à provinciâ in l. 9. C. Theodos. de legat. & decret. l. 14. C. de fund. patrimon. lib. XI. eaq; significatio valde usitata est tūm Conciliorum actis, tūm apud veteres Ecclesia Doctores. Aliquando tamen Dioecesis vox pro provinciâ usurpata est. Hoc enim in significatu occurrit apud Hincmarum, quando epistolæ sive 9. inscriptionem facit: *Dilectis fratribus & venerabilibus Episcopis Remorum dioeceseos.* Qui tamen alibi in epist. ad episcopos de jure metropolitanorum cap. 4. dioeceseos vocabulo in ampliore & jam explicato significatu utitur, dum ait: *Santa Romana Ecclesia plures metropolitanos in speciali suâ dioecesi habet. Similiter & Alexandria Ecclesia in suâ dioecesi: Sed & Antiochena sedes nonnullos metropolitanos in suâ dioecesi habet.* Nonnunquam etiam pro Episcopatu tantum seu territorio Episcopi sumitur, idq; hodiè malo more fieri dicit Paulus Dumay ad Innocentii III. epist. 86. lib. 15. Ut plurimum enim hodiè ita usurpatur. Imò verò parochiam tantum sive pè denotat, sed admodum restrictè & per abusum. Vid. Jac. Sirmond. ad Apollinar. Sidon. lib. 9. epist. 16. Christoph. Jusstell. ad cod. canon. Eccles. African. can. 56. & ad cod. can. Eccles. univ. can. 165. Jacob. Gothofred. ad l. 9. C. Th. de leg. & decret. Petr. de Marca de concord. sacerd. & imp. lib. 6. c. 16. n. 2. Propriè autem territorium illud vel regio universa, quæ sub Episcopo civitatis erat, ἐποχία dicebatur & παρονία: Provincia verò, quæ sub Metropolitanu, ἐπαρχία dicebatur: Complexio tandem plurium provinciarum sub Patriarchâ, διοικησις.

66 CAP. IV. De Distindione Diœcœson & Provinciarum,

XXVI. Pari modo etiam Exarchi vocabulum diversimodè usurpatur. Ἐξάρχης in genere significat Ducem, autorem aut principem aliquius rei conficiendæ vel constituendæ. In jure Ecclesiastico-duplices inviuntur exarchi, qui per adjectionem vocabuli à se invicem distingui solent, dum alii exarchi ἐπαρχίας dicuntur, alii exarchi ἀρχιεπίσκοπος. Piores illi Metropolitas denotant, qui provinciæ præsunt. Ita enim vocabulum id explicat Synodus Sardicensis can. 6. διὰ χαρμάτων ἐξάρχης ἐπαρχίας, λέγω δὲ Ἀποκόπης ἢ μητροπολεως. Postiores patriarcha dicebantur aliquando, aliquando etiam Primates. Hinc adeo cum in Concilio Calchedonensi can. 9. constitutum esset, ut si cum provinciæ Metropolitano Episcopus vel Clericus controversiam habeat, diœcœsis exarchum is aeat, recte interpretatur Aristenus, diœcœeos exarchum sive Patriarcham, cui subest provinciæ illius metropolitanus. Malè autem Balsamon: *Provinciæ exarchus est, ut mibi quidem videtur, non uniuscujusq; provinciæ Metropolitanus, sed Metropolitanus totius diœcœsis.* Ac si Metropolitanus aliquis præter Patriarcham toti diœcœsi præset. Diffidenter admodum & dubie Zonaras: *Exarchorum porro diœcœsanorum nomine nonnulli Patriarchas, alii Metropolitanos intelligi volunt.* Optimè Justinianus in novell. 123.c. 22. dum Calchedonensem istum canonem lege publicâ confirmat, exarchum, diœcœeos illius Patriarcham vocat. Nec aliter Dionysius Exiguus, Justiniano coetaneus, qui exarchum diœcœeos, primatem diœcœeos vocat, eum nimis, qui primam & præcipuam diœcœeos sedem tenet, & cui tota diœcœsis quo-ad regimen Ecclesiasticum subjecta est.

XXVII. Ex illis, quæ à nobis dicta hactenus sunt, satis intelligi potest, quæ ratione Hierarchia Ecclesiastica invaluerit. Initio quidem Christianismi tota Ecclesiarum gubernatio Aristocratica ferè erat, cùm communi consilio presbyterii regerentur. Postea vero, cùm schismata subinde nascerentur, ut illis obviam iretur, ad monarchicum regimen sensim inclinare coepérunt, inspectionis præcipuâ curâ ad Episcopum delata, cui omnes reliqui Ecclesiæ ministri, tum & reliqua membra haud gravatim parabant. Episcopi ipsi, quorum Ecclesiæ in eâdem erant provinciâ, propter mutuum, quod inter le habebant commercium, Synodis regebantur, & quò facilior esset regiminis ratio, quod in provinciis singulis Metropoli multum tribueretur, illi Episcopo, qui in metropoli sedem suam habebat, plurimum deferebant. Tandem propter ampliorem communionem, quæ inter omnes provincias unius diœcœeos & præfectura intercesserat, illius civitatis Episcopus, in quâ Præfectorus residebat, consuetudine supereminentiam quandam & singularem prærogativam obtinuit. Ejusmodi præfeturæ erant Romæ in civitate Imperiali: Alexandriæ, quæ regebat Aegyptum, Libyam & Pentapolin: & Antiochiæ, quæ complectebatur Syriam, aliasq; Orientis provincias. Haud aliter servatum in minoribus præfeturis,

eturis, quas eparchias vocatas dixi. In illis enim, qui metropoliticam tenebat sedem, cæteris autoritate potior erat, majori; honore dignus habebatur.

XXVIII. Et hoc est, quod dixi, populi frequentiam & civitatum opportunitatem atq; commoditatem effecisse, ut in Ecclesiâ ratio habetur dignitatis, quam civitas in provinciâ aut dioecesi obtinebat, respectu imperii civilis. Ut maximè enim Ecclesia civitati alicui plus deberet, vel propter originem, vel propter incrementa Christianæ fidei, quibus ea præ cæteris excellebat, detrahere tamen illa alteri, quæ propter imperium aut in imperio præstantior erat, omnino noluit. Hierosolymorum Urbs electum erat Dei habitaculum, quo se habitaturum promiserat, 1. Reg. VIII, 2. 2. Cbron. VI, 6. Ex eo loco juxta vaticinum Christi prodierat Evangelium Luc. XXIV, 47 & in eo Christus Evangelium prædicaverat, ut merito metropolis fidei dici potuerit. Et eam ob causam speciali honore dignus habebatur ejus Urbis Episcopus; nihilominus tamen πόλις metropolitica non acceperat, sed salvum illud manxit Episcopo civitatis Cæsareae Palestinae ex constitutione Concilii Nicæni can. 7. eò quod jam inde à temporibus Vespasiani Cæsarea provinciæ illius caput atq; metropolis esset, cuius proinde Episcopo subjectus esse jubebatur Episcopus Æliensis sive Hierosolymitanus.

XXIX. Nec tamen asserere velim, semper & ubiq; civitatem honore civili decoratam pari privilegio in Ecclesiastico regimine gavilam fuisse, præsertim si mutatio aliqua incidisset, & Imperatoribus alia provinciarum divisio placuisset. Illustre è de re exemplum in actis Concilii Calchedonensis occurrit, quod summatim & quasi in compendio refert Cardinalis Baronius ad ann. Christi CCCCLI. n. 96. seqq. & Severinus Binius in not. ad Concil. Calchedon. pag. 183. Phœnicia scil. secundum dispositionem Ecclesiasticae civili æmulam ex Tyro civitate regebatur, quæ erat provinciæ metropolis. Theodosius Imperator Phœniciam istam in duas provincias diviserat, & Berythum Secundæ metropolin constituerat. Orta hinc controversia inter Photium Tyri & Eustathium Berythi Episcopos, dum Eustathius Episcoporum querundam ordinationem & administrationem Ecclesiarum quarundam fibi vindicabat, eò quod novæ metropoli civitates Byblon, Botys, Tripolis, Orthosias, Arias & Antaradon à Theodosio subjectæ essent. Restitit Photius, sed in Synodo Constantinopolitanâ damnatus cedere jure suo coactus fuit. Chalcedone ergò cum in Concilio maiore numero congregati essent Episcopi, controversiam eam resuscitavit Photius, & causâ de integrō actâ, pronunciariunt judices, secundum canones Concilii Nicæni Photium totius Tyriorum metropolis omnem potestatem ordinandi in universis civitatibus Phœniciae provinciæ habere, Eustathium verò à sacro pragmatico typō nihil amplius sibi vendicare debere,

68. CAP. IV. *De Distinctione Dicēseōn & Provinciarum,*

quām reliquos ejusdem provinciæ Episcopos. Et hæc controversia materia substravit canonii duodecimo ejusdem Concilii, qui ita se habet, ex versione Dionysii Exiguī: *Pervenit ad nos, quod quidam præter Ecclesiastica statuta facientes, convolarunt ad potestates, & per pragmaticam formam in duo unam provinciam diviserunt, ita ut ex hoc factō duo Metropolitani esse videantur in unā provinciā.* Statuit ergo sancta Synodus de reliquo nibil ab Episcopis tale tentari, alioqui, qui hoc admissus fuerit, amissione gradus proprii subjacebit. *Quæcunq; verò civitates literis imperialibus Metropolitani nominis honore subnixæ sunt, bonore tantummodo perfrauantur, & qui Ecclesiam ejus gubernat Episcopus: salvis scil. vere Metropolis privilegiis suis..* Partem hujus canonis refert Gratianus dist. 101. Et exinde discimus, Rempublicam quidem Ecclesiasticam formatam ab initio fuisse ad normam Reip. civilis, sed non utramq; æque mutatam fuisse; nihilominus tamè in Ecclesiâ quoq; Episcopum digniore loco habitum, qui præcesset civitati noviter ab Imperatoribus inter metropoles connumeratae. Hinc enim confirmatur assertio supra tradita, dignitatem Urbium dignitatem contulisse Episcopis, ut maximè non idem dignitatis genus semper collatum fuerit.

XXX. Ex adducto Concilii Calchedonensis canone hoc insuper observo, non improbari institutum Imperatorum provincias dividentium, sed improbari conatum & ausum Episcoporum ejusmodi divisionem svalentium eamq; ambitione perentium. Credebatur enim Eustathius, ut dignitatem Ecclesiæ suæ & Urbi conciliaret, divisionem provinciæ à Theodosio petiisse atque impertrasse. Unde & Eustathius, ut se excusaret, reposuit, non à sé invala jura Tyriæ Ecclesiæ, sed factum esse lege Imperatoris, consuetudinisq; esse, Imperatores metropoles facere. Nec tamen, si attentius consideretur, ratio decidendi, quā moti Pàtres Chalcedonenses pro Photio sententiam dixerunt, videtur satis accommodata. Provocant nempe ad canonem quartum Concilii Nicæni, quo jubetur uniuscujusq; provinciæ esse debere unum metropolitanum Episcopum. At verò hoc non erat in quæstione, & manebat utiq; uniuscujusq; provinciæ unus tantum Episcopus metropolitanus, divisâ jam provinciâ. Non enim negari potest, post divisionem factam, utramq; portionem, quæ pars antea fuit totius, non partem amplius esse, sed ex se totum & integrum constituere, & singularem nunc esse provinciam. Quidnî igitur unaquæq; earum provinciarum peculiarem suum habere potuit Metropolitanam. Et hæc quidem pro suâ defensione allegare optimo jure poterat Eustathius, nihilominus tamen in alia omnia discessit Synodus, neque voluit Tyri Episcopo quicquam decedere. Et sic etiam ante Concilium istud generaliter definitus Innocentius I. Pontifex Romanus in epist. 18. ad Alexandrum Episcopum Antiochenum: *Quod sciscitaris, utrum divisis imperiali judicio provinciis, ut due Metropoles siant, sic duo Metropolitani Episcopi debeant nominari: non verè visum est,* ad

ad nobilitatem necessitatum mundanarum DEI Ecclesiam commutari, honoresq; aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator. Ergo secundum pristinum provinciarum morem, Metropolitanos Episcopos convenit nominari. Vera ejus rei causa mihi videtur ista, quod jam eo tempore dignitas Episcopalis paupertatem ferre haud poterat, & sic augeri potius volunt Episcopi facultates & redditus suos, quam imminui.

XXXI. Notat autem Zonarus ad dictum canonem Calchedonensem, ejus autoritatem obsoleuisse; nec defuisse Imperatores, quorum edictis Episcopales Ecclesiae ad Metropolitanam fastigii culmen evectae essent. Eandem sententiam tenet & haud paulo latius exponit Balsamon. Nec videntur mihi Pâtres Calchedonenses ita statuisse, nisi libera eis ab ipso Imperatore Marciano, quem imploraverat Photius, relicta fuisset potestas, qualem non habuit Synodus anterior Constantinopoli habita. Quæsiti enim judices ab Eustathio, num secundum canones Ecclesiasticos, an vero secundum leges Imperatoris causa dirimenda esset? responderunt: *Sacratissimo Domino Orbis placuit, non juxta sacras Imperatoris literas & pragmaticos typos, res sanctissimorum Episcorum procedere, sed secundum canones à sanctis Patribus datos.* Quod igitur deinceps pronunciavit synodus, id fecit ex potestate sibi concessâ & ab Imperatore liberaliter collatâ, partemq; istam majestatis, in res & negotia Ecclesiastica sibi competentem interim suspenderente. Nolim tamen propterea Episcopatum institutionem Regibus & Principibus adimere, quum in ea potestatis Ecclesiastice parte quam maximum sele exserere queat jus patronatus Regium, & Principi incumbat, externam in Ecclesiâ disciplinam potestate suâ *reprobare* ordinare & instruere. Sanè Zenonis Imperatoris ex Isauriâ redeuntis prima hæc fuit cura, ut rescinderet ea, quæ à Basilisco per Concilii Calchedonensis damnationem fuerant decreta. His, inquit, l. 16. C. de SS. Eccles. quæ contra Ecclesias --- nec non & reverendissimos eorum Antistites, seu de jure Sacerdotalium creationum, seu de expulsione cuiusquam Episcopi à quolibet his temporibus facta, seu de prærogativa in Episcorum concilio vel extra concilium ante alios residendi, vel de privilegio metropolitano vel patriarchico sub iisdem impiis temporibus penitus antiquandis: ut cassatis & rescisis, que per hujusmodi sceleratas iussiones aut pragmaticas sanctiones, aut constitutiones impias, sive formas subsecuta sunt, que a diva recordationis retrò principibus ante nostrum imperium, & deinceps à nostra mansuetudine indulta vel constituta sunt, super sanctis Ecclesiis, & martyris, & religiosis Episcopis, & clericis aut monachis inviolata serventur. Sacrosanctam quoq; hujus religiosissime civitatis Ecclesiam & matrem nostram pietatis & Christianorum orthodoxæ religionis omnium, & eisdem regiæ Urbis sanctissimam sedem privilegia, & honores omnes, super Episcorum creationibus, & jure ante alios residendi, & cetera omnia, quæ ante nostrum Imperium vel nobis imperantibus habuisse dignoscitur, habere in perpetuum firmiter, regie Urbis intuitu judi-

camus & sancimus. Ut ex verbis patet, ausus fuerat Basiliscus jura Metropolitica & Patriarchica evertere, novamq; Ecclesiarum faciem introducere, atq; id emendare suâ hâc constitutione voluit Zeno rerum potitus, suarum esse partium arbitratus, ut de metropolitarum finibus atq; privilegiis decerneret ipse.

XXXII. Longius adhuc progressus est Valentinianus III. Imperator, qui Ravennatem Ecclesiam in Archiepiscopalem ac totius Aemiliae metropolitanam evexit, si vera & genuina est ejus constitutio, quam ex Hieronymi Rubei commentariis recenset, sed atro carbone notat Cardinalis Baronius ad ann. Christi CCCXXXII. n. 92. ut genuinam tamen defendit Marcus Antonius de Dominis de Rep. Eccles. lib. 6. n. 5. n. 136. Res ea altioris est indaginis & Criticum acumen desiderat, quod ab aliis expectare malo, præfertim cum alia adhuc suppetant certioris fidei argumenta. Eadem enim potestate etiam Justinianus Imperator Novell. 11. Justinianam primam patriam suam tanto honore affecit, ut Ecclesiam ejus non metropolitanam tantum, sed Archiepiscopalem etiam declaraverit, eq; subjecerit septem provincias. Verba ejus constitutionis nonnulla operæ pretium erit hic adnotare: *Multis, inquit, & variis modis nostram patriam augere cupientes, in quâ primò DEUS præstit nobis ad hunc mundum, quem ipse condidit, venire, & circa sacerdotalem censuram eam volumus maximis incrementis ampliare, ut prime Justiniane patriæ nostræ pro tempore sacrosandus Antistes, non solum metropolitanus, sed etiam Archiepiscopus fiat: & ceteræ provincie sub ejus sint autoritate, id est, tam ipsa mediterranea Dacia, quam Dacia Ripensis, nec non Mysia secunda, Dardania & Prævalitana provincia, & secunda Macedonia, & pars secunde etiam Pannonia, quæ in Bacensi est civitate. Deinde refert, ut ipsam etiam præfecturam, quæ antea in Thessalonicâ Urbe posita fuerat, in Justinianeam primam transpoluerit. Et ideò, inquit porrò, tua beatitudo & omnes præfatae prime Justiniane sacrosancti antistites, archiepiscopi habeant prærogativam, & omnem licentiam, suam auctoritatem eis impetriri, & eos ordinare, & in omnibus suprascriptis provinciis primam habere dignitatem, summum sacerdotium, summum fastigium, à tuâ sede creentur, & solum Archiepiscopum habent, nullâ communione ad eum Thessalonicensi episcopo servanda. &c.: Solus Imperator Archiepiscopalem istam sedem erexit, suamq; per totam novellam unicè profitetur auctoritatem, nullâ factâ mentione Pontificis Romani, nullâ ad ejus consensum interpositâ provocatione. Fandem dignitatem cum repetitâ constitutione confirmasset Justinianus in Novell. 131. c. 3. ait quidem, debere novum Archiepiscopum in subjectis sibi provinciis locum tenere Apostolicæ Sedis Romanæ, secundum ea, quæ definita sunt à sanctissimo Papâ Vigilio; Sed verba ea satis clare ostendunt, Papam Vigiliū augmentum aliquod dignitati isti addidisse, & Archiepiscopo novo à Justiniano jam constituto vices suas delegasse per illas provincias, quæ in patri-*

patriarchatu Occidentis sitæ erant. Et sic igitur voluit Imperator eum
 ἦ τὸν ἐπίκειον τὸν Αὐτοκλητὸν Ράμφον Θρόνον, καὶ τὰ ὀρθότερά τοῦ τοῖς
 Πάπα Βιζαντίοις.

XXXIII. Similiter in jure Græco Romano lib. 2. adducitur Alexii Comneni Imperatoris Græci constitutio, quâ sibi episcopatus in metropoles erigendi jus prolixè afferuit. Occasio ejus fuit, quod defunctis Basilæi, Madytorumq; Metropolitanis, in eas Ecclesias Heracleensis & Ancyranus Episcopi, ille quidem in Ecclesiam Madytorum, hic in Basylæi Ecclesiam jus Metropoliticum sibi vindicarent. Cumq; dicti Metropolitani (sic habent verba) canone duodecimo Synodi Chalcedonensis usi essent, quo decernitur, ut salva sint veteri metropoli jura, que in Ecclesiam majorior natam honore habet, promulgata est Imperatoria sententia, presente Synodo, communiq; tunc suffragio decernente, ut Imperatori permisum sit praesidentiae thronum Ecclesis largiri, & tam episcopatus quam archiepiscopatus in metropoles erigere: queq; pertineant ad electiones in his faciundas, ceteraq; rete constituenda pro libitu suo disponere, circa ullum canonis illius impedimentum, qui decernit, ut salva sint metropoli jura sua, que in episcopatum honore auctum jam pridem habet. Sc: Verba hæc, uti inscriptio habet, sunt ex scriptis Bal-
 samonis, & constitutionem Imperatoris, quam prolixam admodum dicit, quasi in compendium contrahit.

XXXIV. Etsi autem jure suo sibi vindicaverint hanc potestatem Imperatores, ipsa tamen institutio Archiepiscoporum & Patriarcharum moribus & consuetudine primum invaluit. Idq; ut de omni ferè jure Ecclesiastico statuere haud veretur Franciscus Bosquetus ad Innocentii III. epist. 136. lib. 1 ita circa jus metropoliticum & patriarchium præcipue obtinuisse confidentur afferit. Et huic assertioni efficaciter assistit diaconus canon VI. Concilii Nicæni, qui ut Episcopo Alexandrino, perinde ut Episcopo Romano, jura patriarchica vindicet, utrinq; ad mores & jus consuetudinum provocat, eosq; adhuc obtinere debere prescribit. Nec enim ante hanc Concilii Nicæni definitionem Lex aliqua Ecclesiastica, circa hoc negocium extitit, ut recte hinc afferat Bosquetus, quod jus hoc mos primùm induxit, constitutio confirmaverit. Ex quo sequitur, ante quartum seculum Christianum metropolitanorum jura consuetudine tantum & tacito populi suffragio innixa fuisse. Quo autem tempore, quo anno, quibus consulibus ea primum ceperint, ut determinemus, nemo à nobis exigit. Lenta sunt consuetudinis initia, nec observatur ea prius; quam per aliquot actus invaluit. Quod autem ante Nicænum Oecumenicum concilium consuetudine obtinuerat, id deinceps in ipso Concilio ecclesiastica sanctio ne est stabilitum.

XXXV. Sanctioñi huic Meliti cujusdam Episcopi in Ægypto temerariam invasionem occasionem prebuisse, historiæ Ecclesiastice Scriptores

72 CAP. IV. De Distinctione Diocesorum & Provinciarum,

ptores produnt. Turbarat ille jura Alexandrini Metropolitani, quæ hic in ordinandis Episcopis per tres provincias, Ægyptum, Libyam, & Pentapolim jam à multis annis exercuerat. Ita enim refert Sozomenus lib. 1. c. 24. eum, dum Petrus Episcopus Alexandriæ, qui postea martyrium consummavit, ob lævientem tunc persecutionem fugisset, ordinationes ad illum pertinentes sibi vindicasse. In indiculo, quem Alexander successor Petri post Synodum Nicænam ab eo exegisse dicitur, quiq; extat apud Athanasium *apolog.* 2. *adversus Arianos*, octo & viginti recensentur Episcopi à Melitio ordinati. Eorum omnium ordinatio ad Alexandrinum Episcopum ex vetere consuetudine pertinebat, & Melitius injustè usurpaverat. Decrevit igitur Synodus, ut Melitius ipse in Urbe Lyco degeret, solo Episcopi nomine contentus: nec deinceps five in Urbe, five in vico ordinationem ullam facheret. Hi verò, qui ab illo priùs ordinati fuissent, communionem quidem ac ministerium suum reinerent, reliquis tamen Clericis per singulas Ecclesias ac parcerias constitutis, honore inferiores essent. Ita tamen, ut in locum morientium per ordinem succederent, dummodo plebis suffragio judicarentur idonei, Episcopo Alexandriæ electionem eorum nihilominus confirmante. Vid. Sozom. d. l. Socrates lib. 1. cap. 9.

XXXVI. Hæc fuit occasio canonis Nicæni, in quo quidem neq; Melitii, neq; *καροβίλιος* ab eo exercitæ nulla fit mentio expressa; Dum tamen Alexandrino Episcopo vetera sua jura confirmantur, ut nimirum per tres provincias Episcopos ordinare pergeret, eo ipso Melitii petulantia tacitè retunditur. Non autem Alexandrini tantum, sed reliquorum etiam Episcoporum, qui metropolitanas sedes tenebant, & patriarchica jura exercebant, privilegia simul confirmantur. Nimirum quemadmodum cuiuscunq; dicti occasio sèpè est specialis, ipsum verò dictum inde natum & prolatum generale: ita etiam in legibus ferendis fit, ut occasio illarum specialis planè sit, ipsæ verò generales esse intelligantur, & ad omnes similes causas quandocunq; emergentes applicari debeant. Sed ne quis cavilletur deinceps, disertè hoc suum decretum ad reliquos etiam metropolitanos extendunt Patres Nicæni. Similiter, inquit, § in Antiochia § in aliis provinciis privilegia servantur Ecclesiis. Et addunt: Illud omnino manifestum est, quod si quis preter sententiam Metropolitani factus sit Episcopus, bunc magna Synodus statuit, non oportere esse Episcopum. Nobis verò in præsenti hoc tantum notatu dignum videtur, quod Nicæni patres jus istud metropolitanum non aliunde, nisi ex consuetudine natum profiteantur: Τὰ δέχασα ἡγετήτω, ajunt: Antiqui mores obtineant, qui sunt in Ægypto, Libyâ, & Pentapolî, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, επιδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Πάμῃ θησαυρῷ συνθέσειν, quoniam illa est Romano etiam Episcopo consuetudo.

XXXVII.

XXXVII. Ut in compendium contrahamus, quæ prolixæ hactenus diximus, facilè hinc patet, non sūbstitisse ministros Ecclesiæ in primis illis *Ἐπισκόποις κατάλογοις* gradibus, quos ipsos etiam consuetudine invaluisse ostendi, sed inter ipsos etiam Episcopos novas introduxisse differentias. Qui primus & summus gradus erat Sacerdotum, is ultimus & infimus siebat Episcoporum. Primus presbyter dicebatur Episcopus: primus Episcopus metropolita: primus metropolita patriarcha. Ut primatum Episcopus inter Sacerdotes tenebat, sic inter Episcopos metropolitanus, inter metropolitanos patriarcha. Episcopus dicebatur primi ordinis presbyter & primus Sacerdos; reliqui presbyteri, secundi ordinis Sacerdotes: ita & Metropolitanus primæ sedis Episcopus, & primus Episcopus, reliqui comprovinciales Episcopi dicebantur secundæ sedis Episcopi. Atq; sic etiam subjectionis ordo obserbatur, ut presbyter subesset Episcopo, Episcopus Metropolitanus, Metropolitanus Patriarchæ, totidemq; in judicis Ecclesiasticis formabantur instantiæ, ut si in Episcopi judicio gravatus quis fuisset, ad Metropolitanum & ab hoc ad Patriarcham provocare posset.

XXXVIII. Hinc adeò tres habemus ordines Episcoporum. Primi simplices sunt, & nomen retinent, & præsunt presbyteris. Secundi dicuntur Metropolitani & aliquando Archiepiscopi, & præsunt provinciæ, in quâ plures sunt Episcopi. Terti dicuntur Patriarchæ, qui integræ diceceti ex pluribus provinciis constanti præfecti sunt. Sed quid est, quod ait Isidorus apud Gratianum c. *cleros dist. 21. Ordo Episcoporum quadripartitus est: id est in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, atq. Episcopis*, atque Archiepiscopum deinceps describit, quod sit summus Episcoporum, quodq; præsideat tam Metropolitanis, quam cæteris Episcopis? Hunc nodum ut solvat Petrus de Marca *dissertat. de primatib. n. 48.* respondet, Isidorum loqui juxta disciplinam seculi sui. Vixit autem ille seculo Christiano septimo. Sed jam ante, ut supra memoravi, ab Justiniano Imperatore insigni dignitate auctus fuit Episcopus Justinianæ primæ, dum in Archiepiscopum promotus & supra sex Metropolitanos electus fuit. Hoc enim exemplo Archiepiscoporum ordo Metropolitanorum ordine superior factus est. At si dicendum, quod res est, videntur tales Archiepiscopi in Patriarcharum ordinem adscendisse, nec aliud, nisi nominis discrimen inter eos fuisse.

CAP. V.

De Patriarchis in genere.

I.

Patriarcha novum quidem & græcum est vocabulum. Et est is, qui patrum, hoc est, pontificum princeps & primus est, inquit Joh. Altenstaig in *Lexic. Theol.* Id verò adeò novum esse nequit, quod à Scripto-

K

ribus

ribus Novi Testamenti usurpatum fuit. Ita enim vocatur David, *Act. II. 29.* ita etiam filii Jacobi *Act. VII. 8. & 9.* ita Abrahamus, *Hebr. VII. 4.* Utitur eo etiam Tertullianus *lib. 2. c. 12. ad nationem.* dum gentilium fabulas & *Geor. Flor.* perstringens, Saturnum, Patriarcham deorum vocat. Item quando *lib. adversus Hermog. c. 8. & lib. de anima c. 3.* Philosophos Patriarchas haereticorum appellat. Ipsa vero etiam derivatio vocabuli non satis commoda videtur, quanquam ei Syrorum & Arabum interpretatione adfisstat, uti eam refert Johannes Seldenus *comment. in Eutychii orig. Eccles. Alexandr. pag. 13.* Non enim δαπάνη πατέρων istud vocabulum descendit, sed δαπάνη & πατέριδες. Πατέριδα autem ut & πατέριδες universam gentem aliquam sive regionem ac plurimum sub uno capite ac Rectore provinciarum complexionem significat apud Græcos. Quemadmodum & aliás integra aliqua familia πατέριδες nomine venit, cujus respectu generis autores, à quibus unaquaque familia nomen acceperat, apud Judæos πατέριδες dicti fuerunt, uti notat Henricus Valesius *ad Euseb. lib. 1. c. 7.*

II. Communis vero eruditorum hodiè sententia est, nomen istud in Ecclesiâ Christianâ inoleuisse demum circa initia seculi quinti, & ex Synagogâ Judaicâ suos primum retulisse natales. Habuerunt enim Judæi dispersi celebrioribus in locis suis veluti principes atque praefectos, quos Patriarchas vocarunt, ut Alexandriae, itemq; apud Babylonios & Tiberiadenses, qui vicissim suos habebant Assessores, quos Apostolos dicebant. Talis Judæorum Patriarchæ meminit Hadrianus Imperator in *epistola ad Severianum Consulem* apud Vopiscum in *Saturnino*: Creberrima ejus mentio occurrit in Codice Theodosiano, ut *l. 10. de iurisdict. l. 1. 2. 8. 11. 13. 14. 15. 17. 22. & l. fin. de judæis, Cœlic. & Samar.* Meminerunt etiam Origenes, Epiphanius, & plures alii. Ex quorum omnium collatis sententiis discere licet, magno in honore eos apud ipsos Christianos Imperatores habitos, timi & illustres, spectabiles atque clarissimos sæpè dictos fuisse. Forum arbitrio Synagogæ paruisse, constitutosq; ab his primates legis Judaicæ, h. e. Archisynagogos & presbyteros, cæterosq; qui in ejus religionis Sacramento verabantur. Aurum coronarium insuper per Apostolos suos exegisse, & dignitatem tam hereditario jure ad posteros transmisisse. De quibus omnibus eruditè differentes videri possunt Jacobus Gothofredus *ad d. l. 1. C. Tb. de Iuda.* Johannes Seldenus *comment. ad Eutychii orig. Eccles. Alexandr. p. 9. seqq.* Franciscus de Amaya *ad l. un. C. de aur. coronar. lib. X. Isaac. Casaubon. exercit. 14. adv. Baron. n. 2.* Dionys. Petav. *ad Epiphan. pag. 55.*

III. Desierunt isti Judæorum Patriarchæ post annum Christi CCCCXV. uti ex *l. 22. & l. ult. C. Tb. eod.* colligit Jacobus Gothofredus, sive quod extincta esset stirps Patriarchalis, sive quod Patriarcharum & in primis Gamalielis improbitas tanta fuerit, ut tolerari amplius ab Imperatoribus haud posset. Et ab eo tempore nomen hoc Christianorum Archi-
episco-

episcopis communicari cœpit, & quidem Orientalibus primūm, quibus nota erat Patriarcharum apud Judæos dignitas, cùm Occidentales Judæi nullos tales habuerint Patriarchas, uti optimè observat, & textum in l. 16. C. Justin. de jud. ex Codice Theodosiano emendat Petrus de Marca *de concord.* Sacerd. & imp. lib. 1. c. 3. n. 5. eumq; secutus Jacobus Gothofredus add. l. 1. § 1. ult. C. Th. eod. Neq; audio, si quis Anacleti Pontificis Romani epistolas Patriarcharum Christianorum mentionem facientes mihi obvertat, quia, ut supra dixi, nulla planè earum, utpote suppositiarum & ab impurissimo mangone confictarum, potest esse autoritas. Seculo adhuc tertio nulli, nisi inter hæreticos, fuerunt Patriarchæ, uti patet ex verbis Hieronymi epist. 54. Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent, apud eos (Montanistas nempe) *Episcopus tertius* est: *Habent enim primos de Pepuza Phrygia Patriarchas*, secundos, quos appellant Cenones, atq; ita in tertium, id est, penè ultimum locum Episcopi devolvuntur, quasi inde ambitiosor religio fiat, si quod apud nos primum est, apud illos novissimum sit.

IV. Primus inter Ecclesiæ Doctores, Christianorum Patriarcharum mentionem facit Socrates bish. Eccles. lib. 5. cap. 8. sed, ut videtur, in significatu planè alio & diverlo. Vixit autem is seculo quinto, circa annum CCCCXL. Ejus verba hæc sunt: *Sed & Patriarchas constituerunt* (loquitur de Concilio Constantinopolitano I. Oecumenico secundo celebrato anno CCCLXXXI.) *provinciarum divisione factâ, ita ut nullus Episcopus ultra propriam diœcesin alienas Ecclesias invaderet.* Id enim antea propter persecutiones promiscue factum fuerat. Et Nectarius quidem regiam Urbem & Thraciæ provincias sortitus est, Helladius verò, qui Cesareæ Cappadocie post Basiliū erat Episcopus, Ponticæ diœceseos Patriarchatum obtinuit, & unâ cum illo Basiliī frater Gregorius, Episcopus Nysse, quæ & ipsa Urbs est Cappadocia, & Otrejus, Episcopus Melitinae in Armeniâ. Asiane autem diœceseos Patriarchatum sortitur Amphiliobius Iconii & Optimus Antiochiae Pisidiæ Episcopus. Ægypti Ecclesiæ administratio Timotheo Alexandriae Episcopo attributa est. Orientis autem Ecclesiæ regimen & curam Episcopis illius regionis commisérunt, Pelagio scil. Laodiceæ & Diodoro Tarsi Episcopo, servatâ tamen honoris prærogativâ Antiocheni Ecclesiæ, quam quidem prærogativam Melitio tunc præsenti tribuerunt. Acta hujus Concilii desiderantur, nec præter canones quicquam ferè superest. In secundo autem canone, quem hic intendit Socrates, sed nec in reliquis, ulla fit mentio Patriarcharum, ut credibile sit, Socratem ex suæ ætatis disciplinâ verba adhibuisse. Nec profectò tales intellexit Patriarchas, quales communiter per vocabulum istud concipi solent, quorum scil. unus tantum in unaquâq; diœcesi regimen Ecclesiasticum tenet & gubernat. Quia enim plures in unâ diœcesi conjungit, v. g. in Ponticâ diœcesi Helladium & Gregorium; in Asianâ Amphiliobium & Optimum; satis inde apparet, non de veris atque Ordinariis Patriarchis eum locutum

fuisse, in eo scil. sensu, quo paulo post Socratem, Patriarcharum nomen apud Scriptores Ecclesiasticos invaluit. Et oppidò hinc decipiuntur illi, qui crassum hunc Socrati errorem impingunt, ac si Patriarchatus à Synodo Constantinopolitanā institutos esse scriperit, & quidem ita, ut in Ponticā diocesī tres Patriarchæ, in Asianā duo, in Oriente itidem tres regimini Ecclesiastico præesse debeat. Id quod non ipsi tantum Synodo planè adversum, sed etiam à mente Socratis alienissimum esse, rectè censet Jacobus Gothofredus *ad l. 3. C. Th. de fid. cathol.* Disfimulari tamen interim nequit, male confundi à Socrate sententiam dicti canonis secundi Synodalium cum lege Theodosii jam dictâ. Alius est Concilii, alias Imperatoris scopus. Dicto enim canone limites diocesiorum à Synodo Nicenâ præscriptos servari debere decernitur; Sed in constitutione Imperatoriâ designantur Episcopi, quibus cum ad evitandas hæreses communionis vinculum constringi debeat, quanquam ipsum hoc etiam jam ante à Concilio, sed alio tempore, & aliis verbis definitum fuerit.

V. Sed ne quid iniqui de Socrate statuamus, præstat ejus sententiam ex ipsâ Theodosii Constitutione, ad quam provocat, tūm & ex Sozomeni lib. 7. c. 9. verbis interpretari. Nempe, propositum fuerat & Synodo, & Theodosio lege publicâ synodale decretum confirmanti Macedonianam & reliquas hæreses profigare. Id ut obtinerent, statuerunt, Episcopos istis hæresibus addictos dejici sede & expelli debere, nec alios posthac eligendos esse, nisi qui fidem Nicenam amplectentur, quiq; undecim illis Episcopis, quos recenset Theodosius, communione juncti essent. Episcopi namq; illi ideò designabantur, quia ut ait Sozomenus *d. l.* egrégia de illis constabat fama, quod Ecclesiæ suas sanctissimè gubernarent, & religiose præsenterent. Adeoq; id datum est non præcipue sedium dignitati, sed personarum gravitati, ut ab iis Episcopis, qui integræ vitae & orthodoxæ religionis essent, tanquam à quibusdam capitibus, communionis iura manarent per unamquamq; diocesin. Petr. de Marca *de concord. Sacerd.* § imp. lib. 1. c. 3. n. 9. Patriarchiæ igitur istæ, quæ temporarie erant, & personales, κατάργησιν accipiendæ sunt non de jure aliquo & dignitate aut privilegio Episcopalibus sedibus attributo, sed de jure & consortio communionis Ecclesiasticæ, quæ retineri debuit cum selectis illis à Synodo Episcopis, ut scilicet illis solis communicaretur, qui communione juncti essent. Nectario quoad Constantinopolin, & cæteris Episcopis, quoad Ægyptum, Orientem, Asianam, Ponticam & Thracicam. Idcirco enim nomen cuiusq; Episcopi exprimitur, ut consortium hoc in religione personale esse intelligatur, neque quis, quod personæ tribuitur, ad sedem applicet, aut per eam continuari hoc vinculum debere contendat.

VI. Non pigebit ipsam hic legere constitutionem, uti habetur in Codice Theodosiano *l. 3. de fid. cathol.* Verba hæc sunt: *Episcopis tradi omnes Ecclesiæ*

Ecclesias mox jubemus, qui unius majestatis atq; virtutis Patrem, & Filium & Spiritum S. confitentur, ejusdem gloriae, claritatis unius, nihil dissonum profanâ divisione facientes, sed Trinitatis ordinem, personarum assertionem, & divinitatis unitatem. Quos constabit communione Nectarii Episcopi Constantinopolitanae Ecclesia, Timothei nec non intra Aegyptum Alexandrinæ Urbis Episcopo esse sociatos. Quos etiam in Orientis partibus Pelagio Episcopo Laodicensi, & Diodoro Episcopo Tarsensi: in Asia nec non Pro-Consulari, atq; Asianâ Diaœcesi, Amphilochio Episcopo Iconensi, & Optimo Episcopo Antiocheno: in Ponticâ Diaœcesi Helladio Episcopo Cœfariensi, & Otrejo Meliteno, & Gregorio Episcopo Nysseno: In Thraciâ (hoc verbum suppleri debere notat Marca & Gothofredus dd. ll.) Terentio Episcopo Scythie, Martyrio (ita legendum pro Marmario) Episcopo Marcopolitano communicare confiterit. Hos ad obtainendas Catolicas Ecclesias ex communione & consortio probabilem (h. e. de quibus constat, quod probam & orthodoxam religionem sequantur) Sacerdotum oportebit admitti. Omnes autem qui ab eorum, quos commemoratio specialis expressit, fidei communione dissentient, ut manifestos haereticos ab Ecclesiis expelli, neq; his penitus posthac obtainendarum Ecclesiistarum Pontificium facultatem q; permitti, ut vere ac Nicæna fidei sacerdotia casta permaneant: nec post evidenter pœcepti nostri formam maligne locus detur astutie. Perspicue hinc patet, patriarchiam istam, quam vocat Socrates, non perpetuam, neq; ad sedes Episcopales alligatam, sed personarum contemplatione propter emendatam vitæ & fidei rationem, quam sequentur, in exemplum propositam fuisse, quod religiosè suis Ecclesiis pœfissent, ut ex habitâ cum illis communione reliqui Episcopi dignosci possent. Guilielmus tamen Beveregius ad can. 2. concilii CP. in secundi nihilominus propriè acceptum vult vocabulum πατριαρχίας, dicitq; duo in verbis Socratis contineri capita: in priori de constitutione patriarcharum in isto concilio factâ agi; in posteriori autem de Episcopis illis, quibuscum debeat esse communio. Neq; enim existimandum est, inquit, eos quos nominat à Concilio constitutos esse, cùm plerosq; eorum si non omnes, dempto Nectario, ante celebratum hoc concilium locis ibi memoratis profuisse constet; ac propterea hæc verba ad constitutionem patriarcharum nullo modo referantur, neq; ii omnes inter patriarchas, quos tunc temporis constitutos afferit, recenseantur. &c: Reddit enim verò hæc interpretatio Socratem utcunq; excusat, aut potius reddere saltem conatur, eam tamen ferre non videntur ipsa Socratis verba. Postquam enim dixisset, constitutos fuisse in isto Concilio patriarchas, provinciarum divisione factâ, immediate subnecit: Καὶ οὐληρῆς Νεκτάριος μὲν τὴν μεγαλότητι &c. Et porrò: Καὶ Ὁρένιος ὁ τὸν Αρμενίαν μελιτηνὸς τὴν Πατριαρχίαν εἰκληρώσας &c: Hæc & reliqua, quæ sequuntur, verba satis ostendunt, explicare voluisse Socratem, quâ ratione divisione provinciarum facta fuerit, & quæ cuiq; portio cesserit. Id enim in-

nuunt verba κληρόνυμον : ἐκκλησιώσιτον : λαογχάνεσον : αποστολήν : ἐπίσημον ψαλταν. Quibus nequaquam opus fuisset, si cum Theodosio solum commemorare Episcopos voluisselet Socrates, quorum communionem amplecti quisq; debeat. Atq; hinc certum est, quod ante dixi, confundi à Socrate sententiam canonis CPni cum lege Theodosiana.

VII. Post Socratis ætatem certiora occurrunt monumenta, quod Patriarchæ nomen adaptari cœperit Episcopis illis, qui integras diœceses regebant, & auctoritatis principatum in illis tenebant. In Concilio enim Chalcedonensi Leo Episcopus Romanus sèpè Patriarcha appellatur. In actione tertiatâ aliquot inveniuntur libelli à Theodoro, Ischyrione, Athanasio & Sophronio confecti, quorum inscriptio hæc est: *Sanctissimo & Beatisimo universalis Archiepiscopo & Patriarchae magnæ Romæ Leonis Sc.* Ipsí etiam judices Cognitores patriarcharum nomine exarchos diœceleson compellant. Ab eo tempore usus vocabuli in hoc significatu ita placuit posteritati, ut eo nihil frequentius in scriptis Ecclesiasticis, Justiniani in primis ævo, occurrat. Vid. Jac. Sirmond. *adventoria part. 2. c. 3. p. 76.* Eā ipsâ tamen ætate alius in Oriente, alius in Occidente hujus vocis videtur invalusse usus. In Oriente enim illi ferè patriarchæ dicebantur, qui integræ diœcesi & pluribus metropolitanis præfecti erant. At in Occidente dicebatur etiam Archiepiscopus quandoq; Patriarcha. Ita Episcopus Aquileiensis Patriarchæ nomen sustinebat, et si nulli ei subditi essent metropolitani. Ita autem dicebatur propterea, quod Reges Gothorum Italici Regni Episcopos patriarcharum nomine condecorarent, uti testatur Epistola Athalarici Regis ad Johannem Papam apud Baronium *ad ann. DXXXII. n. 36.* Et hic ipse titulus post sectionem Episcopatus Aquileiensis etiam Gradiensi Episcopo adhæsit, uti patet ex epist. 2. Leonis IX. Sed & Lugdunensis Episcopus in Concilio Matisconensi II. apud Gregorium Turonensem lib. 5. c. 20. Patriarcha appellatur. Vid Baron. *ad Ann. DLXX. n. 10.*

IIX. Perpetuo tamen & jure prorsus singulari inter Patriarchas omnes, quotquot eo nomine insigniti fuerunt, in Ecclesiâ eminuerunt & quasi proprium id nomen sibi fecerunt, celebriorum quarundam sedium Episcopi. Dixi in capite antecedente, ex celebritate Urbium aut civitatum jus quoddam eximium accessisse civitatum istarum Episcopis. Inter civitates omnes, ex quibus imperium Romanum constabat, maximè conspicuae erant tres potissimum. Roma Orbis domina, Alexandria Ægyptiaci Regni princeps, & Antiochia Regina Orientis. Eas inter se comparaverat Geta, cum fratre Antonino Caracallâ imperium divisurus, atq; ideo sedem sibi elegerat Antiochiam vel Alexandriam, quod Urbes istas magnitudine haud longè infra Romam existimaret, apud Herodian. lib. 4. c. 3. Alexandriam Urbem pulchram item auream vocat Athenæus: *magnam, Concilium Chalcedonense: Eunapius, alterum quendam orbem terrarum.*

Ejus

Ejus amoenitatem & amplitudinem describit Achilles Tatius de Clitoph. §
Leucipp. amor. lib. 5. in pr. cuius hæc inter alia præcipue notanda veniunt
verba: *Urbis amplitudo cum pulchritudine & magnitudo cum multitudine babi-
tatorum ita certabat, ut neutra alteri cederet. Nam illa continente major, &
hæc innumerabilis erat. Porrò intuenti mihi civitas amplior apparebat, quam
ut habitatoribus compleri posset: populus autem tam numerosus videbatur, ut
aliquâne Vrbe contineri valeret, dubitare cogerer.* Eandem cum prolixius de-
scriptis est Diodorus Siculus lib. 17. bibl. hist. c. 52. de multitudine incolarum
refert, eo tempore, quo in Ægyptum ipse appulerit, ultra CCC. millia li-
berorum capita in illa degentium numerata fuisse. Sic & Antiochiam,
decoram civitatem vocat I heodosius Imp. in l. 159. C. Theod. de decurion.
eaq; duplice elogio, μεγάλης καὶ παλῆς insignita fuit apud Philostratum in
vit. Apollonii cap. 12. constitutq; ex quatuor contiguis Urbibus, quarum
quælibet proprio muro cincta, omnes tamen simul communibus mœnibus
claustæ fuerunt. Ammianus Marcellinus eam Orientis pulchrum api-
cem, Hieronymus epist. 16. ad Pammach. totius Orientis metropolin ap-
pellat.

IX. Tam celebres & copiosæ cùm istæ fuerint civitates, mirum non
est, earum Episcopos præ cæteris eminuisse, & singularibus planè privilegiis
atq; prærogativis potiores fuisse. Id enim jam sæpè dixi, ex celebritate Urb-
ium præcipui quid accessisse earum Episcopis. Cùm igitur sub initio Christiani
nominis in toto Orbe terrarum maxime conspicuæ essent tres istæ ci-
vitates, Roma, Alexandria, & Antiochia, maximusq; ex variis gentibus in
illis hominum confluxus & concursus quotidie fieret, hoc inde Ecclesia lu-
cri reportavit, ut Episcopiistarum Urbium & ipsi conspicui magis atq; præ
reliquis honorati existerent. Idq; moribus primū & consuetudine inva-
luit, donec per Ecclesiasticum decretum in Concilio Nicæno eā de re san-
ctio facta est, ut tres isti Episcopi secundum antiquos mores privilegia sua
integra & inviolata retineant. Ea q; prima in jure Ecclesiastico circa istas
prærogativas occurrit constitutio. Ex isto tamen canone, qui sextus est,
patet, tres illos Antistites Episcoporum tantum, mox etiam Metropolitanorum
nomine insigniri. Idem illi in Concilio Constantinopolitano Ex-
archi dioeceseon, & tandem in Concilio Calchedonensi Patriarchæ dicti
fuerunt. Hic enim fuit progressus istorum nominum, & hæc eorum *ā 9
& 9.*

X. Recte enim adversus Henricum Valesium thesin suam supponit
& sustinet Guilielmus Beveregius ad can. 6. Concil. Nicæni, in hoc canone
nihil adhuc tum contineri de jure Patriarchico, quale postea concessum
fuit, aut moribus primū invaluit, sed patribus Nicænis unicum hoc pro-
positum & animo conceptum fuisse, ut Episcopis illis confirmarent jura Me-
tropolitica, quæ jam ex consuetudine recepta haberent. Recte vero etiam
hoc

hoc afferit porrò, canonem hunc viam patefecisse, & occasionem dedisse, ut Episcopales illae sedes paulatim in Patriarchales erectae fuerint. Illustraverat eorum gloriam & honorem, quod in tam frequenti totius Catholicæ Ecclesiæ Concilio, tam honorifica eorum mentio specialiter facta fuerat, quodq; tam magnifico decreto sedes eorum cohonestarentur. Hinc adeo in omni loco, inq; omni specie honoris priores potioresq; habiti reliquis metropolitanis omnibus palmam præripuerunt, qui etiam haud gravatum eos tam illustribus honoribus auctos venerabantur, sibiq; præferri haud indignè ferebant. Et ex hoc cultu gravissima tandem illa exorta est auctoritas, quæ in universâ Ecclesiâ non ~~accedit~~, tantum, sed ~~accedit~~ etiam ratione dignitates reliquas omnes superavit, & paucissimis in toto terrarum Orbe contigit, uti mox dicam.

XI. Apud Græcos frequenti in usu est $\xi\acute{\epsilon}\alpha\rho\xi\acute{\chi}\varsigma$ vocabulum, quod ducem vel principem alicujus rei confiendæ aut constituendæ significat. Quomodo, qui coryphæus, sive præsultor in choreâ est, is græcis etiam $\xi\acute{\epsilon}\alpha\rho\xi\acute{\chi}\varsigma$ dicebatur; unde $\xi\acute{\epsilon}\alpha\rho\xi\acute{\chi}\varsigma$, est canendi vel saltandi facere principium, & aliis incentivum dare. *Is. Causabon. exerc. 15. n. 12.* De officiis & dignitatibus Ecclesiasticis id sœpè usurpatur, sed diversimode, pro diversitate vocum, quibus jungitur. $\xi\acute{\epsilon}\alpha\rho\xi\acute{\chi}\varsigma$ enim $\tau\acute{\epsilon}\pi\alpha\rho\xi\acute{\chi}\varsigma$ Metropolitanus est, qui integrum regit provinciam & universos in eâ Episcopos. Occurrit istud vocabulum, atq; ita explicatur in *can. 6. Concilii Sardicensis*, ubi dicitur, Episcopum absentem moneri debere *διὰ χαματῶν* $\xi\acute{\epsilon}\alpha\rho\xi\acute{\chi}\varsigma$ $\tau\acute{\epsilon}\pi\alpha\rho\xi\acute{\chi}\varsigma$, λέγω δὲ τὸ θηροπόν τὸ μηχοπλεως. Per literas exarchi provinciæ, hoc est, Episcopi Metropolitani. $\xi\acute{\epsilon}\alpha\rho\xi\acute{\chi}\varsigma$ autem $\tau\acute{\epsilon}\deltaιοικήσως$, à Latinis etiam exarchus dioceseos dictus, cum Patriarchâ coincidit, eandemq; dignitatem sustinet, & metropolitanus superior est. Hinc enim in Concilio Calchedonensi statutum est, c. 9. ut si cum provincia metropolitano *Episcopus vel Clericus controversiam habuerit, Dioceseos exarchum adeat.* Quæ verba in confirmatione suâ ita reddit Justinianus *Novell. 123. c. 2.* 'Ο $\tau\acute{\epsilon}\deltaιοικήσως$ ἐκείνης μακαρώτερος πατριάρχης τὸ πεῖργμα κρίνεται. Dioceseos illius Patriarcha causam judicet. Patriarcham pro exarcho dioceseos substituens. Quâ ratione verba canonis etiam explicat Alexius Aristenus, $\tau\acute{\epsilon}\deltaι\tau\acute{\epsilon}\xi\acute{\epsilon}\alpha\rho\xi\acute{\chi}\varsigma$ $\tau\acute{\epsilon}\deltaιοικήσως$, ἡ τοι τῷ Πατριάρχῃ, ὁ φ' ὃν πλέον οἱ τῶν ἐπαρχῶν ἐκείνων μηχοπολῖται, apud dioceseos exarchum sive Patriarcham, cui sublunt provinciarum illarum Metropolitani, litigare debet. Vid. Christoph. Justell. *ad Cod. Can. Eccles. African. p. 52. 53.*

XII. In hunc censem venerunt olim etiam illi, qui in diocesibus Asiana, Ponticâ & Thracicâ primi & præcipui erant Episcopi, Ephesus scil. Cælariensis, & Heracleota, qui propterea Exarchi dioceseos dicebantur. Asiana namq; diocesis undecim habebat provincias. Earum prima &

præ-

præcipua erat Asia ipsa, & in eâ metropolis Ephesus. Metropolitanus igitur Ephesinus Exarchus erat diœceseos. In Ponticâ itidem undecim erant provinciæ, aut secundum alios decem. Eminebat in illis Cæsarea civitas Cappadociæ, quæ præcipua erat provincia. Et sic Episcopus Cæsariensis Exarchus erat diœceseos. Sic & Thracia sex habebat provincias. Prima fuit Europa: Metropolis ejus Heraclea. Heracleæ ergo Episcopus, Exarchus diœceseos Thracicæ dictus fuit. Fræter istas tres diœceses in imperio Orientali duæ adhuc erant, de quibus supra dixi, Oriens scil. & Ægyptus. Ægyptiacæ diœcesi unus præerat Episcopus Alexandrinus. In Orientali vero five Orientis diœcesi unus Antiochenus. Tot igitur, hoc est, quinque in Orientis Imperio fuerunt Exarchi. Et non duo tantum hi ultimi, sed priores etiam illi tres dicti fuerunt Patriarchæ, erantq; omnes αὐτοὺς Φαλοὶ, & suæ quisq; diœceseos primates. Sed tres illi Patriarcharum & nomine & gradu exciderunt, postquam Patriarchæ Constantinopolitano subjecti fuerunt, quod à Concilio Calchedonensi factum, alio tempore ostendam. Sunt vero qui putant, neque in statu quidem Patriarchico tribus illis Exarchis alia διάνα μητροπολιτα συμπαραγωγαὶ competitissimæ, nisi quod à provincialibus Episcopis ordinarentur, nulliq; Patriarchæ subjecti essent; in reliquos vero metropolitas nihil quicquam jurisdictionis habuisse, & sic inter ipsos Exarchos discrimen haud exiguum fuisse. Ego nunc litem hanc non facio meam. Videri potest Jacobus Gothofredus ad l. 3. c. Theodos. de fid. cathol. Autor Eucharistici de Eccles. suburbicar. part. 2. c. 2.

XIII. Propter istam subjectionem, quam ex Concilii Decreto incurrisse dixi Exarchos diœceseon Asianæ, Ponticæ & Thracicæ, inter Patriarchas illi deinceps connumerati amplius neutiquam sunt, sed pro Metropolitanis tantum habiti, ita tamen, ut Exarchi diœceseon nihilominus adhuc dicerentur, non quod totam regerent diœcesim, aut totius diœcesis, cuius Exarchi vocabantur, metropolitas sub se haberent, sed quod inter metropolitas universæ diœcesis principem locum obtinerent, & primi præcipuiq; primates & exarchi essent, περιθέοντες inde dicti. Reliqui vero, qui ita eminuerunt, Episcopi, Romanus, Alexandrinus, & Antiochenus non retinuerunt tantum dignitatem suam, sed & auxerunt, & nova quotidie incrementa addiderunt. Tribus illis adnumeratus fuit in Concilio Chalcedonensi Episcopus Hierosolymitanus, qui quidem tempore Concilii Nicæni metropolitanus tantum erat, nec verus quidem & propriè dictus, sed nomine & honore tantum talis, quippe qui subjectus manebat Episcopo Cæsariensi veteri illius provinciæ metropolitæ. Sed postquam illi in Concilio Chalcedonensi tres Palæstinæ subjicerentur, ipse quoq; Patriarchæ nomine insigniri coepit. Tandem etiam Constantinoplitana Sedes in μητροπολιταῖς erecta est, tribus antea nominatis diœcesisibus Asianâ, Ponticâ

&c Thracicâ ei subjectis, quod itidem factum in Concilio Calchedonensi, nati suo loco latius erit dicendum.

XIV. Sic igitur quinque habemus Sedes Patriarchales & totidem Patriarchas, tanto in honore olim penes Ecclesiam & Rempublicam constitutos. Inter quos ipse etiam Episcopus Romanus refertur ab Isidoro apud Gratianum c. cler. dist. 21. secus atque volunt hodiè nonnulli, qui Pontificis Romani dignitatem planè exhortem esse, & Patriarchalem superare, nec Patriarcham dici debere contendunt. De ordine vero & ~~accedentia~~, quam inter se servare debeant, hæc apud Gratianum c. renovantes dist. 22. ex Synodi VI. Constantinopolitanæ decretis, leguntur verba: *Renovantes sancti Constantinopolitani decreta Concilii, petimus, ut Constantinopolitana sedes similia privilegia, que inferior Roma habet, accipiat, non tamen in Ecclesiasticis rebus magnificetur ut illa; sed hæc secunda post illam existens priusquam Alexandrina sedes numeretur, deinde Antiochena, & post eam Hierosolymitana.* Ita legitur in antiquioribus editionibus, ad quas recte notat Antonius Contius, Gratianum vel fallasse canonem, vel in falsum librum falsamq; translationem incidisse. Primum quod inferiorem Romam vocet, cum seniorem scribere debuerit. Deinde quod negativè legat ea verba, *non tamen in Ecclesiasticis rebus magnificetur ut illa*, cum affirmativè scribere debuerit, ut ex antiquo Hilarii Pictaviensis exemplari græco comprobatur. Contio adstipulatur Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarragonensis de emendat. *Gratiani lib. 1. dial. 9.* Et puduit hujus corruptionis Censores Gregorianos, qui textum ita emendarunt, ut sententiam planè contrariam contineat, hoc modo: *Similia privilegia, que superior Roma habet, accipiat, nec non in Ecclesiasticis rebus magnificetur, ut illa.*

XV. Recte autem de ordine Patriarcharum subjungit Gratianus: *Hinc datur intelligi, quod Alexandrina Ecclesia de secundâ facta sit tertia, & Antiochena de tertia fit quarta, nisi forte quis duos contendat esse secundas, ut Constantinopolitanam & Alexandrinam parem sue dignitatis velit locum obtinere.* Repetitus est is ordo in Synodo Constantinopolitanâ IV. quam Græci octavam Oecumenicam dicunt, can. 21. eumque Gratianus d. l. his verbis recenset: *Definimus neminem prorsus mundi potentum quenquam eorum, qui patriarchalibus præsunt sedibus in honorare aut movere à proprio throno tentare: præcipue quidem sanctissimum Papam Senioris Romæ: deinceps Constantinopoleos Patriarcham: deinde verò Alexandria & Antiochia ac Hierosolymitanorum.* Et hic ordo seculis deinceps sequentibus accurate observatus fuit, ut patet ex c. 23. X. de privileg. & novellâ Justiniani 131. c. 2. nisi quod Gelasius Papa decreta Conciliorum Constantinopolitan I. & Calchedonenfis parum attendens, Sedem Alexandrinam immediate subjunxit Romanæ. Id quod factum putat Didacus Covarruvias lib. 4. var. resol. c. 14. n. 13. ex eo, quod Gela-

Gelasius Leonis I. vestigia secutus, admittere noluerit istam Patriarchæ Constantinopolitani à Conciliis decretam *ioannicas.*

XVI. Quæ diximus hactenus, abundè ostendunt, quâ ratione ad culmen istud honoris & potestatis Ecclesiasticæ adscenderint Patriarchæ, quibusq; modis ~~admodum~~ suam obtinuerint. De singulis dicemus mox plenius. Canonistæ autem hic longè aliam comminiscuntur prælationis rationem, ad Petri Apostoli destinationem præcipue respicientes, atq; inde dignitatem Ecclesiarum estimantes. Audiamus ipsa eorum verba, ne quid temerè nobis excidat. Sic enim Augustinus Barbosa de offic. Episcopi part. 1. tit. 3. c. 1. n. 3. seqq. Alii melius considerant, tres tantum Ecclesiæ Patriarchales à principio fuisse, quas beatus Petrus instituit, scilicet Romanam, Alexandrinam & Antiochenam. Romanam, quia ad eam jubente Domino ex Antiochia cathedram suam transtulit Petrus, tūm quia Petri & Pauli glorio-
so martyrio coronata est: Alexandrinam, quia B. Petri nomine à Marco Evan-
gelista ejus discipulo consecrata est: Antiochenam, quia prima fuit B. Petri sedes,
& ideò ejus nomine eam celebrat Ecclesia, ibidemq; primum Christianorum no-
men accepit initium. --- Postmodum idem honor Imperatorum precibus Con-
stantinopolitane Ecclesia à summis Pontificibus datus est, ut scil. post Romanum
Pontificem primatus honorem haberet. Deinde quia moribus & antiqua traditio-
tione Episcopo Hierosolymitano, quamvis Cesareæ Archiepiscopo suffraganeus
esset, bonus deferebatur, ut federet statim post Patriarchas etiam supra suum Ar-
chiepiscopum, bujusmodi honorem servandum illi esse statuit Nicæna Synodus. In
ulteriori explicatione conjungit argumentum à celebritate Urbium & Im-
perio Civili in illis exercito, cum alijs non satis accommodata videretur ra-
tio superius adducta, cur Alexandrina sedes præstantior esse deberet An-
tiochenâ. Fatendum, inquit, B. Petrum in illis tribus civitatibus potius quam
aliis totius Orbis Patriarchales Ecclesiæ erigendo ad locorum amplitudinem &
dignitatem respexisse, ut scil. in eis locis, in quibus erant gentilium primates, pri-
mi essent legis Evangelicæ prælati. --- Ex quibus jam facile constat, jure optimo
Ecclesiam Romanam obtinere primatum, tūm propter auctoritatem Petri, tūm
quia Roma Regia est Imperatorum Sedes. --- Constat etiam ratio, quare Alexan-
drina Ecclesia præcedat Antiochenam. Quamvis enim Antiochena eret asuerit
à Petro ante Alexandrinam, quæ ejus nomine à Marco fuit instituta; quia tamen
prefectum Alexandrinam, quæ Augustalis dicebatur, ab Augusto suo nomine insigni-
ta, magnificientia præceteris ab eodem fuit nobilitata, meritò superior erat præ-
fectura Syriæ, ad quam Antiochia pertinebat. Sc. Barbolam refert & sequitur
ut solet, Nicolaus Rodriguez Fermosin. ad tit. de offic. Archipresbyt. q. 2. n. 50,
seqq.

XVII. Johannes Azorius institut. moral. part. 2. lib. 3. c. 36. ἀμφισβη-
τη, & relativantum sententiis, nihil omnino definit ipse, nisi quod ultimæ

magis accedere videatur. Quintò, inquit, queritur, quid causa fuerit, cur post Romanum Pontificem primum tres, deinde quatuor Ecclesiæ patriarchalem honorem potissimum adeptæ sint? Plerique arbitrantur, primum tres tantum Ecclesiæ fuisse patriarchali dignitate præditas, Romanam, Alexandrinam & Antiochenam; has vero tres eam dignitatem adeptas fuisse ob honorem, primatum & dignitatem Petri principis Apostolorum, qui primum sedit Antiochiae & deinde Romæ, & Antiochiae suffecit Euodium, cui successit Ignatius, & Alexandriam misit Marcum Evangelistam, cui successit Annianus. Aliis vero hoc non ita certum esse videtur. Cur enim, inquiunt, plures Ecclesiæ eadem autoritate & honore patriarchali donatae non sunt, cum Petrus in plures Ecclesiæ discipulos miserit, quibus præfuisse perhibentur? --- Cur item Alexandrina Antiochenam præcessit, cum Antiochene Ecclesia ipse Petrus præfuerit, Alexandrina vero Marcus? Cur itidem postea Constantinopolitana & Hierosolymitana, in quibus Petrus non sedidit, nec aliquis ex ejus discipulis, patriarchalem honorem natæ fuerunt? Unde colligunt, quatuor illæ Ecclesiæ id honoris & dignitatis obtinuisse ob Urbium ipsarum amplitudinem, dignitatem, & majestatem. Alexandria enim Romanorum Principum & Imperatorum autoritate maximum jus obtinuerat in tota Ægypto, Libyâ & Pentapolitano, ut patet ex officio præfecti Augustalis l. 1. ff. de offic. præf. Augustal. Antiochia post Græcorum Imperium in Oriente autoritate præstabat. Constantinopolis Græcorum Imperatorum curia, majestate, & dignitate pollebat. Hierosolyme vero datus est patriarchalis honor eo, quod fuerit Christi Domini presentia, sermone, doctrina, gestisq; rebus cohonestata & illustrata. Imperatorum vero Græcorum importuno studio & Urbis Constantinopolitanæ Patriarchæ ambitu & fastu factum est, ut Constantinopolitanus Patriarcha, Alexandrino, & Antiocheno, & Hierosolymitano præcederet.

XIX. Haud paulo clarius mentem & sententiam suam exponit Theophilus Raynandus lib. de coron. Pontif. pag. 28. seq. Veraratio, inquit, cur tres illæ Urbes, Romana, Alexandrina & Antiochena, sole habite sint patriarchales, ducenda est ex eo, quod S. Petrus illarum fuisse particularis Episcopus. In tractatu contra Græcos edito à Stevartio additur quarta, nempe Sedes Cæsareæ Palestine, cui Episcopatus Hierosolymitanus, quantumvis eum S. Jacobus tenuisset, fuit subjectus, cuius subjectionis idonea ratio subministrari videretur ex eâ S. Petri sessione Cæsareæ, si veritate niteretur. Reveratamen ea quarta B. Petri sedes omnibus retro antiquis incomperta fuit, ut & quarta illa Sedes patriarchalis. Deinde tamen ob reverentiam Domini per Concilium Nicenum ad juncta est Patriarchalis sedes Eliæ, id est, Hierosolymitana. Non fuit tamen hic patriarchatus, quales ceteri, sed titulo tenus, & absq; jurisdicione, imò superstite subjectione ad Cæsariensem metropolin. Tandem annumerata etiam est sedibus Patriarchalibus Constantinopolitana ex favore principum, qui secundum deniq; locum, ei Ecclesiæ, inducta in ordine posteriorum sedium Patriarchalium magna varietate, in totius Orientis exitium extorserunt. Unde liquet, patriarchatum

tum illum, post alios jure locatum, fuisse plane dignitatem absq; sede. --- quia scil. S. Petrus nunquam fuerat Urbis illius Episcopus particularis, que est characteristica sedis verè Patriarchalis, sedem cum dignitate & externo titulo habentis. Postea tamen laxato rigore vocis, abusio inducta est, quā quilibet primates diciti sunt Patriarche.

XIX. Idem Raynandus de Romanâ, Alexandrinâ & Antiochenâ, earumq; inter se principatu differens, pag. 21. hunc in modum statuit. Quanquam Petrus etiam fuerit Episcopus Alexandrinus & Antiochenus, ipsi tamen ut Pastori universalis successit non Alexandrinus Episcopus, sed solus Romanus. Sicut enim S. Petrus non ex suo mero arbitrio, sed ex Christi imperio, sedem Pontificiam Romæ constituit: ita inde avellere eam postea non potuit, ut neq; id possunt ejus successores, quicquid visum sit Soto & Mendoza &c. Paulò antepag. 18. dixerat: Non enim, qui Pontificatum Romanum vere inivit, etiam si alio se transferat, sedem idcirco mutat, sed alibi degens sedem Romanam & quæ habet. Et pag. 22. ostendit, Petrum per septennium aut paulo plus sedisse Antiochiae, Alexandriæ autem Episcopatum tenuisse ad mortem usq;. Et pag. 26 ait: Et propterea Ecclesia Antiochenæ, in quâ S. Petrus aliquando personaliter sedidit, posthabita est Alexandrinæ, in quâ S. Petrus forsitan nunquam personaliter sedidit, quia Alexandrinam Petrus semper retinuit sibi, & quandum vixit, fuit ejus particularis Episcopus, Antiochenam verò post septennium dimisit, suffecto sibi in eâ Euodio. &c.

XX. Plura aliorum dicta non addam, cùm pleriq; omnes in eo consentiant, ex Petri Apostoli instituto sedes Patriarchales suam habuisse originem. Quod si jam probationes exegeris, & fundamenta assertionis requisiveris, recurrent illi ad autoritatem Anacleti, Innocentii I., Nicolai I. Gregorii Magni & aliorum Pontificum Romanorum, hoc est, ad testimonia domestica, eaq; interdum non satis candida, nec ad probandum argumentum, cui interfervire debent, idonea. Certum tamen est, S. Petrum non solas tres istas Ecclesias, Romanam scil. Alexandrinam & Antiochenam, sed multo plures sive suâ operâ sive per discipulos constituisse atq; fundasse. Et cur non reliquæ illæ eâdem patriarchali dignitate gaudeant, siquidem ad hanc obtinendam sufficiat Petrum autorem habere? Cur Alexandrina præfertur Antiochenæ, cùm hanc ipse Petrus, illam vero discipulus ejus Marcus fundaverit? Quantum enim discipulis suis præstant Apostoli, tantum etiam prævalere debent Ecclesiæ ab ipsis his fundatæ: Cur deniq; Hierosolymitana Ecclesia, quæ fons & origo videtur totius Christianismi, ex quâ Petrus ipse & reliqui omnes Apostoli exierunt, & in quâ initium docendi & prædicandi fecerunt, in quâ deniq; Jacobus Apostolus reedit, cur inquam illa ab initio Christianæ religionis non habita fuit pro patriarchali? Et unde probabunt igitur, S. Petrum ex mero beneplacito & solo suo arbitratu sic statuisse atq; decrevisse, tres illas supra nominatas Ecclesias & non

alias debere esse patriarchales. Iftas difficultates cum viderent nonnulli, in subſidium vocarunt celebritatem Urbium, & ex dignitate atq; eminētiā earum ſimul dignitatē Epifcopalem aſtimarunt. Non male quidem, niſi quod ad Petri institutum, omne adhuc momentum cauſe refereant, qui tamen de *margia exia* instituendā forte ne cogitavit quidem.

XXI. Patres Calchedonenses ſedem Constantinopolitanam Patriarchalibus connumeraturi, non aliam reddunt instituti ſui rationem, niſi quod Romana olim Ecclesia ſimile privilegium obtinuerit propter imperium civitati illi annexum. Etenim ſedi senioris Rome (ſunt verba canonis 28. five. 206. in Cod. Can. Eccles. univ.) quod Urbs illa imperaret, Patres jure privilegia tribuerunt. Et eadem confideratione moti centum quinquaginta DEO amantifimi Epifcopi, & qua privilégia tribuerunt, ſanctissime ſedi novae Romae, reſte judicantes, urbem qua ſe imperio & Senatu honorata fit, & aequalibus privilégiiſ cum ſeniori regiū Romā fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis non ſecus ac illa extolli ac magnificeri, ſecundam poſt illam exiſtentem. Sufficiens viſa hæc fuit ratio Patribus Calchedonensibus, cur in patriarchalem dignitatē evehenda eſſet Sedes Constantinopolitana, ſumpto exemplo ab Eccleſiā Romanā, quæ ideo tanta olim obtinuifſet privilegia, quod Urbs illa caput & ſedes imperii eſſet. Nunc verò cūm Constantinopolin imperium translatum eſſet, eodem jure ejus etiam Eccleſiam cenſeri & iisdem privilegiis ornari debere. Hæc ſcil. prima & præcipua ratio fuit, cur Alexandrina etiam & Antiochenæ Eccleſiæ primatum adeptæ fuerunt, quod ſcil. in iſtarum ciuitatum curiis negocia publica totius diocelos agitarentur, & ex concurſu hominum quotidie illic commorantium, famâ & celebritate Urbes ipsæ reliquas universas & singulas ſuperarent, & quod ita ſeculari potentiā atq; dignitate eminerent.

XXII. Nec tamen confiendum inde eſt, propter quamvis aut cuiusvis Urbis celebritatem, patriarchalem illico Eccleſiam illic constitui debeare. Multum hīc valet conſuetudo, multum etiam intentio & animus imperantium, multum infuper Patrum in conciliis congregatorum decreta. Nec alligata eſt *margia exia* ſplendori Urbis, quanquam ex eo augeatur auſtoritas, ſi concurrant utrinq; ſibiq; invicem lumen aliquod impertiant. Digna ſunt verba Marci Antonii de Dominis, quæ hīc legantur, ex lib. 3. de Rep. Eccles. cap. 10 n. 20. Non eo ipſo, inquit, quo ciuitas aliqua priuus exiguia, minusq; nobilis ad magnam evebitur ſecularem dignitatē, Curiā præſertim Regali in eā, tanquam primariā & ordinariā ſedente, ſtatiu illius ciuitatis Epifcopus fit Primas, aut Metropolitanus, aut Patriarcha. Poteſt tamen hæc nova eveſtio ſecularis eſſe cauſa ſufficiens, ut Eccleſia in Synodis, maximè generalibus, ſedem illam ornet privilegio primatū: & id Constantinopolitane contigit Eccleſie. Nos tamen contendimus, tunc quando priuum diviſis provinciis, primates ſunt instituti, dignitatē banc in eos Epifcopos eſſe congettā, qui in ciuitatibus eſſent

essent seculari potentia insignibus. Itaq; si Constantinopolis fuisset civitas imperialis, qualis fuit tempore Concilii primi Constantinopolitani, procal dubio ante Concilium Nicenum, aut etiam ejusdem Concilii tempore, non minus quam Roma, ex solâ etiam consuetudine fuisset Patriarchalis Ecclesia Constantinopolitana. Verum tamen est, Ecclesiae morem esse, si qua Civitas semel cœpit habere Episcopum metropolitanum, quo tempore ipsa Civitas esset suæ provincie, sive Regionis sive Regni Metropolis, si postea Curia secularis mutetur, non statim primatus Ecclesiastici jus mutari. Cum tamen interim moneam, autoritate etiam Principum, hoc ipsum aut mutari inter dum solitum fuisse, aut de novo institui.

XIII. His ita sufficienter expositis, videbimus nunc quasi in compendio jura Patriarcharum, quibus illi præ cæteris Episcopis inclarerint. Ea potissimum quatuor esse ait Guilielmus Beveregius ad can. 6. Concilii Nicæni n. 3. & recenset hoc ordine. Primum est, quod non unam tantum provinciam subjectam habeat Patriarcha, sed integrum diœcesin ex pluribus provinciis constantem, qui propterea etiam exarchus diœcœsos appellari quandoq; solet, ut supra dixi. Hâcratione, ut Episcopus Constantinopolitanus verus Patriarcha dici posset in Concilio Calchedonensi subjectæ ipsi fuerunt non una tantum, sed integræ tres diœcœses, Asiana, Pontica & Thracica, cum antea nihil tale habuisset. Secundum jus patriarchicum consistit in ordinatione Metropolitanorum suæ diœcœsos. Idq; non omisit Concilium Calchedonense, sed exsertis verbis concessit Episcopo Constantinopolitano can. 28. Ut & Pontica & Asiana & Thracica diœcœsos metropolitani soli, præterea & qui sunt in barbarico, Episcopi prædictarum diœcœsion ordinentur à prædicto sanctissimo throno sanctissime Constantinopolitane Ecclesie. Nimurum unoquoc; metropolita earum ipsarum diœcœsion, unacum Episcopis provinciæ ordinante provinciæ Episcopos, ut divinis canonibus promulgatum est. Metropolitas verò eorum diœcœsion ordinari à Constantinopolitano Archiepiscopo electionibus convenientibus secundum morem factis, & ad eum perlatis. Tertium jus Patriarchale est, quod Patriarcha potestatem habeat celebrandi concilium sive synodus diœcœsos, & ad eam convocandi Metropolitanos suos. Talium Conciliorum meminit Justinianus Novell. 123, c. 10. & novell. 137. c. 4. actumq; de illis in Concilio Constantinopolitano IV. quo in primis cautum fuit, ne patriarchales Synodi à provincialibus, quas Metropolitani convocare solebant, ullâ ratione impedirentur, utq; quod speciale magis est, cedat generali. Quartum jus Patriarchicum in eo consistere dicitur, quod in omnibus causis ecclesiasticis Patriarchæ sumum & ultimum habeant judicium. Sic enim legitur apud Justinianum, Novell. 123. c. 22. Si & a Clero, aut alio quocunq; aditio contra Episcopum fiat propter quamlibet causam, apud sanctissimum ejus-metropolitam secundum sacras regulas & nostras leges causa judicetur; & si quis judicatis contradixerit, ad beatissimum Archiepiscopum & Patriarcham diœcœsos illius referatur causa, &

ille secundum canones & leges huic præbeat finem. Si vero contra metropolitam talis aditio fiat ab Episcopo, aut clero, aut alia quacunq[ue] personâ, diœcœsos illius beatissimus Patriarcha simili modo causam judicet.

XXIV. Et hæc essentialia ferè, uti vocat Beveregius, & propria sunt Patriarcharum jura; Alia adhuc addit Antonius Dadinus Alteserra *ad c. 23. §. de privileg.* sed quæ pleraq[ue] externa magis sunt, nonnulla etiam cum aliis communia. Quod enim *tertio* loco ponit privilegium, provocationem scil. à Metropolitano ad Patriarcham omisso Primate, in eo verba Concilii Calchedonensis malè applicat, cùm nulla omnino in *can. 9. §. 17.* ejus concilii statuatur appellatio per saltum, nec alius sit illic loci Primas diœcesos, à Patriarchâ, ad quem utpote superiorem omnino provocatio fieri debet à Metropolitano, judge scil. prioris & proximæ instantiæ. *Quarto* loco refert Alteserra, Patriarcham suscipere posse alienos clericos sine consensu proprii Episcopi, idq[ue]; ex Balsamonis commentario *ad can. 17.* Synodi quinisextæ probari putat. At vero Balfamon *d.l.* Constantinopolitanus tantum & Carthaginensi Episcopo id tribuit, nec tanti illud est, ut patriarchale jus inde constituantur. *Quintum* jus Patriarchicum Alteserræ dicitur, quod pauperibus Laicis & Episcopis, qui sedes suas clade barbaricâ amiserunt, portions seu *αδελφατα* à Patriarcha locupletioribus in monasteriis assignari queant. At neque hoc quidem singulare quid est, nisi id estimetur ex eo, quod potestas illa in totam diœcesin se se extendat. Alias enim quivis Episcopus in suo districtu pauperum curam habere eisque prospicere debet. Et in benè constitutis monasteriis & certus est locus, qui infirmatorium dicitur, & certus frater præpositus, infirmarius dictus, curam infirmorum gerens, & eleemosyna fratri custodienda traditur, qui omnes redditus & proventus in usus pauperum & peregrinorum fideliter convertat, uti legitur in statutis monasterii Cluniacensis. *Sextum* est, quod suspensus à collatione beneficiorum ideo, quod indignis ea contulerit, non relaxari queat à suspensione, nisi per Patriarcham ex constitutione Innocentii III. *in c. 29. §. de præbend.* Sed hoc reservatum est, & quidem recentius, quo veri Patriarchæ nunquam usi fuerunt olim. *Septimum* ei est, quod Patriarchæ habeant jus pallii, & *Octavum*, quod habeant jus crucis prærendæ per universam diœcesin. De quo utraque cum communia sint Archiepiscopis, infra commodior erit dicendi locus.

XXV. Qui jus Patriarchicum summatim & quasi in tabellâ propounderunt, duas ejus constituunt partes, *τὰ πρεσβεῖα & τὰ πρεσβατία.* *Προσευχαῖς* vero duo vicissim summa faciunt capita, Metropolitanorum *χειροτονίας*, & Synodorum provincialium *ἀναφοράς*, aut etiam *ἐκκλησιῶν* in Synodo patriarchali dijudicandam. Atque adeo, quod primo loco ex Beveregii sententiâ adduximus, integræ scil. diœcœsos ex pluribus provinciis constantis subjectionem, id non tam jus innuit, quam materiam, in quâ jus exer-

exerceri debeat. Tam necessarium tamen id est, ut Patriarcha verè & propriè dici nequeat, qui non integrum sub se habeat diocesin. Jura illa apud Græcos πετρεῖα dicebantur, sive, uti in Concilio Ephefino can. ult. explicantur, Καὶ δικαιοὶ ἐξαρχῆς ἀνωθεὶς τῷ πατέλαι νεργητῶν ἔθος, jura, quæ jam inde ab initio habet Ecclesia secundum antiquam consuetudinem. Privilegia vertit Dionysius Exiguus in can. 6. Concilii Nicen. Sed observandum est, duplia referri in Scriptis Ecclesiasticis πετρεῖα, alia enim dicuntur πετρεῖα τὸ πυῆς, alia πετρεῖα τὸ ἐξστίας, aut etiam πετρεῖα simpliciter. Et hæc distinctio non tantum inter Patriarchas, sed etiam inter metropolitanos locum invenit. Fuerunt equidem inter Patriarchas nonnulli, qui sola πετρεῖα τὸ πυῆς habebant, & prærogativam honoris, ut primi scilicet præcipui; essent totius dioceseos metropolitæ, eamque dignitatem propterea consequebantur, quod primarias totius dioceseos provincias regerent. Tales erant Asianæ, Ponticæ & Thracicæ dioceselon Præfules, qui superiores quidem erant reliquis suis metropolitanis, sed solâ πυῇ, ἐξστίᾳ verò in eos nullam habebant, etiam priusquam subjicerentur sedi Constantinopolitanæ & cum adhuc nomen Patriarcharum sustinerent.

XXVI. Sequioribus temporibus ad alios insuper δικαιοὶ ejusmodi patriarchalia ex benignitate Imperatorum pervenerunt. De Justiniano refert Nicephorus lib. 17. c. 28. quod patriæ suæ Achrido præcipuum honorem habens, Archiepiscopali eam dignitate decoraverit, Ecclesiamq; ibi liberam, quæ ipsa sibi caput esset, cum plenâ potestate constituerit, & primam Justinianam mutato nomine vocaverit. Operæ erit precium ipsum hic audire Justinianum, Καὶ πετρεῖα non πυῆς tantum, sed ἐξστίας etiam novo Archiepiscopo impertientem, & axiomata patriarchalia largissimè concedentem. Sic autem ille in Novell. 11. Multis & variis modis nostram patriam augere cupientes, in quā primò DEIIS præstítit nobis ad hunc mundum, quem ipse condidit venire, & circa sacerdotalem censuram eam volumus maximis incrementis ampliare, ut prime Justinianæ patriæ nostræ pro tempore sacrosantus Antistes, non solum metropolitanus, sed etiam Archiepiscopus fiat: & ceteræ provinciæ sub ejus fint autoritate, id est, tam ipsa mediterranea Dacia, quam Dacia Ripensis, nec non Mysia secunda, Dardania & Prävalitana provincia & secunda Macedonia, & pars secundæ etiam Pannoniæ, qua in Bacensi est civitate. Cum enim in antiquis temporibus Sirmii præfectura fuerit constituta, ibiq; omne fuerit Illyrici fastigium tamen in civilibus, quam in episcopalibus causis, postea autem Attilianis temporibus eisdem locis devastatis Apenninus præfetus prætorio de Sirmiana civitate in Thessalonicanam profugus venerat, tunc ipsam præfecturam & sacerdotalis honor secutus est, & Thessalonicensis Episcopus non sùa auctoritate, sed sub umbrâ præfecturæ meruit aliquam prærogativam. Cum igitur in præsenti,

M

DEO

DEO auctore, ita nostra Resp. aucta est, --- necessarium duximus ipsam gloriofissimam præfecturam, quæ in Pannonia erat, in nostrâ felicissimâ patriâ colloquare. --- Et ideo tua beatitudo, & omnes præfate primæ Justinianæ sacrosancti Antistites Archiepiscopi habeant prerogativam & omnem licentiam, suam auctoritatem eis impertriri, & eos ordinare, & in omnibus supra scriptis provinciis primam babere dignitatem, summum sacerdotium, summum fastigium, a tuâ sede creentur, & solum Archiepiscopum habeant, nullâ communione ad eum Thessalonicensi Episcopo servandâ. Sed tu ipse, & omnes primæ Justinianæ Antistites sive ejus judices & disceptatores, quicquid oriatur inter eos discriminem, ipsi hoc dirimant, & finem eis imponant, & eos ordinent: & nec ad alium quendam eatur, sed suum agnoscant Archiepiscopum omnes predite provinciæ, & ejus sentiant creationem, & vel per se, vel per suam auctoritatem vel clericos mittendo habeat omnem potestatem, omnemq; fidelitatem censuram & creationis licentiam &c.

XXVII. Scripta est ista novella ab Imperatore ad Catellianum primum Archiepiscopum à se creatum. Ex quâ oppidò notandum est, habuisse Imperatorem respectum ad regimen civile, & congruum ipsi visum fuisse, Ecclesiam etiam inde aliquam acquirere auctoritatem. Ait, Sirmii primum omne Illyrici fastigium tam in civilibus quam in episcopalibus causis constitisse. Post excidium Sirmii, quod Attilianis temporibus contigit, Apennium præfectum prætorio Illyrici, sive is vicarius fuerit, è Sirmio Thessalonicam fugisse, eoque tunc commigrasse dignitatem præfecturæ. Et ex hâc Vicarii jurisdictione in Pannonias, quæ posthac Thessalonicae exercenda erat haud parum amplificatam fuisse Urbis & Ecclesiæ Thessalonicensis dignitatem. Translatâ præfecturâ in patriam Justiniani, quam Justinianam primam vocavit, etiam honores Ecclesiastici ut Episcopo loci illius conferrentur, suâ hâc constitutione disposuit. Reprehendit Justinianum Franciscus Bolquetus *ad Innocent. III. epist. pag. 176. & 177.* quod Thessalonicensem Episcopum non suâ auctoritate, sed sub umbrâ præfecturæ ex Sirmio civitate accedentis, aliquam meruisse prærogativam scripsit. Et certum est præfectum prætorio Illyrici jam ante sedem suam habuisse Thessalonicæ, uti patet ex Theodoreti lib. 4. c. 17. Præfectura autem Illyrici olim constabat ex Pannoniis, utroq; Norico, Dalmatiâ, Daciis, Moesia, Dardanijâ, Macedoniâ, Achajâ, Thessaliâ, utraque Epiro & Cretâ, teste Zofimo lib. 2. Tum temporis Sirmium, Pannoniae secundæ civitas, caput erat Illyrici, & præfecturæ Illyrianæ Sedes, quod non ex allegata tantum Justiniani novellâ, sed etiam ex Ammiani lib. 15. constat. Postea vero divisum fuit Illyricum in duas partes; altera quidem, quæ utramque Macedoniam, Thessaliam, utramq; Epirum, Achaiam, & diocesin Daciæ continebat, Orientis imperio adjuncta erat sub dispositione Præfecti prætorio Illyrici, qui Thessalonicae sedem suam habebat; altera autem Pannonias, utrumq; Noricum & cæteras provincias comprehendens Occidentis impe-

imperio relinquebatur, sub regimine Præfeti prætorio Italiae & Vicario Sirmii. Quando ergo Justinianus ait, per translationem præfecturæ Sirmiensis aliquam Urbi & Ecclesiæ Thessalonicensi accessisse dignitatem, non intelligendum id est generaliter de præfecturâ Illyrici, ac si tunc primum in ea civitate sedem fixerit, sed de jurisdictione Vicarii Sirmiensis, qui Occidentale Illyricum regebat, quod post vastationem Attilianam ea deinceps Thessalonicæ, non Sirmii, exercita fuerit.

XXIX. Hac ratione Justinianus, dum patriam suam Achridum scil. quam Justinianam primam vocavit, illustriorem reddere cuperet, compatis in unam dicecesin aliquot provinciis & ex Episcopi Thessalonicensis inspectione revulsis, summum sacerdotii fastigium illic instituit, ita ut civitatis ejus Episcopus deinceps Archiepiscopi nomine veniret, re ipsa Patriarcha esset, & earum provinciarum metropolitanis daret jura, atque ipse à Synodo suâ ordinaretur. Utrum autem dictus etiam aliquando fuerit Patriarcha, nunc adeò solliciti non sumus. Certè, postquam Bulgari istas provincias invassissent, atque illi Nicolaum I. Pontificem Rom. consuluisserint, utrum liceret sibi Patriarcham constituere, noluit is prorsus denegare petitum, sed ulteriori deliberationi reservat: *Requisitis, inquit, si liceat in vobis Patriarcham ordinari, sed de hoc nibil definitivè respondere possumus, priusquam legati nostri, quos vobis cum mittimus, reversi fuerint, & nobis, qua inter vos multitudo sit, & unanimitas Christianorum pronuncient.* In respon. ad Consult. Bulgaror. c. 72. Sed & post Nicolaum I. Innocentius III. non dubitavit ad instantiam principis Calojohannis Basiliū Trinovitanum Episcopum, cum eum Bulgariæ & Blachiaæ primatem constitueret, Patriarcham vocare. Diploma refertur in gestis Innocentii III. quæ ex Bibliothecâ Collegii Fuxensis edidit Franciscus Bosquetus, ubi pag. 60. hæc habentur verba: *Te quoq. in regno Bulgarorum & Blancorum Primatem statuimus, & Ecclesie Trinonitane presenti privilegio autoritatem concedimus Primate, statuentes ut tu & successores tui, qui tibi in Apostolicæ sedis devotione successerint, ceteros Metropolitanos Bulgariae & Blachiae præcellatis ratione primatice, & ipsi tibi & eis juxta formam Canonicanam reverentiam Primi debitam exhibeant, & bonorem. Fraternitatem tuam scire volentes, quod apud nos hec duo nomina, Primas & Patriarcha, penè penitus idem sonant, cum patriarchæ & primates teneant unam formam, licet eorum nomina sint diversa &c.* Non invidet ergo Innocentius Bulgarorum Archiepiscopo nomen Patriarchæ, cum utique jura patriarchica ille revera consecutus fit, modestè tamen & subobscure fadere videtur, ut primatis potius nomen acceptet, quod nihilominò differat primas à Patriarchâ.

XXIX. Nihil omnino facit ad illustrationem Constitutionis Justinianæ supra adductæ, quod putant aliqui, effectum ejus in Synodo Trullanæ exseruisse, dum Justinianæ primæ Archiepiscopus decretis Synodi illius

in ordine Patriarcharum subscripti ferit. Subscriptio namq; hunc in modum concepta est: Ιωάννης ἀρχιεπίσκοπος ἡγεμόνης τῆς Ιερουσαλαμίτων ὁ εἰρηναῖος ὑπιερεὺς. Ex quâ patet, Johannem istum non Justinianæ primæ, sed Justinianopolis fuisse Episcopum. Justinianopolis autem antea Constantia dicta Cypri fuit metropolis. Nec negari tamen interim potest, ipsum etiam jam olim ἀυτοκέφαλον fuisse, confirmatumq; id privilegium in Concilio Ephesino can. ult. cum potestate ordinandi de facto sibi vindicasset Patriarcha Antiochenus. Postmodum verò in Synodo quinisepta five Trullanâ dicto Episcopo Johanni, qui Saracenis Cyprum occupantibus cum plerisq; suis Episcopis & plurimâ fidelium turbâ in Hellespontum profugerat, induobus prospectum fuit, per can. 39. Primum, ut Constantia Cyprī, five Justinianopolis privilegia sua in Concilio Ephesino confirmata, salva haberet, h. e. ut non subjecta esset Patriarchæ Antiocheno. Deinde, ut is ipse Johannes, quia Episcopos & Sacerdotes æquè ac Laicos suos secum habebat, non tantum eadem privilegia etiam in Hellespontiorum provincia & Cyzicenus quoq; Episcopus Provinciæ illius Metropolitanus, qui Constantinopolitanus alias Episcopo subjectus erat, ei deinceps subesset. Absurdum scil. visum fuerat Patribus in Synodo congregatis, ut Episcopus αὐτοκέφαλος, dum hostes esset in alienâ provinciâ, nec Ecclesiæ aut dioecesi suæ propter barbarorum incursions præesse posset, Ecclesiasticâ hâc suâ potestate privaretur, & alteri metropolitanu se inferiori subjiceretur. Sed optimè adit Aristenus ad ditt. can. Postquam Cyprus gentilium manibus liberata fuit, quæ in Hellesponto erant Metropoles, ad thronum Constantinopolitanum redierunt. Ex quo rectè statuunt Doctores, aut personale fuisse ultimum hoc privilegium, solum Johanni indultum, aut temporale saltem, quoad sc. Cypria provincia à Barbaris occupata & detenta fuit.

XXX. Sed redeo ad Justinianum, qui dum ampliandâ nominis sui cupidus, plurimas civitates eo insignivit, etiam Carthaginem Africæ Justinianam dici voluit. Quantas ille curas habuerit recuperatâ à Vandals Africâ, in restituendo ejus regimine civili, videri potest ex ejus constitutionibus, quæ leguntur t. t. Cod. de offic. præf. præt. Africæ. Non minores verò eundem habuisse circa Ecclesiæ restituendas, docet Novella 38. § 131. c. 4. Episcopum Carthaginis ad tantam dignitatem evexit, ut cum tota dioecesis civilis ex ejus dispositione sub præfecto Prætorio septem contine-ret provincias, totidem etiam Episcopo Karthaginis propter Ecclesiasticum regimen subiectæ essent. Hinc adeò Episcopus ille ditt., novell. 38. di-citur, separatus sanctissimus Sacerdos Carthaginis Justinianæ, qui venerando Concilio totius Africæ sanctissimis Ecclesiis præesse dignoscitur. Et dicit novell. 131. c. 4. ait Imperator: Simili quoq; modo jus Pontificis, quod Epi-

Episcopo Justiniane Carthaginis Africane civitatis de dimus, ex quo DEUS hanc nobis restituit, servari jubemus. Jus Pontificis, ait, τὸ δικαίου καὶ δέχεσθαιντος, à quo in verbis sequentibus jus metropoliticum δικαίου μητροπολιτοῦ distinguit, ut majus quoddam & præstantius atq; eminentius jus Carthaginensi Episcopo tributum innueret. Est enim δέχεσθαιντος, summum sacerdotium, quemadmodum δέχεται primus & summus Sacerdos. Ex quo fluit, Carthaginem Episcopum patriarchica habuisse axiomata & Patriarcham hinc dici jure potuisse.

XXXI. Eundem cum Patriarchis gradum tenuerunt, qui sub postremis Græciæ Imperatoribus Catholici dicti fuerunt, eò quod eorum potestas non unâ provinciâ coercita esset, sed per plures, atq; sic per integrum diœcœfin se extenderet. De Armeniis five Armeniis id testatur Jacobus à Vitriaco bistor. Orient. c. 79. *Habent autem prædicti Armeni proprium primatum, quem Catolicon appellant, cui cum summo honore & reverentiâ omnes à minimo usq; ad maximum tanquam alteri Pape obediunt.* &c. Amplissimam ei subesse diœcœfin, patet ex eo, quod scribit Otho Frisingensis l. 7. c. 32. eum Catholicum dici, milleq; Episcopis & amplius præfectum esse. Cæterū duo fuerunt ejusmodi Catholicorum genera. Alii ἀντεφαλοι erant, nulli Patriarchæ subjecti, sed ipsi revera Patriarchæ, quales fuere Seleuciæ, Armeniæ, Iberiæ, Bulgariae Catholici. De Seleuciæ Catholico Concilii Nicæni canon Arabicus, 33. ex versione Francisci Turrianii ita se habet: *Honoretur quoq; similiter sedes Seleuciæ, que est ex civitatibus Orientalibus, qui dcbeat etiam appellari nomine Catholici, & possit is ordinare Archiepiscopos, sicut faciunt patriarche.* Et canon. 34. *Si acciderit, ut necesse sit convenire Episcopos Græcie, & fuerit præsens prælatus Seleuciæ, --- oportet honorare eum multum & magni facere, atq; extollere supra omnes Episcopos Græcie. Siquidem ipse tenet locum Patriarche in Oriente.* & sedes ejus in Concilio debet esse sexta post Episcopum Hierosolymitanum. De Armenia hæc leguntur in veteri notitiâ Græcâ Episcopatum, temporibus Photii descriptâ: *Scire oportet hanc provinciam esse sui juris, minimeq; subditam Apostolicæ sedi, sed honorari tamen intuitu sancti Gregorii Armenia Episcopi & præesse ducentis urbibus & castris.*

XXXII. Alii verò dicti Catholici Patriarchis subjecti erant, & nihil sine eorum consensu gerere, nec metropolitanorum ordinationes ulla facere poterant. Et propterea non Patriarchæ, sed veri erant metropolitani. Tales erant sub Patriarchâ Antiocheno Catholicus Perfidis & catholicus Babyloniacus: & sub Alexandrino Catholicus Æthiopicus. De Catholico Perfidis ita se habet ex Arabico canon Nicænus 35. *Non permittit magna Synodus, ut congregentur in provinciâ Persidis ad disponendum aliquid ad ordinem Ecclesiæ pertinens sine consensu & autoritate Patriarchæ Antiocheni; quia quamvis prælatus Persidis sit loco Patriarchæ, & non querat aliud, præterquam quietem*

*S*tranquillitatem ipsorum Persarum, tamen non licet immittere se ad constitendum ordinem Ecclesie, sed potius in omnibus sint Metropolitanis patriarchae obedientes. Canon sequens 36. agit de Catholicis Aethiopiæ: *Ut non possint Aethiopes creare, nec eligere patriarcham; quin potius eorum prelatus sub potestate ejus sit, qui tenet sedem Alexandrie.* Sit tamen apud eos loco Patriarche, *E*appelletur Catholicus: non tamen jus habeat constituendi Archiepiscopos, ut habet Patriarcha, siquidem non habet Patriarche bonorem & potestatem. *Ec:* De Catholicis ejusmodi Episcopis videri possunt Petrus de Marca de primatib. pag. 120. Guilhelm. Bevereg. ad paraphrasin Arab. Concilii Ephesini pag. 216, Francisc. Bosquet. ad Innocent. II. epist. pag. 64.

XXXIII. Ut tractationem de patriarchis in genere tandem absolvamus, omittendum non est axiomat istud, quod ex externo eorum splendori adaptant Canonistæ. Volunt nempe, Patriarchas Regibus aliisq; principibus superiore non habentibus pares esse, ideo scil. quod multarum provinciarum regimen sustineant, Barth. Chalaneus in catal. glor. mund. part. 4. confid. 9. Seb. Medices de legib. & statut. part. 1. q. 12. n. 9. traditq; post Speculatorem Lancellottus Conradus in templ. omn. jud. lib. 2. c. 3. inf. Primatem seu Patriarcham, qui tribus Archiepiscopis praest, exprimere Regem, cui tres Duces subjecti sunt. Et quia tum ex decretis Conciliorum, tum & constitutionibus Imperatorum paria utriq; Romano & Constantiopolitano Episcopis, privilegia concessa observant, inde conficiunt, ratione hujus papalis similitudinis patriarchis etiam Romani Pontificis insignis & ornamenti, veste scil. rufa, & equo albo phalerato, simul atq; freno & calcaribus deauratis utiliter licere. Auguſtin. Barbola de offic. & pot. Episc. part. 1. tit. 3. c. 1. n. 31. 32. Nicol. Rodriguez. Fermosin. de offic. archipresb. quæſt. 2. n. 35. 36.

XXXIV. Dum vero ita docent Canonistæ, non attendunt, repugnare id non Christi tantum intentioni, & Scripturæ sacræ, sed propriis etiam hypothesis. Christus ipse, à quo omnis potestas ecclesiastica fluxit, & cuius vita exemplar est Ecclesie, quæ talis est, propositum, negavit regnum suum esse de hoc mundo, hoc est, ejus naturæ, cuius sunt cætera regna, addens, alioquin futurum fuisse, ut more aliorum Regum operâ militum uteatur. Job. XVIII, 36. Et alibi ab hoc imperantium ordine prorsus separatos esse cupit discipulos suos. dicens: *Reges gentium dominantur eorum, qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: Vos autem non sic.* Luc. XXII, 25. Ad quid ergo comparatio patriarcharum instituitur cum Regibus & principibus? ad quid eis phalerati equi, frenum & calcaria inaurata conceduntur? Deinde vero, dum ajunt Canonistæ, Patriarchas Regibus aliisq; principibus superiore non habentibus æquiparari, propria cædunt vineta. Hoc ipso enim largiuntur, Patriarchas superiore non habere. At vero, quando de Pontifice suo Romano verba faciunt, ab eo solo omnem Patriarchalem

chalem dignitatem primo & immediate proficiunt, & in eo omnes thesau-
ros dignitatum Ecclesiasticarum reconditos esse statuunt. Et sic igitur so-
lus Romanus Episcopus principi superiorem non habenti par erit; reliqui
Patriarchae, dum dependentem habent autoritatem, ad istud fastigium
non pertingunt.

CAP. VI.

De Primatu Episcopi Romani.

I.

IN capite antecedente dixi, ab initio tres tantum in universâ Ecclesiâ
fuisse patriarchas, Romanum scil. Alexandrinum, & Antiochenum, ac-
cessisse deinceps ex Conciliorum decretis alios duos, Constantinopolita-
num & Hierosolymitanum, & hos quinq; exsuperante & perpetuâ *ὑπεροχήν*
in Ecclesiâ eminuisse, reliquos omnes, et si vel Patriarchalia jura habuerint,
vel patriarchæ etiam nomen aliquandiu sustinuerint, extra tamen quina-
rium istum numerum substitisse, & illis haudquaquam pares judicatos fui-
sse. Videamus nunc speciatim, quanta unusquisq; ex quinq; illis habuerit
privilegia, qualemque inter se gesserint conformitatem, & connexio-
nem, atque respectum, observato ordine, qui jure Canonico præ-
scriptus est, & initio facto ab Episcopo Romano. Sic enim constabit de
formâ Reip. Ecclesiasticæ, de quâ tanti à Gregorii VII. temporibus excita-
tifuerunt fluctus tantæq; inter eos, qui Christiani dici volunt, contentio-
nes, & horrendæ persecutions.

II. Sed hic illicò obstrepentes habeo Canonistas, quibus grave est au-
dire, Episcopum Romanum inter patriarchas numerari. Volunt scilicet,
Pontificem suum planè esse extra ordinem Patriarcharum, & supra illos, se-
demq; Apostolicam (ita vocant *κατ' εξοχὴν* Ecclesiam Romanam) exi-
mium aliquod principatus jus, non solum in Occidentis provincias, sed
etiam in cæteras Orientis Ecclesias, quæ illi ut supremo capiti per Patriar-
chas suos connechterentur, obtinere. *Observatum est*, inquit Augustinus
Barbosa de offic. & pot. Episc. part. 1. tit. 3. c. 1. n. 2. quod Romanus Pontifex
non sic est habendus primus in ordine aliorum quatuor patriarcharum, sicuti est Con-
stantinopolitanus respectu Alexandrinus & Alexandrinus respectu Antiocheni, &
Antiochenus respectu Hierosolymitani, quia in illo non est sola prelatio ratione lo-
ci aliorum patriarcharum, verum etiam est vera majoritas supremaque potestas.
Atq; hinc sedem suam exsortem voluit esse Innocentius III. dum c. antiqua
23. x. de privileg. quatuor tantum resert sedes Patriarchales, sanciendo,
ut post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino (hæc sunt ejus verba) super
omnes alias ordinaria potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum
Christi

Christi fidelium & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant. --- Utq; in signum subjectionis Dominicæ crucis vexillum ante se faciant ubiq; deferri, nisi in Urbe Romana, & ubicunq; summus Pontifex præsens extiterit, aut ejus legatus utens insigniis Apostolice dignitatis.

III. Consimili modo Onuphrius Panvinius ad Platin. sub Bonifacio III. hæc notavit: *Processu temporis & præsenti post Pbotium Patriarcham Constantinopolitanum utraq; parte convenienter illud usurpari cœptum, ut ambo Episcopi, Romanus scil. & Constantinopolitanus Oecumenici, id est, universales appellarentur, hic quidem universalis Patriarcha, non quod sibi uni aliorum jura vindicare, sed quod iis dignior esset, primumq; post Papam locum haberet: ille verò universalis Papa.* Auditumq; ut Papæ nomen, quo omnium vocabulorum Episcopaliū excellentius esse statutum est, solus Romanus Pontifex, cum ante omnibus commune esset Episcopis, retineret: quo uno & illi tantum particulari nomine potestatis ejus dignitas & supra ceteras Ecclesiæ vetus prærogativa designaretur: ceteri verò quatuor Episcopi præcipuarum sedium, videlicet Constantinopolis, Alexандriæ, Antiochiae, & Hierusalem Patriarchæ vocarentur &c. Et hanc rem, ait Onuphrius, ex historiarum tūm Græcarum, tūm Latinarum variâ lectione se observasse. At verò omni autoritate Onuphriū destitui, imò verò notam hanc contrariam prorsus esse praxi deinceps receptæ observat Marcus Antonius de Dominis de Rep. Eccles. lib. 3. c. 10. n. 16. Si autoritates, inquit, signasset Onuphrius, gratiam ei haberem: ego enim non ullā conventione, sed Romanorum Pontificum posteriorum proprio conatu Papam supra Patriarchas quatuor sufficor esse constitutum, ubi prius Ecclesia semper imò & post tempora Gregorii aliquandiu quinq; Patriarchas agnoverit, & inter eos non supra eos primum locum Romano tribuerit. Totam verò banc conventionem destruit Leo IX. epist. 6. qui nullā ratione tolerat Oecumenici titulum in Constantinopolitano, quem vocat Archiepiscopum. Et sane perspicua sunt verba Leonis, quæ sic habent: *Qualis verò & quam detestabilis atq; lamentabilis est illa sacrilega usurpatio, quā te universalem Patriarcham jaſtas ubiq; & scripto & verbo, cū omnis Dei amicus hujusmodi hæc tenus horruerit honorari vocabulo?* Et quis post Christum convenientius posset insigniri hoc vocabulo, quam cui dicitur divinā voce: *Tu es Petrus &c.* Quæ verba satis docent, frustra dixisse Onuphrium, conventionem à se memoratam fuisse litis finem inter duos Summos Christiani Orbis Episcopos. Vixit enim Leo IX. seculo undecimo, Bonifacius III. autem & Phocas seculo septimo ineunte.

IV. Quod Innocentii III. decretum attinet, refertur quidem in d.c. antiqua X. de privileg. factum id fuisse in Concilio Lateranensi, quod pro Oecumenico venditant Canonistæ; sed quantæ istud sit autoritatis, Bellaruminum audire sufficit, qui dum ad aliud illius Concilii decretum l. 2. de concil. c. 13. ita respondet: *Et tametsi Concilium Lateranense expressissime rem defi-*

definivit, tamen quia nonnulli dubitant, an verè fuerit generale, ideo usq; ad hunc diem questio supereft, etiam inter Catholicos; haud obscurè innuit, infirmiorē ejus esse fidem, quam ut inde argumentum probationis peti queat. Quid in eo actum fuerit, quidq; Pontifex præcipue intenderit, aperte & ingenuè profitetur Matthæus Paris in *histor. min.* ut refertur in antiqu. Britann. in vita Stephani Langtoni. Ejus verba hæc sunt: *Concilium illud generale, quod more papali grandia primā fronte præse tulit, in risum & scummam, quo Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Decanos, Archidiaconos omnesq; ad Concilium accedentes artificiose ludificatus est, desit. Illi enim cum jam nihil geri in tanto negocio cernerent, redeundi ad sua cupidi veniam sigillatim petierant. Quibus Papa non concessit, antequam sibi grandem pecuniam promisissent, quam à mercatoribus Romanis prius accipere mutuo Papæq; solvere coacti sunt, antequam discedere Româ potuissent. Papa jam acceptâ pecuniâ quæstuosum hoc Concilium dissolvit gratis,* (h. e. nullâ alia re confectâ) *totusq; Clerus abiit tristis.*

V. De ipsis ejus Concilii decretis refert Platina in *vit. Innocentii III.* multa tum quidem venisse in consultationem, nec decerni tamen quicquam apertè potuisse, quod & Pisani & Genuenses maritimo & Cisalpini terrestri bello inter se certarent. Similia sunt, quæ refert Johannes Nauclerus generat. 41. ann. M. CCXV. ubi addit: *Edita tamen nonnullæ constitutiones referuntur, è quibus una existit, quoties Orbis principes alter in alterum deliquerint, correctionem ad Romanum Pontificem spectare.* Ex relatione igitur habet Nauclerus, editas alias fuisse. Ipse eas non vidit authenticas, nec forte prodierunt, nisi post longa temporum spacia, quandoquidem editio Colonensis, quæ anno 1530. prodiit, eorum omnino nullam facit mentionem. Constitutioni tamen Innocentianæ supra adductæ fidem forte & auctoritatem atque firmamentum adjungit, quod notat Godefridus Monachus in *annal. ad ann. M. CCXV.* In hoc Concilio nibil dignum memoriam, quod commendari possit, actum esse, nisi quod Orientalis Ecclesia se subditam Romane exhibuerit. Videntur ergo renunciasse Patriarchæ Orientales juri suo, quo per omnia exequati fuerunt olim Episcopo Romano. At vero, ne quis decipiatur, probè observet, Constantinopolitanum & Hierosolymitanum Patriarchas, qui interfuerunt, è Latinis fuisse, cùm eo tempore Constantinopolis à Gallis teneretur, & nostrorum arma è Palæstinâ nondum excessissent, Antiochenus autem excusatione morbi usum, & Alexandrinum ab Ægyptiis, ut ad Concilium iret, prohibitum, legatos suos misisse. De primis ergo duabus mirum non est, eos, ut domesticos, colla submisisse Episcopo Romano, è cuius curia prodierant. De posterioribus non constat, utrum legati speciale in eam rem mandatum habuerint. Neque enim pro mandato etiam post mille annos præsumendum est. Verallus *decif. Rot. Rom. 250. part. 2.*

VI. Sed & num omnium consensu in ipso Concilio approbata ea constitutio fuerit, non liquet. Credamus eam cum aliisquinquaginta novem,

N

partim

partim de fide, partim de aliis rebus fuisse à Pontifice in illâ Synodo lectam & propositam; approbatam eam suscepitamq; Patrum, qui aderant, consensu, planè nescimus. Dubios nos reddit Matthæus Paris, qui ad annum M CCLXV. sub Johanne Rege scribit: *Recitata fuere in pleno Concilio capitula sexaginta (hodiè septuaginta extant) que aliis placabilia, aliis videbantur onerosa.* Unde apparet, illa capitula neque communi Patrum consilio liberata, sed unius Innocentii voluntate constituta, neque postquam ejus jussu in medio confessu lecta essent, ab iisdem unâ voce ac consensu suscepta & approbata, sed aliis quidem placuisse, aliis vero dispuisse. Quod si ipsum capitulum attentiùs legatur, facile inde apparebit, Pontificem Romanum hoc unum egisse, suam ut extenderet potestatem & principatum super omnes in universo terrarum Orbe Ecclesias, eamque in rem abusum fuisse Orientalium quorundam Patriarcharum, suorum quondam domesticorum, consensu, & ut commodam haberet occasionem, finxisse aliquam super ~~ταραχήν~~ inter eos noviter exortam contentionem, quam suâ & Concilii decisione componere necessarium esset.

VII. Dicit renovaturum se antiqua patriarchalium sedium privilegia. At illa de tali Ecclesiæ Romanæ principatu nihil quicquam continent. Neque imperium hoc de pallio à Romano Pontifice petendo, deque præstanto juramento fidelitatis & obedientiae ex antiquis illis patriarchalium sedium privilegiis probari potest. Sed totum illud, quod renovaturum se dicit, novum est commentum, ut sub colore isto occultari queat, jam ante quidem ab anterioribus Pontificibus sàpè affectata, nunc verò variis artibus occupata tyrannis Ecclesiastica. Quod si renovandum quid est sedi Romanæ, renoventur, ut præ se fert, antiqua Sedium Patriarchalium privilegia vera & canonica ex ipsâ vetustate, renoventur ex primis antiquissimarum Synodorum decretis, renoventur ex ipsius veritatis & rerum gestarum serie. Sic enim constabit, non Alexandrinam minùs & Antiochenam, quam Romanam Ecclesias pares olim inter se & æquales fuisse, nec ullam inter eas fuisse superioritatem aut dependentiam, sed singulas suos habuisse Patriarchas ~~αὐτούς Φάλασ~~, suas leges, suas synodos, sua jura & privilegia, paremque in negotiis Ecclesiasticis potestatem.

IIX. Ait Innocentius, *Ecclesiam Romanam disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinere principatum, utpote matrem universorum Christi fidelium & magistrum.* Quod si requisiveris istam dispositionem Dominicam, dicta aliqua Scripturæ proferri audies ad præsentem hanc propositionem nihil omnino facientia, ut suo loco dicemus. Mater autem universorum qui dici poterit, quæ aliquando fuit filia? quomodo magistra omnium, quæ aliquorum fuit discipula? Et si enim negari nequeat, Romanam Ecclesiam omnium, quas in Occidentali mundi plagâ institutas esse novimus, vetustissimam esse, & tûm Gallicas, tûm Hispanicas ac cæterarum regio-

regionum Ecclesias initio & comprobationem doctrinæ suæ inde petuisse,
& aliam quoque sumnam cum eâ necessitudinem habuisse, atque solatia
sua inde sæpenumerò in angustiis accersivisse, nonnullas etiam primitus ab
eâ institutas esse; Mater tamen propterea omnium Ecclesiarum dici illa
nequit, sive maternitas accipiatur ratione doctrinæ ex eâ alibi propagatae,
sive ratione potestatis, quæ matri competit. Priore modo mater aliarum
Ecclesiarum illa est, è quâ ad istas alias doctrina evangelica delata fuit &
dimanavit, sive à quâ doctrinam & doctores inde egressos vel missos istæ
aliæ acceperunt. Tali autem modo particularium tantum Ecclesiarum
quarundam mater erit Ecclesia Romana; Soli autem Hierosolymitanæ Ec-
clesiæ hoc debetur encomium, quod omnium aliarum mater sit, eò quod
totius Orbis Ecclesias seminavit, ut loquitur Hieronymus *in c. 2. Esa.* Opor-
tuit enim prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum apud omnes
gentes, incipiendo ab Urbe Hierosolymâ. *Luc. XXIV, 47.* Unde Patres
Concilii Constantinopolitani I. *in epist. Synodali ad Damasum*, quæ extat
apud Theodoretum *lib. 5. c. 9.* omnium aliarum Ecclesiarum matrem, &
Justinus Imperator *in epist. ad Hormisdam Pontif. Romanum*, quam recenset
Severinus Binus *post Hormisdæ epist. 74.* Matrem Christiani nominis dixe-
runt. Gregorius Nazianzenus verò titulum matris Ecclesiarum Cæsareensi
adscribit Ecclesiæ, *Orat. 20. & epist. 74.* Sed & ex Codice Justinianeo in-
primis ex *l. 14. l. 16. l. 24. de SS. Eccles.* constat, etiam Constantinopolita-
nam Ecclesiam modo matrem fidei & Religionis, modo matrem omnium
Christianorum, modo caput Ecclesiarum dici.

IX. Dubitari itaque non potest, quin doctrina & Doctores ex Hiero-
solymitanâ Ecclesiâ omnium primâ & antiquissimâ in cæteras Orientis
partes, & inde ad Occidentem ipsamq; Romam pervenerint. Quod mis-
sionis officium sive beneficium Romana deinceps Ecclesia nonnullis aliis
versus Septentrionem positis populis præstítit. Sicut autem consentaneum
est tūm rectæ rationi, tūm Christianæ pietati, ut Ecclesia recentior anti-
quiorem, à quâ doctrinam & Doctores accepit, reverenter habeat & vene-
retur: ita iniquum fuerit, si eo nomine antiquior in recentiorem perpetuum
magisterium vel dominium sibi arroget. Valde igitur exerrat Romana,
nec ab χαυνίᾳ vitio absolví potest, quando se omnium Ecclesiarum
matrem & magistrum agnoscí vult, cum respectu Hierosolymitanæ &
Orientalium filia potius sit. Et quamvis respectu Ecclesiarum quarun-
dam Occidentalium & Aquilonarium isto quo diximus modo & sensu ma-
ter dici queat; propterea tamen perpetuum aliquod magisterium sibi vin-
dicare haud quaquam debet, nisi & ipsa propter eandem rationem Hieroso-
lymitanæ & Orientalium discipulam se fateri velit.

X. Posteriore namq; modo, quo ratione potestatis mater quandoq;
dici solet, inter Ecclesias nullam omnino matrem agnoscimus. Materni-

tas enim in plantandis Ecclesiis nil nisi ministerium notat, & solicitudinem propagandi Evangelium, ut infideles ad verum DEUM convertantur, & per verbum atq; Sacraenta regenerentur; nullum autem inde aliquod comparatur dominum aut magisterium, ne quidem de jure Ecclesiastico, quippe secundum quod Ecclesia Hierosolymitana, quam matrem priore modo diximus, Cæsariensi subjecta fuit Ecclesiæ, uti patet ex canonice. Concilii Nicæni. Inter particulares namq; Ecclesiæ est relatio & unio non καθ' ὑπεροχήν, ut inter matrem & filiam, dominam & servam sive subjectam, caput & membra; sed κατ' ιδέαν, ut inter pares collaterales, ut inter membra σύστωμα, aut forores in una familiâ. Licet igitur foror altera alteram ætatem, aut virtute, & præstantiâ anteire posfit; non tamen, quatenus foror est, dominationem in illam habet.. Non male igitur Theodosius in l. 6. C. de SS. Eccles. eadem πειρατεῖα, quæ tūm habebat Episcopus Romanus, etiam Constantinopolitano concessit Episcopo. Nempe Episcopi Romani eo tempore hæc invaluerat prærogativa, ut etsi statuendi jus penes Synodum esset, nihil tamen ferē decerneretur sine consilio Episcopi Romani, qui sententiam suam exponere rogabatur, sicubi de intellectu canonis alicujus Ecclesiastici dubium in provinciâ aliquâ exortum esset. Idq; ita observabatur in Occidente, quo ipso tamen nullum dominandi, definiendiq; aut leges ferendi jus inducebatur. Et ne induceretur, eandem prærogativam in dictâ constitutione Theodosius tribuit Episcopo Constantinopolitano. Vid. Jac. Gothofredus add. l. 6.

XI. Nihil igitur facit Innocentius commentitiâ hâc suâ ratione, ut quatuor Patriarchas numerando, semet ipsum eximat; eosq; sibi subjectos faciat. Nec melioris notæ, imo haud paulo deterioris est Decretalis Benedicti XI. Pontificis Romani, quæ habetur in Extrav. comm. c. 3. de elec. dum Patriarchales istas sedes à Romanâ Ecclesia institutas fingit: *Santa Romana Ecclesia, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum à DEO, utpote mater universorum Christi fidelium & magistra quatuor Patriarchales sedes instituit, inter quas post ipsam Romanam Ecclesiam Constantinopolitanam primum, Alexandrinam secundum, Antiochenam tertium, & Hierosolymitanam quartum locum voluit obtainere, ipsasq; multis prærogatibus & honoribus ac privilegiis decoravit.* Ipsa rerum series, de quâ supra abunde diximus, reclamat, & prodigiosam hanc atq; superbam Pontificis assertionem refellit. Nec toleraverunt arrogantem hanc Episcopi Romani vocem reliqui Patriarchæ, nisi eo forte tempore, quo Galli & Veneti conjunctim Constantinopolin tenuere, quo ab Latinis sedes Episcopales in Oriente administratæ sunt. Sane in Concilio Constantinopolitano III. Romana in numero Patriarchalium sedium habita fuit, dum Patres Constantium Pogonatum Imperatorem per epistolam Synodicam rogant, ut ad quinq; sedes Patriarchales acta Concilii mittenda procurentur. Sic & Gre-

Gregorius Magnus lib. 6. epist. 37. reliquis Patriarchalibus sedibus non minorem honorem tribuit, quam suæ Romanæ, omnesq; inter se æquales & pares facit. Et Nicolaus I. in responsis ad consulta Bulgarorum cap. 92. ad quæstionem, quot sint veraciter Patriarchæ? respondet: *Veraciter illi habendi sunt Patriarchæ, qui sedes Apostolicas per successiones Pontificum obtinent, id est, qui illis præsunt Ecclesiæ, quas Apostoli instituisse probantur, Romanam videlicet, & Alexandrinam & Antiochenam.* Romanam Ecclesiam inter Patriarchales diserte recensens. Sic & Justinianus in l. 7. c. de SS. Eccles. Episcopum Romanum vocat Papam Senioris Romæ & Patriarcham. Et in rescripto, quod recensetur l. 8. c. eod. hunc in modum concepta est inscriptio: *Justinianus --- Johanni sanctissimo Archiepiscopo almae Urbis Romæ, & Patriarchæ.*

XII. In jure Græco-Romanico, quod edidit Johannes Leunclavius, lib. 7. habetur Theodori Balsamonis meditatum, ut vocatur, sive responsum de Patriarcharum privilegiis, ex quo plurimæ sententiæ ad rem præsentem facientes colligi possunt. Præcipua ejus disquisitio est, quomodo sanctissimorum Patriarcharum numerus quinarius extiterit, & qualiter se ad invicem habeant? Inter alia inquit: *Primus adversus secundum sese non offert, neq; secundus adversus tertium, sed cum instar quinq; sensuum capit is unius, (qui tot esse numero dicuntur; nec dividuntur tamen in partes) apud populum Christianum habeantur, dignitate nihilominus pares sunt in omnibus, ιστημένοι ἐν ἀπαύγαστη, & cum capite sanctorum per universum Orbem Ecclesiarum DEI jure dicantur, locum in eis discrimen ab hominibus statutum babere non potest.* --- Sed quemadmodum quinarius ille sensuum archiepiscopi & Conditoris DEI formationi respondet, nec adspicetus v. g. odoratæ, nec auditus tacitum vel gustum hostiliter eam ob causam invadit, quod eorum nomina forte tali serie à nobis proferantur: ita nec sanctissimorum patriarcharum aliquis, cui per divinos canones primus tributus est locus, adversus secundum & proximum ab hoc, arroganter semet effert. Et porro: *Sanctissimos quinq; Patriarchas pro solo capite corporis omnium Ecclesiarum Dei agnoscimus.* Rursus: *Ceterum cum sacra literæ patrumq; traditiones Episcopum Romanum appellant Papam: itidemq; Alexandrinum & ipsum quoq; Constantinopolitanum ac Hierosolymitanum, Archiepiscopos; solum vero Antiochenum Patriarcham, qui fieri potest, ut Antiochena Ecclesia non patiatur injuriam, que intelligat reliquos etiam publice dici Patriarchæ?* Omnino sit hoc propter identitatem honoris, & quod bi quinq; Patriarchæ vicem unius capit is universi corporis obtineant, sanctorum videlicet Ecclesiarum DEI. Et concludit tandem: *Licet ergo Papæ Patriarchæ & Archiepiscopi significata lingue ratione diversa sunt: nullo tamen modo potestate differunt.. Hac Balsamon Vir eâ ætate, hoc est, circa annum clœ CLXXX. supra omnes alias juris Canonici consultissimus, uti cum laudat Nicetas Choniates in Isaac. Angel. lib. 2.*

XIII. Sed ne quis regerat, ab homine schismatico & Romanæ Ecclesiæ infenso, uti Balsamonem redarguit Cardinalis Bellarminus in lib. de Scriptor. Eccles. proœcta ea esse testimonia, ipsorum Pontificum Romanorum sententias adscribimus, quibus deprecati fuerunt vel insolentiorem titulum, vel honorem exuberantem, cæterisq; Patriarchis detrahentem. Apud Gratianum dist. 99. ex Pelagii Pontificis Romani epistolâ hoc legitur fragmentum: *Nullus Patriarcharum universitatis vocabulo unquam uratur: quia si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Sed absit hoc à fidelibus, hoc sibi velle quempiam arripere, unde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulâcunq; parte videatur. Quapropter charitas vestra neminem unquam etiam suis in epistolis universalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem infert indebitum. Ad eundem modum scripsit Gregorius Magnus ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum apud eundem Gratianum d.l. Ecce in præfatione epistole, quam ad me ipsum, qui prohibui, direxisti, superba appellationis verbum universalem me Papam dicens imprimere curas: quod peto, mibi dulcissima sanctitas vestra ultra non faciat: quia vobis subtrabitur, quod alteri plus, quam ratio exigit, præbetur. Ego non verbis quero prosperari, sed moribus: nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Mens namq; est honor universalis Ecclesia meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego honoratus sum, cum singulis quibusq; honor debitus non negatur. Si enim universalem me papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum. Sed absit hoc: recedant verba, quæ vanitatem instant, & charitatem vulnerant. Uterq; Pontifex tales in reliquos Patriarchas superioritatem deprecatur, ex quâ impares illi fieri aut dici queant. Generalis est Pelagii sententia, ut frustra statuatur à Canonistis, non esse eam ad Papam Romanum extendendam. *Charitas vestra, inquit NE MINEM UNQVAM etiam suis in epistolis universalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem infert indebitum.* Et omnino futile est Gregorianæ epistolæ interpretatio, quâ statuunt, ideo universalem episcopum se negasse, ne quis putet, particulari cuiq; Ecclesiæ se præfectum velle. Rationem enim ipse addit Pontifex, cur dici ita nolit, quia scil. cæteris Patriarchis subtraheretur, si uniusquam ratio exigat, præbeatur. Declinat Pontifex & à se remotum cupit omne id, quod ~~ταρποχην~~ aliquam in cæteros Patriarchas significare queat. Quod attestantur sequentia ejusdem epistole, quælib. 7. indit. 1. trigesima est, verba: *Indicare quoq; vestra beatitudo studuit, jam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, & mibi loquitur dicens: Sicut iussisti. Quod verbum iussionis peto à meo auditu removete, quia scio, quis sum, qui es sis. Loco enim mibi fratres, estis moribus patres. Non ergo iussi, sed quæ utilia visa sunt, indicare curavi.*

XIV. Quan-

XIV. Quandoquidem autem haudquaquam improbari potest hie-
rarchia Ecclesiastica, si, ut supra diximus, presbyteri Episcopis, Episcopi
Metropolitanis, & Metropolitani Patriarchis subjecti sint, non ineptè nunc
quæritur, an non ulterior ad sensus & gradatio fieri debeat, ad unum ali-
quem summum, qui Patriarchis præsit? Ita quidem volunt Romanæ Ec-
clesiæ alumni, qui pontificem suum ad tantum evehunt fastigium, ut DEO
parem, aut non multò minorem faciant: Ecclesiam autem universam ita
ei subjiciunt, ut verum & vivum Christi membrum non sit, qui Romani
Episcopi placita, ut divina oracula, non recipit, quive nolit ab eo sive in
primâ sive in secundâ instantiâ judicari, adeo ut ex toto terrarum orbe
causæ Ecclesiasticæ ad Consistorium ejus velut ad tribunal universale de-
volvi atq; referri debeat. In eam rem in primis laudant vulgatum Politici-
corum axioma, Monarchiam esse optimam & præstantissimam imperandi
formam. Et hinc inferunt, probabile, imo certum esse, Ecclesiam DEI à
sapientissimo principe Christo institutam secundum optimam regiminis
formam gubernari. Addunt, monarchiam passim in naturâ commendari,
non hominibus modo, sed brutis etiam animantibus, suum apes, suum aves
regem, suum in aqua ingentia cete, suum quadrupes agnoscere; ex homi-
nibus vero, quicunq; vel sapientiâ vel moderatione & disciplinâ, vel armo-
rum usu viguere, singulare illud imperii genus, quam monarchiam vocant,
cæteris antiquius & præstantius habuisse.

XV. Nec contenti illi usurpatione talium hypothesis in rebus Ec-
clesiasticis, potestatem Pontificis sui monarchicam etiam ad temporalia
extendunt, supponendo Laicam potestatem eminenter & virtualiter con-
tineri in Ecclesiasticâ, & sicut aurum superat plumbum altitudine suæ quid-
ditatis seu essentiæ, & Sol Lunam, ita potestatem Ecclesiasticam superare
merè Laicam suâ essentiâ & eminentiâ, & eminenter continere eam. Vid.
Martin. ab Azpilcuet. Navarr. *relect. c. novit. l. de judic. notab. 3. n. 41.* In-
de conficiunt, Papam non minus directè in temporalibus terræ universæ
Dominum, quam Catholicæ Ecclesiæ caput in spiritualibus esse constitu-
tum: cuius quidem secularis dominij jure tam habeat in Imperatores, Reges,
& Principes supremam directo ordine jurisdictionem, ac de iis, ubi res in-
ciderit, eorumq; imperiis statuendi potestatem, quam in Episcopos obti-
neat, & cæteram Cleri plebem, quos arbitratu suo posuit vel novis ornare
honoribus, vel pristino gradu pro meritis exutos dimittere. Ejus senten-
tiæ principes à Cardinale Bellarmino *lib. 5. de Rum. Pontif. c. 1. notantur*
Augustinus Triumphus, Alvarus Pelagius, Hostiensis, Panormitanus & Syl-
vester; quibus porro annumerat Henricum Gandavensem, Rodericum
Sancium, Alexandrum Alensem, Celsum Mancinum, Thomam Bozium,
Hidorum Mosconium, Card. Baronium, Lælium Zechum, & Alexandrum
Carerium. Qui idem Carerius *l. 2. de potest. Rom. Pontif. cap. 9.* alias plu-
res.

res hisce partibus accenset, ut opinionis illius præcipuos assertores: cuius studio ipsum videre licet adeò præcipitem ferri ardore & vehementia, ut qui contra nitantur omnes, re ipsâ damnet anathematis. Add. ex JCtis Sig. Scaccia de judic. lib. 1. cap. 11. n. 6. seq. § 12.

XV. Non possunt commemorari hic omnia, quibus posteriorum seculorum, nempe XIII, XIV, XV, XVI. & hujus etiam nostri, Romano Pontificij additi Scriptores in ejus manum & potestatem divina & humana, ecclesiastica & politica, cœlestia & terrena consignant. Si quando differendi hâc de re datur occasio in jure Canonico, diffluunt glossæ in stylum luxuriantem, & Pontificem Romanum DEO æqualem faciunt. Ad c. quanto X. de translat. Episc. hæc notat Glossa: *Unde dicitur habere cœleste arbitrium, & ideo etiam naturam rerum immutat, substancialia unius rei applicando alii, & de nullo potest aliquid facere. & sententiam, quæ nulla est, facit aliquam, quia in iis, quæ vult, ei est pro ratione voluntas, nec est, qui ei dicat, cur ita facis; ipse enim potest supra jus dispensare. Idem de injustitia potest facere justitiam corrigendo jura & mutando, & plenitudinem obtinet potestatis.* Adeundem modum commentatur Glossa alia ad c. unam sanctam, in extravag. comm. de major. & obed. Item quia Jesus Christus filius DEI, dum fuit in hoc mundo, & etiam ab æterno naturalis dominus fuit, & de jure naturali in Imperatorem & quoscunq; alios, ut pote in personas, quæ creaverat, & donis naturalibus & gratuitis dotaverat & etiam conservabat. Et eadem ratione & vicarius ejus potest. Nam non videatur Dominus discretus fuisse, (ut cum reverentiâ ejus loquar) nisi unicum post se talem vicarium reliquisset, qui hæc omnia posset. Modum vero omnem excessit Glossa ad c. cum inter, Extrav. Job. XXII. de V. S. dum ipsum etiam DEI vocabulum & nomen Papæ Romano tribuit: Credere, inquit, Dominum DEUM nostrum Papam, conditorem dictæ decretalis & Iusticiæ, non potuisse statuere, prout statuit, hereticum censeatur. Ubi notandum, vocem, DEUM, in quibusdam exemplaribus non haberi, haberi tamen in editione jussu Gregorii XIII. à Correctoribus Pontificiis emendatâ, & pluribus aliis, quæ deinceps prodierunt. Possent addi ex eodem jure Canonico talia plura, nisi fugienda esset Lectoris latietas, ineptias istas fastidientis. Unicum adjungam encomium Papæ variis flosculis adornatum & à Cataldino de Boncompagni str. de potest. Papæ ad inclitam civitatem Ferrariae anno 1488. §. Proinde loquar. n. 14. his verbis decantatum: *Papa non puri hominis, sed DEI vivi vices gerit in terris, & totius mundi appellatur Dominus.* Est Sacerdos maximus, summus Pontifex, heres Apostolorum, primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus ipse. Est, ut Bernhardi utar eloquo, diligentium Pater summus & particeps omnium timentium cum, Christianorum Dux & Ordinator, Omnium Pastor, Magister sapientum, oppressorum refugium, Advocatus pauperum, miserorum spes, cœcorum oculus, mutorum lingua, bacu-

baculus senum, malorum metus, honorum gloria, potentum virga, tyrannorum malleus, Regum Dominus, moderator Legum, Sol terre, orbis lumen, vicarius Christi, successor Petri & mundi arbiter, Dominus & Magister.

XVII. In has laudes & absurdas adulationes diffundunt se, qui monarchiam in Ecclesiâ necessariam esse statuunt, quique Pontificis Romani affectum exsuperantiam defendere aliter nequeunt. At verò, dum supponunt, monarchiam omnium Rerum publicarum præstantissimam esse, & ad hanc etiam Ecclesiam conformari debere, in eo & *ueritate* committunt *etiam animas* & *lives*, & velut concessum ponunt, quod concedi simpliciter nec potest, nec debet. A Philosophis Sophista dicetur, qui principium politicum in theologiam transfert. Confundit enim plus quam toto genere diversa, ea nempe quæ cognoscuntur sub lumine rationis, & quæ cognoscuntur sub lumine revelationis, sive fidei. Nec debet enim regimen Ecclesiasticum aliter institui, nisi ad normam ab ipso Autore Christo præscriptam. Deinde nec ipsi Politicorum antesignani simpliciter statuent, Monarchiam præstantissimam esse, aut omnibus universitatibus adaptari commodè posse. Non sono gli huomini (inquit Marchio Virgilius Malvezzi in Tarquin. superb. p. m. 138.) che constituiscono le Repubbliche, ovvero i principati, mà una certa natura, o forza d'interesse, che quantunque non conosciuta, non lascia loro ritrovar quiete, fino che non gli conduce, dove hanno maggior proporzione, in quella guisa, che auuenir suole à gli elementi, che non sapendo, oue vadano, condotti da un natural istinto non ritrovano mai quiete, per sino, che non arrivano à quel luogo, che benche fosse loro naturale, non conoscevano.

XVIII. Aristoteles in politicis, quænam trium specierum melior sit, determinare non audet, sed cum eas enumerasset, l. 3. pol. in fin. addit: *Cum tres sint rectorum Rerum species, necesse est, optimam esse, que ab optimis administratur. Talis autem est, in qua contingit, aut unum aliquem omnium, aut genus totum, aut omnem multitudinem virtute præstantem gubernare eos, qui gubernari possunt ad eam vitam, que sit maxime expetenda &c.* Nec profecto consensum hic expressissimes à Romanis, Lacedæmoniis, Atheniensibus, Syracusanis, Thebanis, Carthaginensibus, quibus monarchia prorsus displicuit. Neque vero hodiè aliter nisi ægrè ferent, si quis mordicus imperium unius defendere & svadere velit, Helvetii, Belgæ, Genuenses, Veneti & alii, qui suo exemplo nos docent, non omnibus gentibus tandem convenire Reip. formam. Et ut maximè demus, monarchiam omnia Rerum. præstantissimam esse; propter incommodatamen in eâ resultantia notabiles adjiciendæ erunt limitationes, si scil. unus homo omnibus locis adesse posset, nec necessario cogatur negocia Reip. per alios expedire, & si mori non posset, ne unquam Reip. principe destituatur, cum interregnum, quod contingere sæpiuscule solet, ingentium turbarum materiam suppeditet.

XIX. Vident Pontificiæ tyrannidis defensores ista & alia plura incommoda, idcirco laudant aliquando mixtam Reip. formam, & tales nunc in suâ Ecclesiâ existere dicunt, quod præter monarchiam etiam Aristocratiæ & Democratia locum in eâ habeant dum nempè Papa Romanus omnibus ut monarcha imperat, & nulli subjicitur: Episcopi Aristocratiæ constituent, summo quidem Pontificis imperio subjecti, suam tanten dicecesin non tanquam alienam, sed ut propriam moderantes: Democratiam autem in eo conspicuam esse volunt, quod nemo sit ex omni Christianâ multitudine, qui ad Episcopatum vocari non poscit, si dignus eo munere judicetur. Atque sic concludunt, Ecclesiasticum regimen monarchicum esse, temperatum tamen ex aristocratiâ & democratâ. Ita ferè Bellarminus *lib. I. de Pontif. Rom. c. 5.* At verò in regno hoc Ecclesiastico nullam planè mixturam inveniri, sed absolutum & simplicem dominatum exerceri, quis tam cœcus est, qui non videt? Ubi monarchia per aristocratiam aut democratiam temperata est, ibi quæ in comitiis tractantur, sine principis consensu rata haberi nequeunt: ita neque princeps potest quicquam determinare sine optimatum assensu & popularium. Et quæ illorum omnium concordi consensu statuuntur, non possunt à Principe solo, nisi similis consensus, à quo statuta sunt, adhibeatur, antiquari. Aliter omnia se habent in regno Pontificio. Ea enim est potestas dominantis ibi monarchiæ, ut non solum concilia nequeant absq; Pontificis consensu decreta ad Ecclesiæ administrationem facientia statuere; verū ipse etiam Papa poscit absq; illis decreta sancire, nec minus rata quidem ac firma, quam si illi suffragarentur. Sed & adjicere ei licet, & detrahere & mutare, in decretis conciliorum, quicquid ipsi libet, & promulgare illorum nomine, non secus ac si ipsum totum Concilium uno consensu tale decretum compoſuit. Potest etiam, quando & ubi vult, quæ mutuo consensu in conciliis promulgata sunt, ipſe solus refigere & antiquare, cum nullis omnino legibus teneatur. Ex quo sequitur, Pontificiam monarchiam nullam omnino mixtaram admittere, sed plenissimum esse & absolutum potestatis in universam Ecclesiam dominatum. *Qui volunt*, inquit Bellarminus *præf. Rom. controvers. 3. part. 3. quest. 4.* concilium esse supra Pontificem, volunt eum esse in Ecclesiâ, id quod est Dux Venetorum in Rep. Venetâ, supra singulos magistratus, & supra singulos Senatores, non tamen supra totum Senatum simul collectum. At verò Pontifex simpliciter & absolute est supra Ecclesiam universam, & supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supræse judicium agnoscat.

XX. Ad istas enormitates studio monarchiæ per principia philosophica prolabuntur Republicæ Ecclesiasticæ architecti. Neq; ad rem faciunt a brutis animantibus illustramenti loco petita exempla, quæ tantum abest, ut probationis quandam speciem præ se ferant, ut potius hypothesin Pontificiam evertant. De monarchiâ apum nota res est inter apiarios, sed

sed singulis alveis singulos ajunt præsiderere reges. Hoc vero nihil ad rhombum, nisi doceatur, omnium per Europam, imò orbem universum apum & alveorum unum aliquem Regem extare Oecumenicum. Imò verò cum singulis alveis singuli sint Rectores, nemo unus ductor universorum, comodè inde inferetur, pari modo singulis Ecclesiis suum præesse debere gubernatorem aut Episcopum. Unum autem aliquem Rectorem omnium, Romæ regnante nihil est in omni naturæ laxitate, quod adumbret, aut repræsentet. Ejusdem enim notæ est, quod quadrupedes Regem suum habere nugantur; non arbitror tamen inter equos aut mulos dari aliquem unum dominantem, & imperio absoluto *μοναρχία*, ita ut cæteri omnes in universo terrarum orbe existentes ei subjecti sint & colla subdant. De Leone quidem notæ sunt fabulæ, principem eum esse reliquorum quadrupedum omnium; sed eum hædquaquam verentur molosfi, qui oblatum in caveis ferocitate insitâ aggrediuntur.

XXI. Nec veremur tamen Ecclesiæ politiam Monarchicam dicere, sed alio planè sensu & modo. In eâ Christus solus & unicus Rex est, ejus leges sunt Scripturæ: administrî & officiales, Episcopi, qui non eum in finem constituti sunt, ut uni alicui inter se summo, qui monarchiam ipse mundano modo constituent, aspideant, sed ut ipsi singuli, suo quisq; gregi, præsint. Quod si à regiis mundanarum Rerum publ. formis politia hæc discedit, de quibus Philosophi suas instruunt regulas, ut non nihil discedit, mirum hoc videri nemini debet, cùm denunciarit ipse ejus formator, regnum suum ex hoc mundo non esse. Apostoli quidem certè ejusmodi quoddam regnum in animo haberunt; Verum Christus edixit, non ita futurum inter illos, ut apud Principes gentium. Quæ Christi verba, cùm Episcopi Romani sequioribus temporibus minime intelligerent, conjicerentq; Apostolis nihil aliud, quam tyrannidem aliquam Ethnicorum more formatam interdici, & monarchiam tamen, tot Philosophorum testimoniis laudatam, summoperè affectarent, visibilem à se excogitatum monarchiam, pro Christi monarchiâ substituerunt, & ejus regnum, quod ex hoc mundo non fuit, nec esse debuit, in verè mundanum transmutarunt. Neq; contenti ejus regni finibus Ecclesiasticis, in ipso etiam regna terrarum imperium universale occuparunt. Quæ omnino exsuperantior est monarchia, quam ut Philosophi regulis suis continere eam queant.

XXII. Ut enim in politicis subsistere non posset imperium, si unus homo totum terrarum Orbem gubernare vellet, & ad ejus unius judicium omnes causæ, majores saltem, sive in primâ, quam vocant, instantiâ, sive per appellationem devolvi deberent, cùm hæc ratione nec necessitatibus humanis subveniri, nec publicæ tranquillitati ullo modo consuli satis posset: ita non minus Ecclesiasticæ id adversum foret tanquillitati, si regimen ejus uni alicui committi oporteret. Coercere intra terminos imperium ma-

xime semper studuerunt illi, qui perpetuum id sibi voluerunt. Et in genere verum est, magnorum imperiorum non semper optandam esse conditionem. Sit enim verò Monarchia optimus R. eip. status; sed erit tum demum, si is ad æterni numinis exemplum quantum potentia cæteris antecellit, tantundem vincat bonitate sapientiæq;. Sed partim haud scio, an hujusmodi quispam possit contingere, partim vix arbitror, capacem esse tantæ ditionis unius mortalisanum. Quomodo igitur salute Ecclesiæ ominabimur ex unius alicujus sæpè numero insulsi, fatui, socordis & flagitiosissimi hominis regimine? cum nec dari nunc possit homo unus tantæ sapientiæ, ut casus omnes recte discernat, tantæ potentia; ut omnes ad suam sententiam amplexandam cogere queat, aut deniq; tantarum five animi five corporis virium, ut omnibus per Orbem terrarum oboris litibus dirimendis sufficiat. Sed nec unquam universum genus humanum post sui multiplicationem in unum aliquod corpus five societatem civilem, aut Remp. unam coivit, imo verò nec coire propter tantas intercedentes potest. Et cur verò, si DEO non placuit universum mundum in temporalibus ab uno homine mortali gubernari, cur inquam dicamus, eundem ab uno in spiritualibus dependere debere? cum tamen non minori cum difficultate regimen Ecclesiasticum quam civile sustineatur. Nec enim assentior Bellarmine, qui *I. i. de Pontif. c. 9. sect. pen.* etiam in civilibus universalem monarchiam commendat, & introductam cupit. *Mibi omnino, inquit, expedire videtur, si posset eò perveniri sine iniquitia & bellicis cladibus, omnes provincias mundi ab uno summo Rege gubernari in rebus politicis: præser-*
*tim si summus monachus sub se haberet non vicarios & proreges, sed veros principes, quomodo Pontifex sub se habet Episcopos.. Credo ego facilius tum futurum Pontifici, ut sceptrum ipse capessat, & per excommunicationem unius illius Monarchæ, aut absolutionem subditorum à subjectione sibi ipsi totum imperium vindicare queat. Id verò & divinæ institutioni & totius Orbis saluti repugnare, certum est, nec inficiabitur, quisquis imperandi artem dicerit, aut attentiùs secum consideraverit.. Probanda esset talis monarchia, si quemadmodum Sol indefatigabili motu universum terrarum Orbem illustrat, illustrat, & conservat: ita unus homo posset singulis nationibus prospicere. Concedamus præferendam esse monarchiam Aristocratiæ, si quis scil. inveniatur omnium optimus ac prudentissimus, si monarchia intelligatur non totius Orbis, sed cuiuspiam ditionis & certi alicujus territorii. Conf. Jan. Gruter. *discurs. ad Tacit. c. 17.**

XXIII. Cæterum cum totum Ecclesiæ regimen ad finem supernaturalem tendat, & supernaturalibus etiam ordinetur mediis, non aliud rectius constituetur caput, aut alius gubernator & princeps, nisi ille, qui autor est & fundator Ecclesiæ, quique media illa Supernaturalia, dona videlicet gratiarum & Spiritus S. in manu habet. Talis est ipse Salvator Christus, cu-
jus

ius respectu Ecclesiæ regimen verè monarchicum est. Ecclesia namque est corpus Christi, qui solus officio capit is defungitur, vitæ, motus sensusq; potestatem ei largiendo: Et illum constituit caput DEUS super omnia ipsi Ecclesiæ Epbes. I, 22. & ex illo totum corpus per commissuras & compages suppeditatum & compactum, augescit Dei augmento. Coloff. II, 19. Corpus hoc & regnum ut spirituale est, & spiritualibus modis sustinetur: ita nenesse non est, ut in eo visibile aliquod caput sit, aut visibilis monarcha, quandoquidem & cives ipsi, fideles scil. & electi, qui præcipua hujus regni pars sunt, quatenus tales, invisibles sunt. Et hinc recte Gratianus c. *hoc Sacramentum, de consecr. dist. 2.* definit Ecclesiæ, quod sit societas corporis & membrorum Jesu Christi, eamque consistere ait in prædestinatis. At cœtus electorum atque prædestinatorum invisibilis est, & latens, neque ullius sensui obvia societas. Forma enim essentialis Ecclesiæ consistit in unione intrinsecâ cum Christo capite & reliquis membris. Quæ unio distinctâ individuorum notitiâ sciri nequit, quis scil. inter eos, qui Christo nomen dederunt, vere unitus cum eo sit, propter vitium hypocriteos, quo cœtus iste infectus est. Tale scil. est regnum Christi, tales cives, & tale etiam caput. Et ad tale regimen, quod solos electos concernit, sufficeret sine dubio sola Christi capit is invisibilis præsentia, per quam dona sua & gratiam imperiat, & cives suos beatos reddat.

XXIV. Sed quia cœtus ille, in quo invisibilis illa Ecclesia latitat, in oculos incurrit, & latius patet, quam cœtus electorum, cum extra Ecclesiæ visibilem, sive externum vocationis cœtum, ex bonis & malis constantem; non querenda sit invisibilis, eorum scil. qui ratione externæ conversationis in Ecclesiæ visibiles quidem sunt, ratione fidei autem invisibilis & soli DEO cogniti, inde factum, ut externum etiam in Ecclesiæ aliquod regimen sensibiliter & ab hominibus visibilibus obeatur, ad disciplinam scil. & bonum ordinem conservandum, tum & ad prædicationem verbi & administrationem Sacramentorum continuandam. Et hoc ipsum regimen monarchiæ Christi ita substernitur, ut ab ea totum dependeat, neq; aliunde leges accipere debeat. Quod si vero extra hoc caput, istud, uti inter homines sustinetur, considerandum fuerit, nego, per ea, quæ supra dixi, unum aliquem Ecclesiæ ita præfici debere, aut etiam posse, ut ille ubiq; terrarum potestatem suam exercere queat. Quin confidenter affero, regimen istud rectius committi pluribus, & ab ipso Christo etiam institutum fuisse quodammodo aristocraticum. Ut enim jam non repetam, quod supra abunde probavi, Christum Ecclesiæ suam Apostolis omnibus ex æquo commendasse, eosq; ad hoc necessariâ potestate omnes æquè instruxisse, sufficit adducere testimonium Pauli, Epbes. IV, 11, 12. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii in di-

O 3^o ficiatio-

ficationem corporis Christi. Hæc est Reip. Ecclesiast. cæ forma, quam ipse Rex & Princeps ab initio instituit, in quâ ne vestigium quidem alicujus *μοναρχίας* extra Christum existit. Ad quid ergo ἐξ ἀλλαγῆς, & ex aliquâ Philosophorum regulâ nec concessâ ab omnibus, nec accommodatâ satis, fingere nobis licebit regimen prorsus aliud, exorbitans planè & intentione divinæ adversum.

XXV. Ubi virorum præstantium copia est, & rem omnem non armis & bello violenter, sed placide consilio & prudentiâ collatis hinc inde sententiis in tranquillitate & quiete atq; charitate geri oportet, ibi ex ipsius rei naturâ & Politicorum placitis aristocraticum regimen monarchico præfertur. At in Ecclesiâ omnia se ita habent, quippe in quâ charitas præcipua virtus est, ita ut ex eâ vinculum societatis Ecclesiasticæ constituatur. Violentiam autem & armorum usum Ecclesiæ necessariam esse tantum abest, ut creditum olim fuerit, ut potius doctrinâ & praxi contrarium sustinuerint Apostoli & eorum successores. *Arma militiae nostre*, inquit Paulus, *2. Cor. X. 4.* non *carnalia sunt, sed divinitus valida ad destructionem munitio-*
num. Idem Apostolus *Ephes. VI. 14. seq.* universam *πανοπλίαν* describit, quam per baptismum accepit Ecclesia ab Archistratego & Rege suo Christo. Optimè Tertullianus *ad gentes in apologet. c. 37.* Cui bello non idonei, non prompti fuissimus, etiam impares copiis, qui tamen libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere. Ecce: Prudentia vero, quâ gubernari debet Ecclesia, multo rectius inter plures sese exserit, quam expectatur ab uno, sèpè parum prudente, & vitiis, imò & hæresi quandoq; inquinato. Sic igitur statuimus, nullam in Ecclesiâ vel olim institutam, vel institui adhuc debere monarchiam visibilem universalem unius hominis; sed dari suo modo partiales in singulis Ecclesiis Episcopis commissas, quæ simul omnes unicam constituant Ecclesiam universalem, non monarchicè amplius in hac universalitate, sed aristocraticè gubernatam. Eoq; pertinet dictum Cypriani *lib. 4. ep. 2.* Una est Ecclesia à Christo per totum mundum in multa membra, divisa: item Episcopatus unus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus. Legitur apud Gratianum *c. Novatianus 7. q. 1.* Non ergo est Ecclesia sub unius capitio cum plenisimâ potestate omnia gubernantis jurisdictione visibili.

XXVI. Quia autem vident Pontificii suprematûs assertores, ex regulis politicis parum juvari suam in Ecclesiâ monarchiam, ad Scripturam facram confugiunt, ut inde fulcra atq; firmamenta conquirant. In eam rem præ cæteris laudant & producunt *πληρούμενον* illum ex *Mattb. XVI. 18.* locum: *Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* Atq; hinc evidenter putant probari, Petrum constitutum fuisse supremum Ecclesiæ monarcham, & post Petrum successores ejus omnes. Nam, inquit Didacus Covarruvias *l. 4. var. resol. c. 14. n. 11.* licet quidam ex patribus locum illum

illum varie intellexerint, communi tamen eorum consensu ea interpretatio recepta est, ex qua catholici primatum Petri, & sedis Apostolicae probari non dubitant. At vero difficile erit Covarruviae, consensum illum ostendere, nec forte testimonia, quae remissive adduxit, si evolvantur, ejus fidem facient. Tertullianus sane, qui de præscriptionibus adv. heret. scripsit, Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dicitum, & de pudicitia: super te Petrum ædificabo Sc. ibidem mox subiungit: In ipso Ecclesia extructa est, id est, per ipsum. & lib. 4. adv. Marcion. Petrum ita dictum, ait, quia Petra & lapis Christus. Origenes, quando ex professo hunc locum exponit, petræ nomine quemvis fidelem ait insigniendum: Quod si nos quoq; inquit, locuti, quod dixit Petrus: Tu es Christus filius DEI vivi, tanquam non acceptâ bujus revelatione à carne aut sanguine, sed luce cordi nostro illucenti à Patre, qui in cœlis est, efficimur Petrus: & nobis dicetur, quod hunc sermonem sequitur: Tu es Petrus Sc. Petrus est enim, quisquis Christi discipulus est, ex quo biberunt de spirituali consequente eos petrâ. Paulo post: Quod si super unum illum Petrum tantum æstimas ædificari totam Ecclesiam, quid dicitur es de Iohanne filio tonitru & Apostolorum unoquoq;? Quin alioqui nunc audebimus dicere, quod adversus Petrum unum non prævalitæ sint portæ inferorum, adversus ceteros autem Apostolos & perfectos prævalitæ sint, ac non potius in omnibus & singulis eorum, de quibus dictum est, sit illud quod dictum est: & portæ Sc.: item illud: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? An verò soli Petro dantur claves regni cœlorum, nec alias beatorum quisquam eas accepturus est? Quod si dictum hoc: Tibi dabo claves regni cœlorum, ceteris quoq; commune est, cur non simul omnia, & que prius dicta sunt, & que sequuntur, velut ad Petrum dicta, sunt omnibus communia? Nam hic & illud velut ad Petrum videtur dictum: Quæcunq; ligaveris Sc.

XXVII. Apud Hilarium lib. 2. de Trinit. hæc lego: Unum igitur hoc est immobile fundamentum, una hæc est felix fidei petra, Petri ore confessa: Tu es filius DEI vivi. Et lib. 6. de Trinit. Super hanc confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est. Item: Hæc fides Ecclesiæ fundamentum est: per hanc fidem infirmæ adversus eam sunt portæ inferorum. De hæc igitur eadem loquitur, quando in Matthæum commentans ait: O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaq; ædificatione illius petra, que infernas leges & tartari portas & omnia mortis claustra dissolveret. Ambrosius vero serm. 84. petram hanc, & illam de qua Paulus 1. Cor. X, 3. loquitur, prouina eademq; habet. Et in cap. 2. ad Ephef. his verbis explicat: Super istam petram ædificabo ecclesiam meam, b.e. in hæc catholicae fidei confessione statuam fideles ad vitam. Cypriani quæ fuerit sententia, optimè intelligitur ex verbis à Gratiano c. loquitur 24. q. 1. adductis: Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram (Glossa hic in jure canonico specia- liter observanda est, quæ ita ὁ θεός φέρει: petram id est, super tue fidei soliditatem) ædificabo ecclesiam meam. Super unum ædificat ecclesiam: & quam-

viii

vis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat,
 & dicat: Sicut misit me pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum S.
 tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno inci-
 pientem auctoritate sua disposuit. Hoc utique erant ceteri Apostoli, quod
 Petrus fuit, pari consortio praediti & honoris & potestatis, sed exordium
 ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstretur. --- Quam unita-
 tem tenere firmiter & vindicare debemus, maximè nos Episcopi, qui in Ecclesia
 DEI presidemus, ut episcopatum quoq; ipsum unum atq; indivisum probemus. Ec:
 In contrarium si quæ proferantur Cypriani sententiae, meminisse oportet,
 depravata admodum ejus esse opera & foedæ adulterata, in medias perio-
 dos sœpè corruptorum infartis Φλυαρίας. Quâ de re videri possunt Andr.
 Rivet. Critic. sacr. lib. 2. cap. 14. Joh. Dallæus de usu Patr. c. 4. pag. 83. in spe-
 cie verò circa verba adducta. Johannes Rainoldus in colloq. cum Hart. cap. 5.
 sed. 2. pag. 112.

XXVIII. De Chrysostomo sibi εμαγνόω non est quod glorietur Covarruvias. Hæc enim ejus est verborum Christi explicatio tom. 3. serm. de pentec. Super banc petram, non dixit super Petrum: non enim super hominem, sed super fidem edificavit Ecclesiam suam. Quid autem erat fides? tu es Christus filius DEI vivi. Idem ibidem: Quid est super petram: hoc est super confessionem, super sermones pietatis. Paria habet in homiliâ de cruce dominicâ, & homil. 55. in Matth. Nec dubito, alios plures à Covarruvia in testimoniū vocatos eum destitutos, si verba eorum non carptim & abbreviatè, sed in rego sensu adducantur, & ex alijs locis parallelis explicitur. Interim tamen concedi potest, & tūm ex adductis quibusdam tūm & aliis aliorum Patrum dictis patet, dictum istud Christi diversimode explicatum fuisse, & fuisse nonnullos, qui per Petram, vel Petrum, vel Apostolorum sive etiam fidelium quilibet exposuerunt. Sed illi, ut maximè vera dicant, à vero tamen verborum Christi sensu discedant & contextum torquent. Ac licet Augustinus hanc interpretationem ipse non rejiciat, imò aliquando illâ utatur; alteram tamen præfert, & ut suam tuetur. Imò vero, dum ait lib. 1. retratt. c. 21. (loco à Covarruvia citato) Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo, tanquam in petrâ, fundata sit Ecclesia, --- sed scio me postea sèpissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est, Tu es Petrus, & super banc petram edificabo Ecclesiam meam, ut super banc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens Tu es Christus Filius DEI vivi. Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat Lector. Dijudicandum relinquo eruditο Lectori, an non ultima ista verba glossema sint Interpretis alicujus verba Augustini temperantis, ne iniquus ille & aduersus diceretur Monarchiam Ecclesiasticam ex verbis Christi extruentibus. Sanè prælatam ab Augustino sententiam posteriore ipsa arguunt verba, dum priorem quodam in loco, posteriorem à se pisiime propositam dicit. Et recte hinc Petrus ab Aliaco

Alliaco Episcopus Cameracensis & Cardinalis in recommendatione, ut vocat, Scripture: *Licet ipsem Augustinus, quæ barum duarum sententiarum probabilius sit, electioni Lectoris reliquerit; non tamen videtur, quod in petrâ Petrus, sed in petrâ Christus sit intelligendus, de quo ait Apostolus: Petra autem erat Christus, 1. Cor. X. Quis enim in Petri infirmitate Ecclesia firmitatem stabilitat? de eius infirmitate ancilla ostiaria interrogata respondeat.*

XXIX. Aliorum Patrum à Covarruvia citatorum dicta jam non executio. Examinavit ea pleraq; & quantum inde præsidii habeant Monarchici, accurate ostendit Isaacus Casaubonus exercitat. 15. n. 12. seqq. Sufficit mihi juris Canonici Doctori & interpreti, adversus Covarruviam & alios Canonistas obvertere glossam ad c. 7. dist. 19. Ibi enim ad verba, super hanc petram, talis invenitur commentarius: *Per hanc dictiōnēm non credo, Dominum aliud demonstrasse, quām hec verba, quæ Petrus respondit Domino, cum dixit: Tu es Christus Filius DEI vivi, quia super illo articulo fidei fundata est Ecclesia. Ergo super se ipso fundavit DEUS ecclesiam.* Et in verbis immediate antecedentibus, cum in textu hæc leguntur verba: *Hunc (scil. Petrum) in consortium individue unitatis assūptum, id quod ipse erat, dominus voluit nominari.* Hunc in modum commentatur glossa: *Erat, id est, ab eo, quod ipse dominus erat, scil. petra, voluit eum vocari dominus Petrum.* Quod quidem Glossatoris testimonium eo libentius adduco, quia in censurā & expurgatione glossarum atque additionum juris Canonici Romæ adornatâ superiori seculo lèvientem Censorum calamum effugit, & obelum nullum, nullamq; lituram passum est.

XXX. Adam Johannis Feri explicationem, qui in istum Matthæi locum hunc in modum commentatur: *Cum Christus dixit, super petram ædificabo ecclesiam meam, nihil aliud vult, quām se ædificatum super firmum immobileq; fundamentum, contra quod nihil possint omnes adversiorum insultus. Ex hoc patet, quod Christus ecclesiam suam non super Petrum aut quemcunq; alium hominem edificat. Nullus enim homo tam firmus & constans, qui non possit moveri, id quod etiam in Petro manifestè videmus.* Alia igitur petra inquirenda est. Hæc Johannes Ferus Franciscanus, Ecclesiastes Moguntinus, Vir. Sixti Senensis Bibl. lib. 4. judicio, in divinis literis nobiliter doctus, & eloquentiâ singulari præditus, cui parem in officio evangelicæ prædicationis Catholice Germanorum Ecclesiarum è tempestate non habuerunt. Et hoc testimonium omnino conforme est illi, quod ex Petri ab Alliaco scriptis modo adduxi. Ex quibus patet, etiam pontifici Regni megistanes aliquos non invenisse in hoc Scripturæ dicto, quod pontificatum oecumenicum stabili re queat, adeoq; frustra nobis illud, ut argumentum demonstrativum & invincibile obverti.

XXI. Qui ex Pontificiis Christum Syriacè locutum contendunt, atq; hinc veteres Ecclesiarum Doctores ignorantia accusat, quod scil. ignoraverint

illi, in lingua Syriaca voces, Petrus & petra, non differre terminatione, nec prolatione aut pronunciatione distingui posse, dupli nomine in reatum incidunt, & quod textum Evangelistae Graecum reprehendant, & quod rece-
dant à vulgata versione, quam cæteroquin mordicus defendant. Enim
verò quod primum concernit, quem dicemus Christi dictum significan-
tiū exprimere potuisse, quam ipsum Apostolum Ἰερόνευσον? Evangelium
enim Matthæi, non Hebraicā primum linguā, sed græcā statim conceptum
& scriptum fuisse, recte docent & adversus contradictores tuentur Andreas
Rivetus *Isagog. ad Script. S. cap. 8.* Nicol. Videlius *exercitat. 4. ad Ignatii epist. c. 2.* Fr. Gomarus *in speciali dissertat. subjecta tractatu de geneal. Christi.*
Secundum autem planè contrariatur decreto Concilii Tridentini, quod
vult, ut vetus & vulgata versio in publicis lectionibus, disputationibus,
prædicationibus aut expositionibus pro authenticâ habeatur, quam nemo
quovis prætextu rejicere audeat vel præsumat: Imo verò statuunt Grego-
rius de Valentia *tom. 3. disp. 1. punt. 7. §. 43.* & Jacobus Gretserus *defens. Bell. l. 2. c. 11.* Græcos & Hebraicos Codices, sicuti à Latinâ vulgata edi-
tione disideant, per Latinam corrigi & emendari debere, & Johannes Pi-
neda *prefat. in Job. cap. 2. n. 4.* nihil lacrae auctoratis hactenus esse, nisi
quod in Latino Codice vulgato habemus. Videat ergo Bellarminus, dum
Latinam vulgatam ex Syriaco idiomate emendatam cupit, quomodo cum
Concilio Tridentino, & sociennis suis in gratiam redeat. Numquid autem
Syriacus idiotismus in præsenti negocio ad monarchiam Ecclesiasticam
stabiendi faciat, Theologis discutiendum relinquo. Videri poterit
Johannes Rainold. *in colloq. cum Hart. cap. 2. sett. 1.*

XXXII. Ut maxime vero concederemus, Petrum fuisse Petram; su-
per quam Ecclesia Christi ædificari debuit; si fuisse tamen is cum aliis petra,
non solus, exclusis cæteris, inclusorum autem non caput singulare, non
hierarchiæ princeps. Imo verò, quicquid hic Petro dicebatur, non ut per-
sonæ singulari dictum est, sed repræsentanti, nimis totius Ecclesiæ per-
sonam sustinenti. Unus pro omnibus respondebat, unus pro omnibus au-
diebat; Tu es Petrus. Dictum est ibidem: Quicquid ligaveris: non quod
solus ligandi potestatem haberet: Habet omnis Ecclesia in presbyteris &
Episcopis; sed ideo Petrus accipit, ut omnes intelligent, quod quicunq; ab
unitate fidei & ejus societate se separaverint, nec à peccatis solvi, nec cœ-
lum ingredi possint: Quemadmodum igitur potestas clavium non signi-
ficat supremam regiminis Ecclesiastici potestatem, id enim si esset, non so-
lum tot forent Monarchæ, quot Apostoli, sed etiam quot ministri & Oecono-
omi in domo DEI essent: ita nec verba antecedentia monarchicam po-
testatem inferre possunt, quippe quæ similiter ad totum Collegium perti-
nent: Notandum est, inquit Anshelmus *in cap. 16. Matth.* quod hæc po-
testas non solùm Petro data est; sed sicut Petrus unus pro omnibus respondit, sic in
Petro

Petro omnibus hanc potestatem dedit. Oeconomus minime in domo Domini sui absolutum imperium obtinet, quamvis claves ipsi sint traditæ; in primis si constet, easdem claves iisdem foribus aperiendis aptas, in diversorum manibus æquali potestate existere, ita ut alius aperire possit, quod socius ejus clausit, vel claudere, quod alter aperuit. Solus ille, qui clavum dominus est, absolutum tenet imperium; & in domo suâ Monarcha est, reliqui ut ostiarii & janitores ministerium tantum præbent, à Domino sibi præscriptum.

XXXIII. Atq; sic non ex Patrum tantum mente & sententiâ, sed ipso-rum etiam quorundam Pontificiorum verbis, explicavimus bracteatum istud dictum Christi, ex *Mattb. XVI.* Accedamus nunc ad alterum, in quo non minus, alii vero haud paulo majus præsidium querunt, quod extat *Job. ult. vers. 15. seq.* dum in priori illo primatum Petro tantum promisum, in posteriore autem hoc solenniter eidem collatum scribunt. Circa hoc autem dictum tria in primis in disquisitionem veniunt. 1. An cum Pe-troso Dominus ita fuerit locutus, ut ad Petrum quoque solum, reliquis Apostolis exclusis, Christi sermo & mandatum spectet? 2. An omnium ovium sive Christianorum cura ita Petro sit commissa, ut sine restrictione vel limitatione ullâ ille solus cum suis successoribus gregem Domini pascere debeat, nec gregem solum, sed ipsos etiam Apostolos & Doctores Ecclesiæ cæteros. 3. Quid pascendi verbo Christus intellectum velit, an talem quoque hinc vim habeat, ut politicam etiam potestatem supra Reges ac Imperatores inferat? Pontificis Romani assentatores hinc ubique affirmati-vam tuerunt sententiam. Videamus, quam bene.

XXXIV. Quod primum concernit, negari nequit, causam, quæ huic colloquio occasionem præcipue dedit, Petro cum reliquis Apostolis fuisse communem. Est enim illa gravissima Petri & reliquorum discipulorum à Christo defectio, & restitutionis in ministerium, è quo per illam excidisse videbantur, confirmatio. Istam autem non à Petro solum, sed etiam à reliquis Apostolis, quamvis non eodem gradu modoq; factam esse, ex Evangelicâ historiâ certum est. Sed & restitutionem iisdem omnibus conti-gisse non minus certum est. Præ cæteris autem Petrum alloqui placuit Domino, quod is præ reliquis insigniter defecerait, dum non fugâ tantum, ut reliqui, Magistrum suum deseruerat, sed trinâ insuper abnegatione, ad-ditâ quoque execratione, gravissimè eum offenderat. Taliter lapsum dum Christus erigit, & in Apostolatum restituit, facile fuit discipulis reliquis colligere, se quoque restitui, & quod Petro à Salvatore Christo dictum ac mandatum erat, sibi quoque dici ac mandari. Nihil Petro supra socios fuit datum aut commissum. Nam quod muneris hâc metaphoricâ locutione Petro injungitur, sive potius restituitur, idem reliquis Apostolis omnibus simplici & plano sermone committitur *Mattb. XXIX, 19.* Euntes docete omnes

omnes gentes &c. Specialiter Petrum alloquitur Christus, quod, ut dixi, præ cæteris ille per abnegationem Apostolatum suum inquinasset.

XXXV. Sed inquis, comparativum Christi sermonem satis indicare, eum ad solum Petrum, reliquis Apostolis exclusis, spectare. Dum enim non simpliciter & nudè interrogat, *ἀγαπᾷς με*, sed cum reflexione ad alios, *πλέον τύτων*, non poterit intelligi reflexio aut comparatio ista, nisi seorsim Petrum consideremus & ejus amorem, ut se habeat ad alios. Neq; comparationem illam addidisset Christus, si reliquos æquè Apostolos, ac Petrum sermo & mandatum Christi attineret. Ita quidem est, & verba satis perspicue comparationem istiusmodi exprimunt; sed inquirendum est, ad verum sensum eruendum, unde occasionem Christus sumpserit Petrum ita interrogandi. Eam autem præbuit sine-dubio nimia Petri præsumptio, quâ ante Christi Domini sui passionem cæteris se discipulis prætulerat, quaq; confidenter admodum jaçtaverat: Etiam, si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Interrogatur igitur nunc à Magistro suo, num idem adhuc animus & confidentia, ac etiamnum reliquis se præferre audeat? postquam scil. ex trinâ abnegatione jam satis constet, minus eum promisi sui memorem fuisse, de quo tam confidenter antea & tam calide gloriatus esset. Et hâc re intellectâ Petrus non comparativè, sed nudè respondere voluit, memor scil. quam infeliciter cesisset pristina jaçtantia, ne in eundem lapidem denuò impingeret. Vid. Robert. Abbot. *de suprem. potest. Reg. prælett. 10. n. 2.*

XXXVI. Hinc vero constat, quare solum Petrum, licet præsentibus aliis Apostolis Servator allocutus fuerit, nempe ut declararet, se non obstantibus pristinis tribus negationibus, quibus oppositas nunc tres audiat amoris confessiones, velle, ut Petrus unâ cum cæteris Apostolatu fungatur: atq; ita animum illi addit, ut sciat, se restitutum esse, & ad se non minus, quam ad cæteros curam pascendarum ovium pertinere, etsi triplici abnegatione, ut illo officio excideret, plusquam cæteri meritus fuisset. Est itaq;, quasi dicat Servator: quamvis causa satis esse posset, quare te repudiarem, quia tamen peccati tui te pœnituit, & mei amorem nunc profiteris, pasce oves meas non minus tu, quam cæteri. Faciunt hoc verba Cyrilli Alexandrini, qui lib. 12. in Jobann. c. 64. ita scribit: *Aliud quiddam hæc oratio parturit. Nam quoniam cum aliis Apostolatus nomine Petrus ab ipso Christo decoratus, ter in tempore passionis negavit, jure nunc ab eo terna dilectionis confessio petitur, ut terna negatio æquali confessionis numero compensetur: ita quod verbis commissum fuit, verbo curatur. Petit autem ab eo, si plus cæteris diligenter. Nam qui majorem clementiam in se Domini fuit expertus, majore amore affici jure debebat. Et paulo post: Ternâ igitur confessione Petri triplex negationis delictum evacuatum est. Dicit autem pasce agnos meos, Apostolatus ei renovans dignitatem, ne propter negationem, quæ humana infirmitate accidit,*

labe-

tabefactata videtur. Si Apostolatus ipsi renovatus est, quid accepit, quod reliqui Apostoli non habuerunt?

XXXVII. De secundo sic sentiunt Latinæ Ecclesiæ Doctores hodierni, Christum, dum Petrum pascere jubet agnos & oves suas, istis verbis omnes agnos, omnes oves Petro & consequenter Pontifici Romano soli, modo quodam peculiari, à quo cæteri Apostoli illorumq; Successores sint exclusi, commisso, & ita quidem, ut quotquot dicant, se Petro ejusq; successoribus in sede Romanâ non esse commissos, necesse sint fateantur, se de ovibus Christi non esse. Sunt verba Bonifacii VIII. in c. *unam sanctam ex-trav. comm. de major.* § 6. *Obed.* At verò, sicut claves Ecclesiæ non soli Petro, sed reliquis etiam Apostolis & eorum successoribus datæ sunt, licet traditio soli Petro facta videatur, dum soli illi dixit Christus, *δέσμω τοι τὰ κλεῖαν* &c: ita quoq; cura pascendi oves Christi reliquis etiam Apostolis demandata est, ut ut cum solo Petro locutus fuerit Christus. Cuivis pastori, quicunq; ille sit, incumbit munus pascendi oves Christi. Consequenter, inquit Basilius lib. de vit. solit. c. 23. oīnib[us] pastorib[us] & Doct[orib[us]] eandem potestatem tribuit, cuius signum est, quod omnes ex equo & ligant & absolvunt, quemadmodum & ille. Nec verò quicquam inde præsidii inveniunt *οἰκείαν εὐαγγέλιαν*, quod Christus indefinitè Petro oves & suas quidem commendaverit, ex quo putant, universum in toto terrarum orbe pascentem gregem Petro commendatum fuisse. Nulla enim est consequentia: Christus oves suas Petro commendat. Ergo omnes. Cuilibet enim Episcopo injungitur, imò verò cuilibet pastori cuiuslibet Ecclesiæ particularis, ut pascat oves Christi, num dicamus, pascere debere eum omnes oves, etiam extra dioecesin suam, extra parochiam suam? Fuit enim verò hoc ius Petro, ut pascere posset quacunq; oves, sive alias post alias distributivè, sed id rectius *ex naturâ officii* Apostolici, quam ex hoc dicto concluditur. Et illud ipsum officium Apostolicum Petro cum reliquis Apostolis fuit commune, quippe qui & ipsi pascere debuerunt oves Christi.

XXXVIII. Haud paulo rectius vocabulum id *meas* explicat Augustinus tractat. 123. in Job. dum invehitur in eos, qui oves ut suas, nullâ habitâ sui muneris ratione, tractant, sibiq; in eas imperium aut dominium vindicant. Qui hoc animo, inquit, pascunt oves Christi, ut suas esse velint, non Christi, se convincunt amare, non Christum: *vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi & subveniendi & DEO placendi caritate.* Contra hos ergo vigilat toties inculcata vox Christi, quos Apostolus gemit sua querere, non Iesu Christi. Nam quid est aliud, si diligis me, pascere oves meas, quam si diceretur, si me diligis, non te pascere cogita; sed oves meas: sicut meas pascere, non sicut tuas: gloriam in eis meam quere, non tuam: dominum meum, non tuum: lucra mea, non tua. Interpretatio hæc potior nobis videtur, quam Bellar-

mini illa, in dicto Christi istud *meas* extendi debere ad omnes oves simpli-
citer, atq; sic personale aliquod axioma Petro collatum fuisse. Quod alibi
tamen negat ipse Bellarminus, *de Rom. Pontif. l. 2. c. 12. in fin.* quando ait:
Quedam dicuntur ei ratione officii pastoralis, perinde dicta intelliguntur omnibus
Pastoribus: ut, pasce oves meas, & confirma fratres tuos. Sc: Qui agnoscit,
pascendi facultatem ad officium pastorale pertinere & hoc omnibus esse
commune, quomodo potest ille ex verbis, *pasce oves meas*, monarchiam
papalem extruere? Illud verò nullā honestā præscriptione tueri potest Bel-
larminus, quod Apostolos in ordinem cogit, & cùm sint pastores ovium, non
minus quam Petrus, eos tamen in ovium censum & numerum transcribit
& Petro ita subjectos facit, ut ab eo tanquam à superiore, imò tanquam à
Domino & monarchâ leges & jura acceperint. Quam sententiam meri-
tò perstringit Richardus Montacutius *de origin. Eccles. part. 2. c. ult. n. 55.*
Sed & quod *versu 16.* apud Johannem non ἀπέλαν, sed ἀπέλανα legi vult
Bellarminus, & violentum nimis est, & parum facit ad monarchiam Petri
& Pontificis Romani.

XXXIX. Tertium, quod ex dicto Christi monarchiæ suæ stabiliendæ
idoneum putant Romanæ Ecclesiæ Doctores, verbis βούτειν & ποιηέννι significatum volunt. Inde enim colligunt, Petrum & unā cum eo Pontifi-
ces Romanos constitutos fuisse τομένας λαῶν, qualis apud Homerum Aga-
memnon, qui gregi Regio more imperant & dominantur. Nec negari qui-
dem potest, vocem pascere tria hæc significare 1. regio modò imperare,
2. fungi ministerio ecclesiastico & 3. comedere & corpus animatum nutri-
re. Ex his significatibus quis in constructione obtineat, ipsa res, de quâ
agitur, ostendit. Quemadmodum ergò absurdum esset de Rege conclu-
dere, eum teneri Legem DEI prædicare & administrare Sacra menta, eò
quod Davidi dictum est à DEO: *Pasces populum meum Israel 2. Sam. V, 2.*
Psalm. LXXVIII, 17. ita æquè ineptè statuetur, debere Pontificem impe-
rium obtainere in Regum temporalia, eò quod Dominus noster dixit Petro,
Pasce oves meas. Hoc enim de illâ pastore tantum venit intelligendum,
quæ ei per officium pastorale, quod merè Ecclesiasticum erat, committe-
batur. Alioquin ex istis æquivocationibus vocabuli etiam colligi posset,
asino qui ad pastum in tertio significatu venit & mittitur, hâc missione si-
mul mitrâ & pedo instrui ad munus Ecclesiasticum gerendum.

XL. Pascere propriè non includit dominatum aut imperium. Nam
potest esse pastor ovium, qui non est dominus ovium. Sed pascere propriè
significat gregem in pascua agere, quod, si de Ecclesiasticâ curâ sermo est,
haudquaque politicum seu civile regimen designat, sed officium docendi
aut prædicandi verbum divinum. *Non fecit Dominum,* inquit Theophy-
lactus, *ad c. 21. Job.* non Principem non Regem Petrum, sed pastorem esse jubet.
Et Bernard. serm. 2. de resurrect. Domini: *Pasce mente, ore, opere, animi ora-*
tione,

tione, verbi exhortatione exempli exhibitione. Et de confid. ad Eugen. lib. 4. c. 3. Evangelizare pascere est. Fac opus Evangelista, & Pastoris opus implesti. Sic & Petrus Bleſensis epift. 148. quæ est ad Episcopum Bathoniensem: Quid est, oves pascere? nisi evangelizare subiectis? reddere Deo populum acceptabilem verbo, opere & exemplo dirigere vias Domini, & parare Domino plebem perfectam? Sed quid opus est veterum Doctorum interpretationes coacervare. Ipse Petrus, cui Dominus dixerat Ποιμανε τὰ ὄντα με, eodem vocabulo in eadem significatione alloquitur presbyteros Ecclesiarum in Ponto, Galatiâ, Cappadociâ, Asî & Bithyniâ: Ποιμάνετε τὸ ἐν ὑπὸ ποιμανον τοῦ Ιησοῦ, 1. Petr. V, 2. Et hinc Paulus Ephes. VI, 11. Ecclesiæ Doctores ποιμένες vocat. An putabimus, terrarum Dominos eos intelligi debere? an potius dicemus, uti res est, per vocabulum istud, officium docendi verbum, quod animæ cibus est, à similitudine pascendi greges declarari. Conf. Guilielm. Barclaj, de potest. pap. cap. 25. Robert. Abbot de suprem. potest. Reg. præf. q. n. 6.

XLI. Explicavimus palmaria duo Sacrae Scripturæ dicta, quibus monarchicum Petri & Successorum imperium probari contendunt Pontificii. Videntur autem illi mihi post fabricatam domum & in esse productam monarchiam fundamenta haec in Scripturis conquisivisse, neutquam vero eam ex Scripturis fabricasse. Sic enim mos est in Ecclesiâ Latinâ, ut omnium actionum suarum, quantumvis Apostolicis institutis repugnantium, ex Apostolicis literis autoritatem accersant, religionis & juris divini titulo ambitionem suam velantes. Et per hoc sophisma summis Regibus atque Principibus quotidie adhuc imponitur. Notabile est colloquium, quod se præsente à Cardinale Prospero Sanctacrucio cum Paulo Foxio Legato Gallico habitum lib. 1. de vitâ suâ descripsit Vir illustris Jac. Aug. Thuanus. Nonnulla ex illo adducere operæ erit precium. Cogis me, inquit Cardinalis, Vir illustrissime in tuam gratiam renudare, quæ in aula nostrâ summâ silentiâ reverentiâ teguntur, cui illud ingenium est, ut exquisitâ severitate, cum occasio se offert & impune licet, in externos utatur, & si quis dignitate praefans ei se subjiciat, eam causam longo comperendinationum jussamine protelari gaudeant, dum interim per gentes toto orbe fama vulgatur, & nostri nominis terror spargitur; quæ severitas eousq[ue] valet, quo usq[ue] vel infirmitate vel religionis metu toleratur. Nam si aliquis princeps existat, qui neutrò attineatur, cautè ac summâ dissimulatione ab ea severitate disceditur. Fama siquidem & bominum patientia hujus aule stat majestas, & quod vafer Florentinus dixit, iis rebus, que alii imperiis sunt exitio, conservatur. Ecce: Eadem scil. & olim & nunc quoq[ue] luditur fabula. DEUS, cultus divinus, Christi institutum, Apostolorum placita ubique prætexuntur, ut religione tacti populi in potestatem præsumptam facilius consentiant. Et his scil. artibus sua primum cepit incrementa tyrannis pontificia.

XLII. Dum

XLII. Dum enim Pontifices ambitione turgidi summas ubiq; dignitates affectarent, & ut eas adipiscerentur, quasvis occasiones arriperent, adeptas autem speciosis quibusdam summo studio conquisitis argumentis tueri conarentur, non aliud fortius occurrebat, quam quod ex Petri Apostolorum Coryphæ personâ peteretur. Jacto igitur eo fundamento, Petri se in sede Romanâ successores esse, quicquid magnificum de Petro in Scripturâ Sacrâ vel à Patribus dictum notari poterat, id sibi successoribus applicabant, & vice versa, quantum reverentiæ sibi exhibebatur, tantum S. Petro exhiberi profitebantur, sibi & Petro idem officium & eandem functionem pari honoris & dignitatis gradu commissam dictitantes. Hinc adeò leges cuncta Pontificum attributa, quæ sibi manu sœpè consertâ vindicant, ad Petrum referri, & cum eo fieri communia. Notabis passim jus Petri, honorem Petri, Petri reverentiam, subjectionem Petro debitam, missam à B. Petro legationem, data & donata Petro, patrimonium Petri, regalia S. Petri, Petri annulum, Petri sedem Petri denarios, & quid non? Et hoc unico fundamento nitorum Cardinalis Baronius, quo illa, quæ contra Siculam Monarchiam disputavit, in epistolâ ad Philippum III. Hispaniæ Regem defendere & excusare conatur: *In his adversis, inquit, inde mibi ingens parta fiducia atq; est auta securitas, quod jussu Petri comprobata, à Petro, ex ipsâ Sede Petri scripta ista nostra prodierint, absq; dubio in secula permanfura. Sto supra petram, ob idq; securus & imperterritus.* Taliter etiam Stephanus Papa, cum per Aistulphi Longobardorum Regis obsidionem in angustiis esset, litteras ad Pipinum Franciæ Regem nomin. Petri Apostoli scriptas misit, quibus eum ad liberationem sui anxiè implorat. Totum earum contextum refert Baronius *ad ann. 755. n. 17. 18.* Nec dubitant nonnulli, posse quoque Papas appellari Petros, quanquam inter eos nemo hactenus id nomen ut singulare & proprium suscepit.

XLIII. Hâc opinione hominum animis semel impressâ, nihil non tentarunt deinceps Pontifices Romani, ex quo autoritas sua tam reverenter habita augeri in infinitum posset. Neque res ea caruit successu, præsertim postquam accessisset pervasio, in Rebus publicis ideo omnia feliciter succedere, quod earum capita oblique rentur Pontificibus, adeò, ut etiæ tyrannidem ab eis occupatam manibus quasi palparent Reges & Principes, non desisterent tamen ab obedientiâ illis semel præstâ, ne in Petri offensionem incurrent. De Petro namque persuaderant, clavigerum eum esse & janitorem cœlorum, in ejusque potestate esse, excludere cœlo & æternâ beatitudine, quibus ipse parum propitius fuerit. Ne ergo id sibi contingeret, neve ab ingressione cœli propulsarentur, omnibus modis coluerunt Papam Romanum, Petri quasi simulacrum, imò verò in hoc Petrum ipsum. Memorabile est, quod in conventu Pharenfi apud Scotos anno DC LXIII. contigisse refert Beda bistor. lib. 3. cap. 25. Disputatum ibi

Ibi fuit acriter prætente Rege Oswio & filio ejus Alfrido: utrum more Bryttonum & Scotorum omnisq; Aquilonaris partis Britanniæ à 14. Lunâ, Dominicâ die veniente usque ad 20. pascha agendum; an melius sit, ratione sedis Apostolicæ à 15. Lunâ usque 21. paschalem dominicam celebrandam. Disputatores erant Colmannus Lindisfarnensis Præsul, & Wilfridus Ripensis monasterii presbyter. Wilfrido ad Romanam consuetudinem, & Petrum ejus sedis autorem, dictumq; Christi, *Tu es Petrus* Sc: provocante, Colmanno verò ad Anatolium & Columbam, Christiani nominis in Scotiâ autores, sententiam suam referente, quæsivit Rex hujus controversiæ arbiter: *Verene Colmanne*, sunt verba Bedæ, *bac illi Petro dicta sunt à Domino? Qui ait: verè, Rex. At ille, babetis inquit vos proferre aliquid tantæ potestatis vestro Columbe datum?* At ille ait: *xil. Rursum Rex, si utriq; vestrum in hoc sine ullâ controversiâ consentiunt, quod bac principaliter Petro dicta Sc ei claves regni cœlorum sint dati à Domino?* Responderunt etiam utriq;. At ille ita conclusit: *Et ego vobis dico, quod hic est Ostiarius ille, cui ego contradicere nolo, sed in quantum novi vel valeo bujus cupio in omnibus obedire statutis, ne forte me adveniente ad fores regni cœlorum non sit, qui reserat averso illo, qui claves tenere probatur Sc.* Tantam vim habuit inter homines plus æquo credulos prava illa & crassa de claudendi & aperiendi potestate soli Petro concessâ opinio.

XLIV. Dictum equidem fuit Petro: *Tu es Petrus, Sc.* Dictum eidem: *Pasce oves meas.* Sed quomodo applicari id poterit ad Episcopum Romanum, & quidem tali modo, ut ei soli competit? Ut maximè enim concederemus, dictum id fuisse Petro & ejus successoribus, nondum tamen res esset confecta. Nec enim constaret, an Romanus Episcopus potius, quam Antiochenus, quem ante Romanum instituit Petrus, de quo ipso ex verbo DEI probari non potest, quod fuerit Romæ, inter Successores ejus privilegiū Petrini haberi deberet. Sanè quod spectat ad Petrum, cum ipsius potestas nulla esset, quæ ad ipsum solum seorsim & separatim ab aliis Apostolis accepta referri deberet, nullum etiam hoc pacto suum specialem potuit habere successorem. Libenter admittimus, Romanum Episcopum in potestate Ecclesiasticâ, non enormi quidem illâ & omnes potestates etiam mundanas supergressâ, sed ad pabulationem & pastum ovium limitatâ, excepto Apostolatu, successisse Petro; sed eâdem ratione successisse eum dicimus etiam Paulo & omnibus Apostolis, imò non Romanum tantum Episcopum, sed etiam Antiochenum, & omnes alios Episcopos ita successisse certum est. Peculiarem enim Petro aut ulli Apostolo, ut singularis est, & singulari potestate præditus dicitur, successionem promissam aut datam fuisse, nuspian legimus. Duo igitur probari à monarchicis oportet, 1. Petrum Romæ fuisse, ibique sedem Episcopalem constituisse, 2. Successorem dignitatem Petri, jura, & spiritualia dona obtinuisse, neque illis excidere potuisse.

Q

tuisse.

tuisse. Utrum Petrus Romam unquam viderit, incertum adhuc & dubium est, & sunt, qui districte negant. Fuisse autem eum Episcopum Romanum & quidem per annos viginti quinque, putidum est commentum. Ejusdem farinæ est, quod statuitur, ad successores Petri devolutum esse, quicquid potestatis, auctoritatis & singularium sive personalium donorum in eo fuit.

XLV. Nec verò explicare possunt Pontificii, in quâ re & in quo officiū genere successio illa consistat. Eleganter illa perstringitur à Johanne Juello in apologia Ecclesiae Anglicane part. 6. cap. 21. divis. 1. cujus verba hæc sunt: *Tamen, ut aliquid successioni largiamur, an solus Papa successit Petro? quā ergo in re? quā in religione? in quā functione, in quā parte vite illi successit? Quid unquam aut Petrus Papa simile habuit, aut Papa Petro? Nisi hoc forte velint dicere, Petrum cùm esset Romæ, nunquam docuisse Evangelium, nunquam pavisse gregem: abstulisse claves regni cœlorum: abscondisse thesauros Domini sui: tantum sedisse in Laterano, & omnia spatio purgatorii, & suppliciorum genera dito decripsisse: animas miserias alias in cruciatum relegasse, alias acceptâ mercede repente pro arbitrio exemisse: missas privatas, quæ in omnibus angulis dicerentur, tradidisse: Sacra mysteria submissâ voce & alienâ lingua missitasse: eucharistiam in omnibus templis & altaribus collocasse, eamq; ante se in asturcone gradario cum luminibus & tintinnabulis circumtulisse: oleum, ceram, lanam, campanas, calices, templa, altaria, sacro anhelitu consecrassæ: jubilea, gratias, immunitates, expectationes, præventiones, annatas, pallia, usum palliorum, bullas, indulgentias, diplomata vendidisse, sese caput Ecclesiae & summum Pontificem, & Episcoporum Episcopum, & solum sanctissimum appellasse: in alienas Ecclesiæ jus & autoritatem sibi usurpassæ: ab omni se civili potestate exemisse: bella gessisse: Principes inter se commississe: in auratâ sellâ, coronâ lemniscatâ, apparatu Persico, regali sceptro, aureo diademate, lacentibus geminis, in hominum nobilium cervicibus equitasse. Hæc scilicet Petrus olim Romæ fecit, eaq; successoribus suis quasi per manus tradidit. Hæc enim à Papis hodiè Romæ sunt, atq; ita sunt, quasi aliud fieri nihil debeat &c. Quæ verba cùm concoquere non posset Hardingus apologiae istius insultator, breviter & admodum crudè, ait: *Oves Christi pascendi potestatem habuit Petrus Papa similem, & vicissim, oves Christi pascendi potestatem habet Papa similem Petro.* At speciatim explicare debuit Hardingus, in quâ re consisteret ista pascendi ratio, & quod esset istud pabulum, quod Papa cum Petro haberet commune.*

XLVI. Quod si porrò attendatur, qualiter Christus Apostolis suis omnem præcluserit aditum ad *πατέρων* obtinendam, quam illi affectabant, facile intelligitur, nullo plane fundamento nititalem, qualem hodiè statuunt, unius præsidentiam, ut ab hoc uno cæteri dependeant. Cùm enim contenderent inter se discipuli, quis eorum videretur maximus, ipse dixit eis: *Reges gentium dominantur eis, & qui auctoritatem habent in eas, benefici*

fici vocantur. *Vos autem non ita. Luc. XXII, 25.* Pergit deinde eos hortari, ne propter singularia dona, quibus alteri præstaret, præcipuum quid sibi sumeret. *Qui maximus est inter vos, inquit, esto si ut, qui minimus est: & qui duxtor est, sicut qui ministrat.* Eodem modo responderat Jacobo & Johanni filiis Zebedæi, primatum ambientibus: *Scitis principes gentium in eas dominari, & magnates autoritate uti in eas.* Verum non ita erit inter vos. *Matth. XX, 25. Marc. X, 42.* At vero, si jam ante *Matth. XVI.* Petro promissus fuisset primatus, ut supponunt Pontificii, planè ἀλογο fuisset hæc discipulorum contentio, cum jam tum facta & promulgata esset decisio Magistri. Et cur vero Christus ipse ad istam suam decisionem non provocasset, ejusq; meminisse justisset, si suam Petro factam promissionem de primatu intelligi voluisset? Nunquam contendissent Apostoli, si in institutione Apostolatus, primatum aliquem supposuisset Salvator; sed nec dubii solutionem ad Christum detulissent, quod tamen faciunt *Matth. XVIII.* Neque mater filiorum Zebedæi, aut ipsimet fratres de sedibus à dextris & sinistris interpellassent, si suam jam ante decisionem protulisset Christus. Quæ sane omnia, tam clara & perspicua sunt, ut ulteriori disquisitione opus non sit.

XLVII. Summa dictorum hæc est, Petrum Apostolum supra cæteros Apostolos, & Doctores, atque Episcopos Ecclesiæ per Orbem terrarum propagandæ supremam potestatem in terris nullam accepisse, nullum habuisse jus supra universos, dominatum exercuisse nullum, habuisse quidem plurima heroica dona, & *πρεσβετηρίαν* in primis non vulgarem, ob quæ cæteris etiam Apostolis tantæ dignationis est habitus, ut eum speciali honore prosequerentur, nunquam tamen ut monarcham & Ecclesiæ principem divinâ institutione præpositum. Legitur apud Gratianum c. *Paulus* 2. q. 7. dictum, ut ibi fertur, Hieronymi, quod tamen Hieronymi non est, sed Ambrosii, his verbis: *Paulus Petrum reprobavit, quod non auderet, nisi se non imparem sciret.* Fuit ergo Paulus æqualis Petro, ut cæteri Apostoli omnes, nec ulla inter eos fuit prærogativa, nisi ordinis. Adjicit quidem Gratianus: *Hoc non de officio Ecclesiastice dignitatis, sed de puritate vitæ & sanctitate conversationis intelligitur.* Sed eam interpretationem non patiuntur verba Ambrosii, quæ in extensiore contextu sic habent: *Quis eorum auderet Petro, primo Apostolo, cui claves regni cœlorum Dominus (sed non soli) dedit, resistere, nisi alius talis, qui fiduciâ electionis sue sciens se non imparem, constanter improbaret, quod ille sine consilio fecerat?* Fiduciam vocat electionis, quod officium Ecclesiastice dignitatis designat, ut frustra adeò id accipiatur de puritate vitæ & sanctitate conversationis. Sed nec ista subsistere potest interpretatio, quâ putant nonnulli, Paulum ut inferiorem non ex autoritate, sed humanitate reprehendisse Petrum. Agnoscit enim Thomas Aquinas in 4. sent. dist. 19. q. 2. a. 2. factum istud Pauli, Petrum reprehendantis, ex-

Q. 2

cedere

cedere modum fraternalę correptionis, quę Prælatis à subditis deberur, quia id factum coram multitudine. Imo vero profitetur ipse Paulus, existimare se, nihilo inferiorem se fuisse summis Apostolis 2. Cor. XI, 5. Atque inde perspicuum est, Paulum neutiquam agnovisse Petrum pro capite suo, sed se illi æqualem fecisse. Sic etiam ait porrò d. c. 2. ad Gal. vers. 7. Videbant mibi concreditum esse Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis. Et rursus: Jacobus, Cephas, Jobannes, qui putabant esse columnę, dexteras derant mibi ac Barrabæ societatis. Aequalitatis hic inter Petrum & Paulum ut & reliquos Apostolos intercessisse pactionem, & neutrum superiorem altero, neutrum inferiorem extitisse videmus. Et recte hinc Ambrosius ait serm. 66. Beati Petrus & Paulus eminent inter universos Apostolos, & speciali quādam prærogativā præcellunt; verū inter ipsos, quis cui præponatur, incertum est. Puto enim illos æquales esse meritis, qui æquales sunt passione. Et in sequentibus eos vocat Ecclesiarum principes. Ne quis unus inter eos princeps intelligatur. Verba habentur apud Gratianum, c. beati 2. q. 7.

XLVIII. Fateamur enimvero, Petrum primum fuisse Apostolorum, secundum dictum Matth. X, 2. sed ordine & vocatione. Non ideo, quod quis primus in ordine est & primum locum tenet, dignitate etiam & potestate ita cæteris præstat, ut illi subjecti sint, & uni illi famulentur ad nutum. Qui primum locum alicui dat inter collegas, is aliquam ei etiam super ipsos Collegas tribuit dignitatem, aliquam, inquam, sed non omnem, non certe τιτλοχήν illam, quę monarchiæ & dominicæ potestatis est. Ultra primatum ordinis, si quid habuit Petrus, id non à Magistro suo Christo accepit, sed à reliquis Apostolis per honorem ei delatum. Atque id ingenuè fatetur Pseudo-Anacletus epist. 2. apud Gratianum c. in novo dist. 21. Hic ergo (Petrus) ligandi solvendiq; potestatem primus accepit à Domino: primusq; ad fidem populum sua prædicationis virtute adduxit, verboq; instituit. Cæteri vero Apostoli cum eodem pari consortio honorem ac potestatem acceperunt, IPSU MQVE PRINCIPE M EORUM ESSE VOLUERUNT. Et si cæteri Apostoli Petrum sibi Principem constituerunt, frustra afferitur, primatum à Christo datum, frustra etiam investigatur locus Scripturæ, ubi primatus ille concessus fuerit, & frustra adeò colligitur, acquisivisse Petrum potestatem etiam in ipsos terrarum Principes & Monarchs.

XLIX. Quapropter, ut maximè concedamus, Pontificem Romanum Petri successorem esse, nondum tamen inde conficietur, præcipuum quid jure divino in eum collatum esse, nedum, esse eum talem monarcham ex personā Petri, qualem illi nobis hodie eum exhibit. Repetenda hic sunt verba Hieronymi ad Evagrium Episcopum ex compilatione Gratiani c. legitimus dist. 93. Non altera Romana Urbs Ecclesia, altera totius Orbis existimanda est. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Persis, & Oriens, & Indie, & omnes barbaræ nationes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si auto-

auctoritas queritur, Orbis major est Urbe. Ubiq[ue] fuerit Episcopus, sive Roma, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Regini, sive Alexandriae, sive Thebis, sive Guarmatiae, ejusdem meriti est & sacerdotii. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimior vel inferiorem Episcopum non facit. Ceterum omnes Apostolorum successores sunt. --- Quid mibi profers unius Urbis consuetudinem? Quid paucitatem de qua ortum est supercilium, in leges Ecclesiae vendicas? &c: Ex his verbis sequentia colligimus porismata: Romanæ Ecclesiae ratione autoritatis & potestatis divinæ non competit præcipuum aut majus quipiam, quod non reliquis & aliis per Orbem disperitis Ecclesiis competenteret: Quæcunque Ecclesiae in variis Orbis terrarum partibus Christum unum adorant, & unam observant veritatis regulam, istæ parem autoritatem & potestatem ex divinâ ordinatione continent: Vera Ecclesiae unitas non consistit, nisi in unius Christi adoratione, & in unius veritatis regulæ observatione: Episcopus Romanus & Constantinopolitanus, si jura divina speces, idem ratione potestatis & perfectionis habent sacerdotium. Episcopus Romanus & Constantinopolitanus sunt ejusdem meriti. Ergo Romano, si jura divina speces, non competit capitibus & vicariatus universalis meritum: Romanus & Eugubinus Episcopus idem & sacerdotium & meritum habent: Inter Romanum & Eugubinum, quoad Jura divina, non est differentia sublimitatis & inferioritatis: Episcopi omnes sunt successores Apostolorum: Romanus non magis ab Apostolis constitutus est, nec magis dependet, quam Constantinopolitanus & Alexandrinus. Unde sequitur clarissimè, universalem Ecclesiam non esse sub regimine unius in terris Christi Vicarii, Romani Pontificis. Et si Romanus Pontifex & fons Sacerdotii, & singulari quodam superioritatis jure summus Sacerdos, non habet sane idem cum reliquis Orbis Christiani Episcopis sacerdotium. Episcopus enim Eugubinus, qui ejusdem sacerdotii & meriti cum Romano dicitur, non habet originale tale sacerdotium, quale hodie tribuitur Episcopo Romano.

L. Duo adhuc sunt, quibus Ecclesiae & Pontificis Romani suprematus ex antiquitate stabili solet. Primum, quod Ecclesia Romana a veteribus inter Ecclesias prima & caput reliquarum omnium dicta fuerit, quodque proinde etiam ejus Ecclesiae Episcopus caput omnium piissimorum DEI sacerdotum, & caput omnium sanctorum Ecclesiarum audiat. Ut hæc elogia inveniuntur in l. 7. § l. 8. C. de summ. Trin. quibus addi possunt, quæ collegit Gratianus dist. 21. § 22. Alterum est, quod Romana Ecclesia magni semper aestimata fuerit in causis fidei definiendis, quodque Ecclesiae ex toto terrarum Orbe sapientissime ad ejus assensum aut judicium provocaverint. In dicta l. 7. ait Justinianus Imperator: Neq[ue] enim sustinemus quicquam eorum, que ad Ecclesiasticum statum spectant, non referri etiam ad ejus (Papæ senioris Romæ) beatitudinem, utpote que caput est omnium piissimorum DEI sacerdotum, & quæ quo-

Q. 23

quo-

quotiescumq; in hisce partibus heretici repulularunt, sententia Greco judicio illius venerabilis sedes coerciti sunt. Maxime celebris in hanc rem est locus Irenæi Lugdunensis lib. 3. advers. heres. cap. 3. Maxima & antiquissima & omnibus cognitæ à glorioſſimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatae & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem & annunciatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem usq; ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, omnes qui sunt undiq; fideles: in quâ semper ab his, qui sunt undiq; conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio. Plura testimonia non addam, quandoquidem nota res est, & omnibus obvia.

LI. Quod primum concernit, negari nequit, Pontificem Romanum existimatione, gratiâ, privilegiis cæteris Episcopis antecessisse semper & prærogativam habuisse. Etenim ex quatuor Patriarchis primitus constitutis primas ille cum in Concilio, tum extra illud obtinuit, ejusq; propterea in omnibus synodis plurimum semper valuit ad constituenda, administrandaq; negotia autoritas. Et hoc scil. est illud πεωπίνειν, quo reliquis Patriarchis & Episcopis omnibus potior est, & propter quod caput dici potest. Atq; hoc respectu Romana etiam Ecclesia quandoq; capitis appellationem sustinet, non ob aliquam potestatis prærogativam, sed ob celebritatem à fidei puritate, quam inde ab Apostolorum tempore illibatam servaverat, & à multitudine martyrum, qui eam cruentâ morte obsignaverant, maximè vero propter ordinem, quo parochiæ & dioceſes Ecclesiasticæ civiles & politicas formas sunt secutæ, teste can. 17. Concilii Chalcedonensis, & Episcopi non suâ autoritate, sed sub umbrâ præfecturæ aliquam prærogativam meruerunt. Novell. 11. Quâ ratione etiam Constantinopolitana Ecclesia omnium aliarum caput dicitur l. 24. C. de SS. Eccles. propter translationem scil. imperii, quo nunc eminebat Constantinopolis.

LII. Et ex hoc facilis etiam est responsio ad alterum, uti ipse Irenæus d.l. suggerit, qui ait, fieri istud propter potentiores principalitatem, propter quam omnes, qui sunt, undiq; conveniunt fideles, & ex horum deinceps ore fama de Romanorum fide & in religionis negociis puritate fama sparsa fuit per universum terrarum orbem, quod etiam Paulus prædicat, Rom. I, 8. Digna sunt, quæ hic legantur verba Anshelmi (sive, quisquis fuerit autor, cum de eo adhuc dubitetur, uti patet ex illis, quæ refert Bellarminus de Scriptor. Eccles. pag. 209. Gerh. Joh. Vosius hist. Pelag. lib. 2. part. 3. tb. 3.) ad istum Pauli locum. Roma, inquit, tunc erat caput mundi, & de toto Orbe illuc conveniebant, (idem antea dixerat Irenæus) atq; Romanos suscepisse fidem religionis Christianæ ubiq; divulgabant, sicq; jam securius ceteræ per Orbem nationes eandem fidem suscipiebant. Et hæc est laus fidelium Romauorū, quia tale

tale de eis exemplum ubiq. spargebatur. Et hæc scil. fuit causa, quod in negocio religionis pleriq; olim tam sollicitè Romani Pontificis conjunctionem desiderarunt, non tantum, quod magnæ tūm autoritatis is esset, sed etiam & præcipue quidem, quod rectam fidem ab Apostolis & Evangelistis traditam servaret. Nemo tamen ipsum tūm pro superiori, quoad potestatem, agnovit, nisi qui in Romanā diocesi ab eo dependebant, & secundum potestatem tūm in Ecclesiā receptam. Nec profectò ex eo, quod Romanorum fidem in universo mundo annunciarī scribit Paulus, quicquam superioritatis accedit Ecclesiæ Romanæ, non magis, quam accessit Ecclesiæ Thessalonicensi, de quā idem scribit Paulus. *I. Thess. I. 8.* fidem Thessalonicensium in omnem locum dimanasse. Imò verò, uti Thessalonicensium fides hodiè degeneravit, ita etiam defecit fides Romanorum, quod dolemus.

LIII. Quoad igitur in verâ fide & pietate perstiterunt Pontifices Romani, tuto illi in exemplum proponi, & ad eorum religionem atq; cultum provocare potuerunt exteri. Quā eādem ratione Theodosius Magnus in *l. i. C. de summ. Trin.* cunctos populos sibi subjectos in tali jubet religione versari, quam divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio usq; nunc ab ipso insinuata declararet, quamq; Pontificem Damasum sequi manifestum esset. Sed postquam Sedes Apostolica, uti κατ' εξοχὴν vocari vult Romana, non subditorum amplius sanitatem, sed suam aut lateralium suorum commoditatem querere cœpit, uti σηλιτεύει Ivo Carnotensis epist. 109. nihil amplius est, quod in exemplum statui posset in Ecclesiā Romanā. Pri- mi illi per aliquot secula pontifices, virtutum præconio, pietatis zelo & martyrii coronis insigniti præfulgebant. Poterant illi dicere cum beato Petro, autoritatis suæ, quam hodie jactitant, principe: aurum & argen- tum non est mihi. Poterant autem addere nonnulli: surge & ambula in nomine Jesu Nazareni. Nondum diadematis eos occupaverat cupiditas: nondum auro & gemmis radiabant calcei, caligæ, braccæ, bonettæ: non mitræ, pallæ, cætera instrumenta ventri & luxui inservientia adhibebantur: ligneis litabant tūm calicibus aurei & gemmei sacerdotes; aurei postmo- dum calices, sed Pontifices plumbei & ferrei secuti sunt. Ubiq; pudor, ve- ritas, modestia, sanctitas, moderatio & simplicissima humilitas obtinebat: nusquam à virtute, nusquam ab honestate, nusquam à morum & fidei tramitibus Apostolicis, ne latum quidem unguem recedebatur; in quibus omnibus licentiosissimi deinceps fuerunt apotactici nonnulli, & tantum non plerique ex successoribus Pontifices, non in Ecclesiæ administrandæ sollicitudine amplius aut salute ejus procurandâ, sed in universi hujus ter- rarum orbis regimine, tam sacro, quam civili occupati.

LIV. Temperare mihi nequeo, quin adscribam integra Joannis Sa- risberiensis Episcopi Carnotensis verba, ex *Policrat.* lib. 6. c. 24. Ex illis enim, qualis suo tempore Romanæ Ecclesiæ & ejus Episcoporum conditio
atq;

atq; itatus fuerit, quamq; longè à simplicitate Petri recellerint, sine prolixiori interpretatione discere licet. Memini, inquit, me causā visitandi Dominum Adrianum Pontificem quartum, qui me in ulteriorē familiaritatē admiserat, profectum in Apuliam. Mansiq; cum eo Beneventi fermē tres menses. Cum itaq; ut fieri solet inter amicos, sēpē plurimi conferremus, & ipse, quid de se & Ecclesiā Romanā sentirent homines, à me familiarius & diligentius quereret, ego apud eum usus spiritū libertate, mala, quæ in diversis provinciis audieram, patenter exposui. Sic enim dicebatur à multis; Romana Ecclesia, quæ mater omnium Ecclesiarum est, se non tam matrem exhibet aliis, quām novercam. Sedent in eā Scribe & Pharisæi, ponentes onera importabilia in humeris hominum, quæ digito non contingant. Dominantur in clero, nec forma sunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam, preciosam supellestilem congerunt, auro & argento overant mensas, sibi etiam ab avaritiā nimis parci. Nam pauper aut nullas aut rarus admittitur, quem interdum non tam Christus, quām vana gloria introducit. Concutiunt Ecclesias, lites excitant, collidunt clerum & populum, laboribus & miseriis afflictorum nequaquam compatiuntur, ecclesiarum letantur spoliis, & quantum omnem reputant pietatem. Justitiam non tam veritati, quām pretio reddunt. Omnia namq; cum pretio bodie, sed nec cras aliquid sine pretio obtinebis. Nocent sēpius, & in eo demones imitantur, quod tunc prodeſſe putantur, cum nocere defiſtunt, exceptis paucis, quinomen officium pastoris implent. Sed & ipſe Romanus Pontifex omnibus gravis & ferè intolerabilis est. Præterea omnes arguntur, quod ruentibus & collabentibus Ecclesiis, quas patrum construxit devotio, altaribus quoq; incultis, palatia extruit, & ipſe non modo purpuratus, sed deauratus incedit. Palatia splendent Sacerdotum & in manibus Christi sordidatur Ecclesia. Provinciarum deripiunt spolia, ac si theſauros Croesi ſtudeant reparare. Sed recte cum eis agit altissimus, quoniam & ipſi aliis & ſep̄e vilissimis hominibus dati sunt in direptionem. Sc̄: Hæc & alia plura, quæ ſequuntur, apertè & ingenue Sarisberiensis, circa annum MCLVII.

LV. Dum ita omnibus virtutum ornamentiſ destituuntur Episcopi Romani, in primatu tamen ſuo, quem occuparunt, ex Scholâ Christi encomia ſibi petunt, & ex ſucessione Petri, quam inſolenter jactitant, commendationem mendicant, vicarios ſe Petri, imò vicarios Christi plenis buccis quotidie ſe prædicantes. Titulis enim hiſ valde oblectantur Pontifices, perinde ut pueri crepundiis, ambitioni pariter & vanitatibus multū dediti. Prius tamen vicarii Petri dici voluerunt Pontifices, quām vicarii Christi maltoq; recentius hoc nomen eſt, quam prius illud, ut fieri ſolet, quando malis artibus ſummi honores affectantur, ut tenuiora primū ſubſtruantur initia. Nec tamen vicarius Petri quisquam dictus forte fuit ante ſeculum a nato Christo quintum. In Concilio Ephesino, quod anno CCCCXXXI. habitum fuīt tom. 2. c. 16. invenio, Philippum preſbyterum & Episcopi Romani legatum hæc verba protulisse: Nulli dubium, imò ſeculis

seculis omnibus notum est, sanctum beatissimumq; Petrum, Apostolorum principem & caput, fideiq; columnam, Ecclesiae Catholicæ fundamentum, à Domino nostro Jesu Christo, Salvatore nostro, humaniq; generis Redemptore cœlestis regni claves accepisse, solvendiq; atq; ligandi potestate, quam acceperat, usum fuisse, nec non per successores suos hucusq; semper vivere, causasq; decernere, semperq; vieturum esse. Hujus itaq; ordinarius successor & vicarius sanctus beatissimusq; Papa & Episcopus noster nos suos pro se quasi vicarios ad hanc sanctam synodum misit. &c: Ex eo tempore frequentius, tūm ab ipsis Pontificibus, tūm ab aliis eorum assentatoribus, nomen hoc usurpatum fuisse, veteres testantur Scripturæ. Cumque, ut supra dixi, ex Petri personā omnem suam autoritatem estimari velit Pontifex Romanus, factum inde, ut si quid promittatur Pontifici, simul Petro id promitti dicatur, pactaq; omnia cum Petro inita intelligentur. Ita e.g. Ludovicus Imperator c. ego dist. 63. simul Petro & Paschali Papæ promittit: *Ego Ludovicus Imperator Romanus Augustus statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi beato Petro principi Apostolorum, & per te vicario tuo Domino Paschali summo Pontifici & successoribus ejus in perpetuum.* &c: Eodemq; modo etiam conceptum est juramentum à schismate redeuntium, c. quoties 1. q. 7. *Ego promitto tibi N. & per te S. Petro Apostolorum Principi atque ejus Vicario N. beatissimo & successoribus ejus &c.*

LVI. Postquam verò potentia Pontificum per Gregorii VII. audacissimos conatus in immensum aucta fuit, rarius illi hunc titulum usurparunt, malueruntq; deinceps vicarii Christi & ipsius DEI nominari. Titulus hic in Decretalibus pasim occurrit, c. ult. 5. de translat. Prelat. c. fundamenta 17. 5. de eleit. in 6. c. ad Apostolica 2. de re jud. in 6. c. 1. de homicid. in 6. Sunt enim verò Episcopi omnes quodam modo Christi vicarii, quod in hisce terris colligendo & conservando Ecclesiam, Christi vices agant, perinde atque Dei vices agere dicuntur Reges & Principes. Sed in Ecclesiâ Pontificiâ novum planè sensum accepit ista phrasis, & in novo isto sensu Episcopi Romani sibi solis nomen istud vindicarunt, ita ut Episcopi non amplius vicarii Christi, sed vicarii Papæ dicantur, secundum c. decreto, & c. seq. 2. q. 6. Ex eo verò, quod Pontifex Vicarius Christi dicatur hoc porrisma confecit Lainezius Jesuitarum Generalis, in Concilio Tridentino, Papam eadēm autoritate, quā Christus pollet, munitum, eō quod idem sit tribunal & idem Consistorium Principalis & vicem ejus gerentis. Sed eam assertionem stante pede, ut impiam & scandalosam perstrinxit F. Jacobus Hugonius Franciscanus Theologus Sorbonista, uti refert Petrus Svavis in hist. Concil. Trid. lib. 8. quæ immortalē mortali adæquet, & judicium corruptibile divino.

LVII. Cæterū circa titulum hunc vereor ego, ne susceptus ille sit non tantū contra Apostolica instituta, sed etiam invitâ planè jurisprudentiâ.

R.

dentia. Qui enim personam alterius sustinere se dicit, legitimare se prius, uti loquuntur pragmatici, & speciale mandatum exhibere debet, cum nulla vicario fides habeatur, priusquam ostenderit mandatum, quantavis etiam dignitate præcellat. *l. i. c. de mandat. Princip.* Bald. in *l. aliquando ff. de offic. procons.* Gerlac. Buxdorff. in *Dissert. ad A. B. concl. 71.* Rutger Ruland. *de Commissar. part. 1. l. 3. c. 2. num. 14 seqq.* Quod cum haec tenus factum non fuerit, falso de hoc titulo gloriatur Pontifex. Deinde Vicarius alium vicarium constituere haud valet, uti statuit ipse Pontifex in *c. clericos 4. §. de offic. Vicar.* Augustin. Barbola *ibid.* Joh. Aloys. Riccius *decis. 1599.* Petr. Rebuff. in *prax. Canon. in verb. Forma vicariatus.* Immola in *Clement. I. n. 19. § 22. de offic. vicar.* Baldus in *margarit. Innocentii in verb. Vicarius.* Ex quo ergo Papa Petrum Christi vicarium asserit, *c. 3. §. de translat. episc.* quomodo is Petri vicarius esse poterit? imò verò, quomodo is ipse unā cum Petro Christi vicarius erit?

LVIII. Nodum hunc ut solvat Alphonsus Alvarez Guerrerus *de jur. ac potest. Rom. Pontif. c. 2. n. 2.* distinctionem facit. *Dicendum est*, inquit, *quod Papa succedit Petro in personali administratione: Christo autem succedit in officio, ut in universali jurisdictione: & reservata Deo videntur reservata Papæ ejus Vicario.* Et factum à Papa & à Vicario Christi censetur factum à DEO, cuius locum Papa tenet in terris. At verò distinctione hæc nihil omnino facit ad rhombum, quam propterea prolixè exagitat Johannes Gœddeus *ad c. 1. de sequestrat. possess. n. 178. in edit. primæ.* Distinctionem quidem istam ita explicat Alphonsus, quod Papa quantum ad personalem administrationem singulariter sit Episcopus Romæ; sed quantum ad officium & universalem jurisdictionem sit Episcopus Ecclesiæ universalis. Verum ego non capio, quomodo hæc ratione non etiam sit Vicarius Petri? posito, Petrum etiam fuisse Episcopum Ecclesiæ universalis, quod perpetuo statuunt Pontificii; posito etiam, Petrum constituere Vicarium sibi potuisse, & revera constituisse. Neque hæc ratione prosternuntur argumenta JCTorum de defectu potestatis & mandati, supra adducta.

LIX. Qualiter autem se habeat Vicarius illus, & quatenus vices Christi & Petri gerat Episcopus Romanus, audiamus ridentem & in stultiâ suâ vera dicentem Moriam Erasmi: *Jam, inquit, Summi Pontifices, qui Christi vices gerunt, si conentur ejusdem vitam emulari, nempe paupertatem, labores, doctrinam, crucem, vitæ contemptum, si vel Papæ, id est, patris nomen, vel sanctissimi cognomen cogitent, quid erit in terris afflictius? aut quis eum locum omnibus emat facultatibus? emptum gladio, veneno, omniq. vi tueatur? Quantum bis abstulerit commoditatum, si semel incessiverit sapientia? sapientia dixi? imò vel mica salis illius, cuius meminit Christus.* Tantum opum, tantum honorum, tantum ditionis, tantum victiarum, tot officia, tot dispensationes, tot vestigalia, tot indulgentias, tantum equorum, mulorum, satellitum, tantum voluptatum.

Videtis

Videtis quantas nundinas, quantum messem, quantum bonorum pelagus paucus sim complexa. In quorum locum inducet vigilias, jejunia, lacrymas, orationes, conaciones, studia, suspiria, milleg, id genus miseros labores. Neque verò negligendum illud, futurum, ut tot scriptores, tot copistæ, tot notarii, tot advocati, tot promotores, tot secretarii, tot mulotribæ, tot equisones, tot mensarii, tot lenones (penè mollius quiddam addideram, sed vereor ne durius sit auribus) in summa, tam ingens hominum turba, que Romanam sedem onerat, (lapsa sum, honorat, sentiebam) ad famem adigatur. In humanum quidem hoc & abominandum facinus; at multo magis detestandum, ipsos etiam summos ecclesiæ principes ac veram mundi lumina ad peram & baculum revocari. At nunc fere, si quid laboris est, id Petro & Paulo relinquunt, quibus abunde satis est otii. Porro si quid splendoris, aut voluptatis, id sibi sumunt. Atque ita fit med' quidem operâ, ut nullum penè hominum genus vivat mollius, minusq; sollicitum, ut qui abunde Christo satisfactum existimant, si mystico, ac penè scenico ornatu, ceremoniis beatitudinum, reverentiarum, sanctitatum titulis, & benedictionibus ac maledictionibus, Episcopos agant. Priscum & obsoletum, nec horum omnino temporum, miracula edere; docere populum, laboriosum: Sacras interpretari literas Scholasticum: orare, ociosum: lacrymas fundere, miserum ac muliebre: egere, sordidum: vinci, turpe parumq; dignum eo, qui vix Reges etiam summos, ad pedum beatorum admittit oscula: deniq; mori, inamabile: tolli in crux, infame. Restant sola hæc arma ac benedictiones dulces, quarum meminit Paulus, atq; baruin quidem sunt sanè quam benigni, interdictiones, suspensiones, aggravationes, redaggravationes, anathematizationes, ultrices picturae, ac fulmen illud terrificum, quo solo nutu mortalium animas vel ultra tartara mittunt. Quod ipsum tamen sanctissimi in Christo patres & Christi vicarii in nullos torquent acrius, quam in eos, qui instigante diabolo patri monia Petri minuere atque arrodere conantur. Cujus cum hæc vox sit in Evangelio, Reliquimus omnia, & sequuti sumus te, tamen hujus patrimonium appellant agros, oppida, vestigalia, portoria, ditiones. Pro quibus dum zelo Christi accensi, ferro, igniq; dimicant, non absq; plurimo Christiani sanguinis dispendio, tum deum Ecclesiam Christi sponsam sece credunt apostolice defendere, fortiter profligatis, ut vocant, hostibus. Quasi vero ulli sint hostes ecclesiæ perniciosiores, quam impii pontifices, qui & silentio Christum finunt abolescere, & quæstuaris legibus attigant, & coactis interpretationibus adulterant, & pestilente vita jugulant. &c.

LX. Sed ne ridentis dicta parùm benignè excipientur, atque id potissimum reprehendatur, quod in religionis negocio & in re tanti momenti jocularia non sine impietatis notâ, à quâ tamen longè absuit Erasmus, admisceantur, audiamus nunc etiam plangentem, & ferio vicariatum istum perstringentem Pelagium Alvarum ex lib. 2. de planctu Eccl. art. 5. in fin. Surrexit, ait, jam sunt multa tempora, eorum Successores auctoritate, sed dissimiles à sanctitate, Romano Pontifikatu se ingerentes, procurantes, utinam ante

promotionem non pacientes, & convenientes & promittentes, aurum absque mensurā cumulantes, parentes ditantes & exaltantes, & consanguineos promoventes, in delitiis viventes, amicos dignificantes, plurimumq; alios conculcantes, bona Ecclesiarum dissipantes, indignos promoventes, in mundi potentia gloriantes, temporalium dominorum aliquoties terminos invadentes, de salute animorum parum curantes. Et quid plura? Quae carnis sunt, sapientes. Quibus præmissis in hunc planctum definit Alvarus: *Vide Domine, & considera, quia sponsa tua (Ecclesia) nimis humiliata est: ejus in gentibus potentia diminuta est: ejus misericordia quasi extinta est.* Ad cuius confugiemus auxilium? Manda, remanda, mitte quem missurus es, obsecro, sanctum vicarium tuum aliquem Ecclesiam conformare. Et hæc de Vicariis Christi satis cum eorum venia. Hæc ad verbum Alvarus ante annos plus quam trecentos.

LXI. Quod si per secula ire liceret, atq; varia hinc illinc colligere exempla eorum præsertim, qui omni genere & scelerum & flagitiorum inquinati fuerunt, non tam laboris aut industria id esset opus, quam fastidiosa & cum dispendio temporis juncta enumeratio. Sufficit ex Baronio dicisse, finiente seculo nono, in cathedralm Petri ascendisse homines monstrulos, vitâ turpisimos, moribus perditissimos, usquequaq; foedissimos: *ad ann. 897. n. 4.* Nec omitti debet ejus querela *ad ann. 912. n. 8.* dum ait: *Quæ tunc facies sanctæ Ecclesiae Romanae?* quam fœdisima, cum Romæ dominarentur potentissime & quæ ac sordidissime meretrices? quarum arbitrio mutarentur sedes, darentur Episcopi, & quod auditu horrendum & infandum est, intruderentur in sedem Petri earum amasii Pseudopontifices, qui non sunt, nisi ad consignanda tantum tempora in catalogo Romanorum Pontificum scripti. *Quis enim a scriptis hujusmodi intrusos sine lege legitimos dicere posset Romanos fuisse Pontifices?* &c: Simile est, quod scribit Gilbertus Genebrardus lib. 4. *Chronogr. ad ann. 901.* per annos fere 150. Pontifices circiter quinquaginta à Johanne scil. VIII. qui Nicolao & Hadriano II. sanctis Pontificibus successit, ad Leonem IX. usq; à virtute majorum prorsus defecisse, apotatricos apostaticosve potius, quam Apostolicos. &c: Idem repetit Thomas Stapletonus lib. 1. de magnitud. Eccl. Rom. cap. 8. Carolus Sigonius in ducentos prope annos extendit, lib. 8. de regn. Ital. Et nos credere jubemur, hujusmodi homines à DEO rerum divinarum humarumque arbitros constitutos esse, imo sanctos esse, cùm juxta dictatus Gregorii VII. Romanus Pontifex, si Canonice fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur sanctus. Jubemur credere, eos esse vicarios Christi, eorum decreta esse cœlestia, esse eos fontem sacerdotii & totius autoritatis spiritualis, esse principium activum, quod lumen & succum fidei reliquis membris communicet, sine qua communione lumen fidei in omnibus fidelibus extinguatur, imo esse DEUM in terris.

LXII. Non diffiteor, fuisse inter primos Romanæ Ecclesiæ Episcopos, Viros propter puritatem fidei & doctrinæ, atque integritatem morum sum-

summæ autoritatis, & plerosq; eos Christi martyres factos. Nullus vero inter eos tūm fastus, nullus dominatus se se exserebat. Id agebant maxime, ut saluti animarum consulerent, & oves errantes suā doctrinā suāque sanctimoniam ad caulas Ecclesiæ revocarent. Sed illi degenerarunt sensim, postquam per indulgentiam Imperatorum in feliciorem statum, & variarum possessionum dominium reducta fuit Ecclesia. Tūm enim pastores depulsa repudiataq; pietatis regulā, disfido & contentionē inter se exarserunt: quin etiam nullas alias res, præterquam discordias, minas, æmulationem, inimicitias, & odium inter se mutuo adaugere studuerunt, & animis ambitionis æstu incensis, tyrannorum more principatum obtinere laborarunt, uti loquitur Eusebius lib. 8. hist. c. 1. De Episcopatu Romano disertè scribit Socrates lib. 7. c. 11. quod ille perinde atque Alexandrinus ultra sacerdotii fines progressus jam olim in dominationem degeneraverit. Ante Socratem, qui seculo V. scripsit, homo à nostrā religione alienus Ammianus Marcellinus similia in Pontificibus sive Episcopis Romanis notavit, lib. 27. quod processerint vehiculis insidentes circumspicere vestiti, epulas curantes profusas, adeo ut eorum convivia Regales superarint mensas. Hac additā censurā, potuisse eos esse beatos revera, si magnitudine Vrbis despectā, quam vitiis opponunt ad imitationem Antifitum quorundam provincialium viverent, quos tenuitas edendi potandiq; parcissimè, vilitas etiam indumentorum & supercilium humum spectantia perpetuo Numini verisq; ejus cultoribus velut puros commendant & verecundos. Ammiani οὐχι ποτε fuit Basilius Magnus, cui epist. 10. ista ὀφεδ δύλιη, uti vocat, sive, supercillum Occidentale, usque adeo displieuit, ut de Romanā Ecclesiā severam hanc & gravem dixerit sententiam: Odi fastum illius Ecclesiæ. Quod excusare nequicquam conatur Baronius ad ann. 372. n. 32.

LXIII. Sub finem seculi VI. coeperunt Patriarchæ Constantinopolitani Romanos novā præsumptione atq; superbiā superare. Cum enim animo secum perpendissent, in quod fastigium per sedem Imperioriam Urbs Constantinopolitana evecta esset, quantumq; Episcopatui suo inde accessisset augmentum, Oecumenici Patriarchæ sive universalis Episcopi nomen usurpare non dubitarunt. Primus ejus tituli autor fuit Johannes, Ιωάννης vulgo dictus. Sedem Romanam tūm temporis tenebat Pela-gius II. qui Johannem per districtissimam increpationem admonebat, ut a novo & temerario atque superbo nomine abstineret. Sed cum nihil profecisset, eo decadente, Successor ejus Gregorius Magnus similes objurgationes repetiit. In epistola ad ipsum Johannem, quæ est 38. lib. 4. his verbis cum compellat: *Tu quid Christo, universalis scil. Ecclesiæ capiti in extremi iudiciorum dicturus examine, qui cuncta ejus membra tibimet conaris Universalis appellatione supponere?* Mox vocabulum istud, nefandum, profanum, stultum, super-

R. 3.

bum,

bum, perversum, temerarium appellat, quo vocari nullus presumpsit, qui veraciter sanctus fuit. In epist. seq. 39. Sabiniano diacono Constantinopolitano inscriptā ait, in isto scelēto vocabulo consentire, nihil est aliud, quam fidem perdere. Et in epist. ad Mauritium Imp. quæ est trigesima, scribit: Ego fiderenter dico, quia quisquis se universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione suâ Anticchristum præcurrat. Et in epist. 36. ad Eulogium Alexandrinum Anastasiumque Antiochenum Episcopos talem de Johanne inserit querelam: Ille quondam mibi modestissimus, ille omnibus dilectus, ille qui in eleemosynis, orationibus atq[ue] jejuniis videbatur occupatus, ex eo, in quo sedebat, cinere, ex eâ quam prætendebat humilitate, jactantiam sumpsit, ita ut universa sitentet adscribere, Omnia, quæ uni soli capiti coherent, videlicet Christo, per elationem pompatici sermonis, ejusdem Christi sibi studeat membra subjugare. Gregorius hic, ut eo magis exosum redderet hunc titulum, primus inter Pontifices servus servorum appellari voluit. Polydor Virgil. *de invent. rer. l. 8. c. 2.*

LXIV. Non diu tamen stetit hæc modestia penes Romanam sedem. Cùm enim corrigi & abstinere titulo isto nollent Episcopi Constantinopolitani, metuentes Romani, ne sua pessum iret, quæ studiosè hactenus quæsita fuerat, *αναγέγρεια*, similem deinceps titulum sibi adscivere, & Imperatoris quidem autoritate. Sic enim de Bonifacio III. qui Gregorio succedit, scribit Anastasius Bibliothecarius: *Hic obtinuit apud Phocam Principem, ut sedes Apostolica beati Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiæ, id est, Ecclesia Romana, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiæ scribebat.* Deprompsit hæc verba ex antiquiore Scriptore, Beda videlicet *libr. de sex etatib. mundi*, quæ eadem in quartum luum *de gestis Longobardorum* librum transcripsit Paulus Diaconus. Repetunt in eundem sensum & totidem penè verbis Ado Viennensis, Reginol'rumiensis, Marianus Scotus, Otho Frisingensis, Hermannus Contractus, Siebertus Gemblacensis, & alii. Baptista Platina in vitâ Bonifacii III. prolixius rem exponit his verbis: *Bonifacius III. patriâ Romanus, à Phocâ Imperatore obtinuit, MAGNA TAMEN CONTENTIONE, ut sedes beati Petri Apostoli, quæ caput est omnium Ecclesiæ, ita & diceretur & haberetur ab omnibus, quem quidem locum Ecclesia Constantinopolitana sibi vendicare conabatur, faventibus interdum malis principibus, affirmantibusq[ue] eo loci primam sedem esse debere, ut imperii caput esset. Affirmabant Romani Pontifices, urbem Romam, unde Constantinopolis colonia deducta est, caput imperii meritò babendam esse, cum etiam Græci ipsi literis suis Principem suum τὸν Πάπα εἶπον, id est Romanorum Imperatorem vocent, ipsiq[ue] Constantinopolitani etiam nostrâ etate πάπας, non Græci vocentur &c.* Et sic igitur titulus, quem paulo ante Constantinopolitanus Patriarcha sibi arrogaverat, Episcopi Romani proprius factus est, ut adeo ex dicto Gregorii paulo ante adducto, ille quidem præcursor

Anti-

Antichristi, hic præcursum infecutus, Antichristus ipse appellari mereatur.

LXV. Jamdudum Patres Africani in Concilio Carthaginensi III. anno scil. Christi CCCXCVII. can. 26. damnaverant titulum principis sacerdotum, propter anticipem dictio[n]is significatum, quæ τὸν ἄρχοντα designata & τὸν πρεσβύτορα. Verba hæc sunt: *Ut prima sedis Episcopus non appelleatur Princeps Sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantum pri-ma sedis Episcopus.* Notat Christophorus Justellus ad cod. can. Eccles. Afric. p. 51. Episcopos olim in Africâ principes sacerdotum & summos sacer-dotes vocatos fuisse; in hoc Concilio vero prorsus reje[n]tas eas appellatio-nes, quod superbum aliquid ac τυραννίαν continerent. Putat vero Ri-chardus Montacutius in antidiatrib. 14. adversus J. Cœf. Bulengerum, verba istius Canonis de Episcopo Romano concepta & intelligenda esse. Cu-jus sententia juvari non nihil poterit ex eo, quod Gratianus, cum sub dist. 99. canonem istum Africanum recitasset, verba hæc addiderit: *Universalis au-tem nec etiam Romanus Pontifex appelleatur.* Quæ verba ut genuina atq; au-thentica & ut ipsius Canonis partem defendit Johannes Juellus Episcopus Sarisburiensis aduersus Thomam Hardingum part. 1. artic. 4. pag. 194. Sed cum additamentum id non inveniatur in Codice Canonum, ut eum edidit Christophorus Justellus, nec apud Ivonem Carnotensem, qui in decreto part. 5. c. 57. eundem canonem recenset, concedemus Severino Binio, in Centuriatores Magdeburgenses invehenti, ea verba esse Gratiani. Interim tamen mirari subit animum, quæ tanta Gratiano fuerit audacia, quod post monarchiam Pontificis plenè constitutam & in summo fastigio exi-stentem lemma tale operi suo inserere potuerit. Ab Africanis vero pa-tribus hoc discimus, nunquam eos tam superbum inter suos nomen admis-suros fuisse. Et ostendit Stephanus Baluzius ad Agobardi cap. 12. poste-rioribus demum seculis Episcopum Romanum dictum fuisse Episcopum Episcoporum.

LXVI. Dum ita, quam animo conceperant Pontifices Romani, ex voto succederet monarchia in Ecclesiâ, non contenti illi summa hâc auto-ritate, etiam in temporalia totius Orbis imperia cœperunt sibi arbitrium vindicare. Potestate enim Ecclesiasticâ sub religionis & pietatis specie admisâ, severioribus censuris in debiliores principes sibi parum obedientes animadvertere, haud verebantur. Quos cum subjectos sibi vellent prin-cipes vicini potentiores, his ipsis censuris ad eorum perniciem utebantur, & classicum canentibus Pontificibus facili negocio opprimebant. Idque quam feliciter sibi cederet, cum observassent Episcopi Romani, & perfa-sum jam haberent, se de statibus & potestatibus pro lubitu & arbitrio suo disponere posse, non dubitarunt sparsas in vulgo sententias, de superiorita-te suâ in ipsa summa Christianorum Principum imperia, clanculum primum fovere,

fovere, deinde, cum aucta sua esset potentia, etiam palam dictatoriā quādam autoritate sustinere. Primus inter eos Gregorius VII. Hildebrandus antea dictus, non tantum Henricum Imperatorem nunquam ante auditō exemplo excommunicavit, subditis omnibus juramento fidelitatis solutis, sed etiam inter dictatus suos, uti vocantur, quos anno M LXXVI. promulgavit, ut articulos fidei propositūt: *Quod solum Papa possit uti Imperialibus insigniis: quod solius Papa pedes omnes Principes deosculentur: quod unicum est nomen in mundo, Papae videlicet: quod illi liceat Imperatores deponere Ec.* Secutus dein Bonifacius VIII. circa annum M CCCII. per extravag. *Unam sanctam, de major. Et obed.* supremam suam in Reges potestatem prolixā & magnificā oratione expressit. *Hæc* namque ejus fuit sententia, licere sibi, quæcunq; à Regibus non solum extra regium statum, sed etiam in Regni administratione peccarentur, decretis suis corrigerē, & constitutionibus à se latis statum publicum Ecclesiæ & Regni, Concilii in eam rem coacti sententiā disponere, contumacesq; Reges, excommunicationibus & tandem ipsā privatione Regni plectere.

LXVII. Per hanc Bonifacii VIII. Decretalem excitati fuerunt Canonistæ, ut sententiam istam quibuscunq; argumentis sustinere magno studio contenderent. Primus, qui ex professo eā de re egit, fuit Augustinus Triumphus, de Ancona alias dictus, Augustinianus Eremita, qui in *Summ. de potestate Eccles.* multa istiusmodi colligit, ut conficiat, Papam esse absolutē Principem in spiritualibus & temporalibus, reliquos verò Principes esse instrumenta & organa voluntatis ipsius. Eum secutus Jacobus de Terano Urbani VI. Cubicularius circa annum M CCC LXXXIV. edidit librum, quem *Monarchiale tractatum* appellavit, in quo nihil aliud agit, nisi, ut Papam universi hujus mundi monarcham probet, sed siculneis admodum argumentis & interpretationibus Scripturæ planè fanaticis. Verba Christi, *Reddite quæ sunt Cæsar, Cæsari, accipi debere ait, pro statu illius temporis scil. antequam Christus passus esset, & Cœlos vicit ad ascendisset.* Et porrò verba, quæ extant *Job. XII, 32. Quum exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum.* Hoc modo *παραφεγέτε: omnia imperia Et regna mundi recuperabo Et auferam à Cæsare, Regibus, Et aliis Principibus.* Præcepta verò Apostolis data, ut neq; aurum neque argentum possideant, sed tantum comedant de his, quæ apponentur, exponit temporaliter, quo post ejus ascensionem militaverunt in humilitate, afflictionibus, & paupertate, donec imperia & Regna mundi subjugassent: quibus subiectis vel conversis, ut ait, licitum est eorum discipulis, Regiis opibus, cultu, & delitiis uti, & aliis, ut subditis, imperare, præsertim Papæ, quem sic probat esse Regem Regum & Dominum dominantium. Imperatores verò Reges, & omnes, magnos & parvos, illius ad nutum & in omnibus subjectos esse.

LXVIII. Et-

LXVIII. Etsi vero circa explicationes dictorum Scripturæ non æquè desipuerint, qui successerunt, Ecclesia Romanae Doctores, non desierunt tamen Papam Imperatore majorem statuere, & docere; utriusque imperii cœlestis & terreni iura ei esse commissa, & posse adeò Principem, qui neminem recognoscit superiorem, coram Papa conveniri, & ipsum teneri respondere. Ita docent Glossæ, Panormitanus, Felinus, & pleriq; omnes. Goffredi de Trano veteris Glossatoris in summ. ad tit. de heret. n. 12. hæc sunt verba: *Principes seculi & Domini temporales non solum propter suam heresin, sed propter heresin aliorum, quos, dum possunt exterminare, neglexerunt, sunt excommunicandi ab Ecclesiâ, & expellendi à terris. Terræ ipsorum exponi possunt Catholicis occupanda.* Et idem est, si Princeps contra regnum & iustitiam faciendam negligens inventus fuerit insufficiens & ineptus. --- Quilibet enim nullo excepto contrahit forum Ecclesiæ ex peccato. Hoc autem indubitatum est, quod DEI S. preponitur omnibus potestatibus. Ergo & ejus Vicarius, qui vices ejus gerit in terris. Et hæc maximè locum habent, cum princeps, de cuius pœna queritur, alium secularis superioris non habet.

LXIX. Subtilius tamen disquiri deinceps inter Theologos cœpit, quâ ratione potestas illa temporalis competat Pontifici Romano, utrum directè & absolute, an vero in ordine ad bonum spirituale, cuius distinctionis aliquam jam supra feci mentionem. Qui moliores amant loquendi formulas, non nisi posteriore modo Papæ in regna potestatem & imperium tribuunt, pleno ore contradictibus aliis; ut vel ex ipso hoc dissensu constet, quam imbecilli tota ista sententia nitatur fundamento. Et hinc neque ferre volunt moderationes, ut hereticos notam sibi invicem objiciant dissentientes. Scripsérat Bartolus ad l. 1. s. 1. ff. de requ. reis, hereticam esse sententiam eorum, qui dicent, Papam non habere potestatem temporalem ex jure divino, nisi in ordine ad bonum spirituale. Hoc Bartoli pronunciatum reprehendit Didacus Covarruvias ad c. peccatum de reg. jur. in 6. part. 2. §. 9. n. 8. Nec enim, inquit, Bartolus videtur rectè intellexisse, quid sit heresis, dum ita properè Viros doctissimos hanc notam dignos esse censuit --- siquidem eti opinió communis falsa censi possit, heretica tamen dici, donec ab Ecclesiâ contrarium fuit definitum, absque temeritatis notam minimè valet. — Hancenus enim nihil certum in hanc controveriad Ecclesia Catholica definitivit: proptereaq; disputationi locus est, absq; ullâ heretico suspicione &c. Ipse autem Covarruvias statuit, Romanum Pontificem nec actu nec habitu universi Orbis, nec in ipsis quidem Christianos temporalement jurisdictionem habere, nisi quatenus ea necessaria sit ad spiritualis jurisdictionis & potestatis utiliorum & faciliorem usum.

LXX. Sanè coacti fuerunt quandoque Pontifices ad hoc tale κρητφύγετον configere, suamq; in Reges & principes usurpatam dominationem ad sacræ inspectionis titulum revocare, & sub specie emendationis,

S

quam

quam sibi propter peccatum ab Rege commissum competere fingunt,
 id est hoc suum politicum obvelare. Unicum ejus rei exemplum pro-
 feram ex c. 13. §. de judic. cuius hæc est facti species. Defuncto sine li-
 beris Richardo I. Angliæ Rege, superstites erant ejus frater natu minimus
 Johannes, & ex altero fratre natu majore Goffredo, sive Galfrido nepos
 Arturus. Johannes in Regno succedebat, excluso Arturo & deinceps oc-
 ciso, quod sibi metueret ab illo, ne aliquando regnum invaderet, quippe
 qui, ut multi sentiebant, jure repræsentationis in successione præferri de-
 buisset. Id facimus indignè ferens Philippus Augustus Rex Galliæ pro-
 pter singularem affectionem, quâ Arturo junctus erat, causatus & aliæ, quæ
 reum facere poterant Johannem, ei diem dicit apud Curiam Parium, ut
 pote Vasallo suo. Quem post repetitas citationes, cum non comparuisset,
 feudo indignum & propterea Ducatu Normanniæ & Aquitaniæ, itemque
 Comitatu Pictonum, Andium & Cenomanorum excidisse pronunciarunt
 judices. Ad exsequendam istam sententiam cum validâ manu Norman-
 niam ingressus Philippus plurimas urbes & provincias subegit. Quo re-
 rum statu cum impar ei viribus esset Johannes, apud Innocentium III.
 Pontificem conqueritur, injustum sibi à Philippo illatum fuisse bellum, nec
 servatum ab eo juramentum, quo pactas secum inducias confirmaverat,
 paratum idcirco se esse judicio contendere, ut iniquæ Philippi actiones eo
 magis patescerent. Innocentius, cum per legatos persuadere non posset
 Philippo, ut ab armis desisteret, & judicio ab se constituto decertaret, in-
 terdicti sententiam, nisi ipsi paruerit, promulgare constituit, uti patet ex
 c. 7. §. de off. leg. § c. 43. §. de appellat. Quæ res cum attonitos redderet
 prælatos Franciæ, & suspicio inde nata esset Pontifici, minus observatum
 iri hoc suum interdictum, quod in Regem illi propensiores viderentur, pro-
 lixas has ad eos mittit literas, quibus & rationes reddit sui processus, &
 conquitis variis argumentis persuadere eis intendit, justè à se promulgari
 interdictum, & sibi proinde ab eis obedientiam deberi. Scopus totius de-
 cretalis hic est, ut prælati & per eos unâ populus Francorum avertantur
 à fide & obsequio Regis, quasi non obtemperantis Ecclesiæ, sive suis potius
 præceptis. Tota autem quæstio vertitur in eo, utrum rectè faciat Ponti-
 fix Romanus, quando in hâc Regum contentione suas interponit partes,
 & in Regem Galliæ novum ipse instituit judicium, eumque si pareat, in-
 terdicti denunciatione minaciter terret? & utrum huic Pontificis decreto,
 ubi promulgatum fuerit, parere debeant Ecclesiæ Gallicanæ Prælati?

LXXI. In conquirendis rationibus decidendi valde occupatus &
 admodum prolixus est Pontifex, quas speciatim examinare operæ erit pre-
 sumendum. Ad captandam autem benevolentiam præmittit & protestatur,
 se jurisdictionem Regis Galliæ turbare, & de feudo ipso cognoscere nolle:
 Jurisdictiones Regis Galliæ & suam separatas esse, nec confundi inter se
 debere;

debere; suam sibi, Regi Galliæ feudalem relinquendam, nec putare se à Rege Galliæ quicquam, quod suam minueret, affectatum iri, nec proinde à se simile quid metuendum esse. In antiquâ decretali magnificè suum prædicat in Regem Galliæ affectum, laudatq; Regnum ejus, quod nunquam desciverit à fide & obsequio. Ne tamen gratis hæc dixisse, & omnem indistinctè jurisdictionem feudalem abdicasse, aut omnipotentia suæ, quam jactitat, nimium derogasse censeatur, simul addit hanc exceptionem: *Nisi fortè juri communi per speciale privilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detratum.* Et sic in suspenso, imo vero sub lite relinquit, utrum Rex Galliæ judicium feudale adversus Regem Angliæ constituere potuerit. Et hæc generali tamen protestatione, quam contrariam facto ipse agnoscit Hostiensis, satis prospectum putat suæ intentioni.

LXXII. Porro primam decidendi rationem sumit Pontifex ex processu denunciationis Evangelicæ, uti vocant, quam præscriptam dicit, *Matth. XVIII, 15. seqq.* & observatam haec tenus ab Rege Angliæ, qui adhuc paratus esset injustitiam armorum Gallicorum ostendere: cumq; post adhibitos regulæ Evangelicæ gradus nihil prosecisset Rex Angliæ, & Ecclesiæ tandem denunciaverit, se ut caput & Episcopum Ecclesiæ Oecumenicum, judicem nunc esse, neque hoc judicium ab Rege Galliæ declinari posse, nisi sufficientem rationem in contrarium ostenderet. At vero rectè observat Carolus Molinæus ad *S Ct. Francie contra abus. pap. n. 93.* Salvatorem Christum in processu præscripto non agere de cognitione contentiosâ vel judiciali, qualem hic instituere sustinet Pontifex, sed de correptione fraternali gradatim faciendâ. Nec admitti potest, Ecclesiæ vocabulum, quod collectivum est, resolvi in unum individuum, Pontificem scil. Romanum. Vid. Hülsemann. *de corrept. frat. §. 15. n. 325. seqq.* Dav. Blondell. *de jur. pleb. in regim. Eccles. in princip.*

LXXIII. Secundam rationem decidendi sumit Pontifex ab objecto, de quo disceptationem fieri debere contendit. *Non enim, inquit, intendimus judicare de feudo, — sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus & debemus.* Et porro: *Cum entm non humana constitutioni, sed divina potius innitamus, quia potestas nostranor est ex homine, sed ex DEO, nullus, qui sit sane mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocunq; mortali peccato corripere quemlibet Christianum, & si correctionem contempserit, per distinctionem Ecclesiasticam coercere.* At vero *præmonstratio* illa universalis, quam jactitat Pontifex, ex usurpatione est, uti haec tenus probatum olimus; neque à Deo est, nisi permittente; nec si esset talis, qualem eam ipse hic describit, quicquam ficeret ad judicium & forum contentiosum fundandum, nec si ficeret, extendi ea deberet ad Reges & Principes. Corripiendi potestatem propter peccatum commissum habeat Pontifex, sed extra diœcesin suam, non aliam, nisi gene-

S 2 ralem

ralem illam, quæ unicuius Christiano competit. Et quam extra dicēctū suam exercet distictionem, affectata est & ipsa atque præsumpta.

LXXIV. Tertiam decidendi rationem petit Pontifex ab exemptis, primum Valentiniani Imp. deinde Theodosii & Karoli Magni. De Valentiniano refert ex c. *Valentinianus* 3. *diss. 63.* exhortatum eum Episcopos, ut talem Mediolanensi Ecclesiæ præficerent Episcopum, cui ipse caput submittere, & monita ejus, sicubi deliquerit ipse, veluti medicamenta fuscipere queat. Quid verò hic est, *caput submittere*? non profectò, ut pedibus conculcetur à Pontifice, non ut regimen temporale Pontificis subjiciatur arbitrio, aut ut subditi in casu delicti à Rege commissi liberi pronuncientur ab obsequio; sed, ut ipse explicat Valentinianus, ut monitis ejus & ministri Ecclesiastico veluti medicinâ quâdam spirituali, vitæ restituatur spirituali, & ad frugem revocetur. Pontifex autem clavem ligantem & potestatem suam spiritualem in Reges & principes non tantum ad excommunicationis fulmen extendit; sed ulterius progreditur, & gloriatur, posse se per eandem solvere populos à juramento fidelitatis & obedientiæ: posse obligare eosdem populos sub excommunicationis poenâ, ut Regi excommunicato non pareant, atque ut alium sibi eligant Regem. Bellarmin. *advers. Barclay*. cap. 3. denique posse integrum Regnum Iacris interdicere, & cultum divinum protinus inhibere. Quæ omnia tyrannidis Ecclesiasticæ manifesta sunt *nuptiæ* & argumenta. Vid. Robert. Abbot. *de suprem. potest. reg. praefect. 17.*

LXXV. Alterum exemplum est Theodosii Imperatoris, statuentis uno ex litigatoribus eligente judicium Episcopi in quocunque processus articulo, ad eum protinus causam transmittendam esse. Hanc constitucionem ait innovatam & repetitam à Karolo Magno, ne quis putet, antiquam eam esse, secutus hâc in parte Gratianum, qui utriusque constitutionis mentionem facit, easq; recenset c. *quicunq;* & c. *volumus r. 1. q. 1.* utque argumento huic majorem vim svasoriam adderet Pontifex, in animum revocat Philippo Regi, à Karolo eum originem genusq; traxisse, nec ergò improbare eum posse, quod ita à Karolo constitutum fuit. At verò totam istam Theodosii constitutionem, quæ Constantino Magno alias tribuitur, à pleno quodam confictam & principiis juris prorsus adversam esse, enucleatè probat Jacobus Gothofredus in *Cod. Theodos.* post lib. 16. in *extrav. 1. de Episc. judic.* Et quanquam eam fraudis neficiis, capitularium lib. 6. cap. 281. inferuerit Karolus Magnus, incivile tamen erit ab Legislatore exigere, ut paricum subditis suis jure, quod ipse præscriptit, utatur, & judici se submittat, imperiose admodum & cum comminatione hanc potestatem usurpanti.

LXXVI. Quartam decidendi rationem sumit Pontifex ex qualitate delicti, quod à Rege Philippo commissum dicitur. Id duplex esse ait, cri-

mem

men scil. fractæ pacis, & crimen perjurii. Utrumque ad suam pertinere cognitionem. Primum, quia per id solvit vinculum charitatis; alterum, quia in religionem & cultum divinum immediate committitur: utriusque ergo vindictam ad Ecclesiam pertinere, quæ operam dare debet, ut charitas inter Christianos integra & illæsa, utq; religio inviolata servetur. Vérum enim verò, si propter charitatem læsam judicium Ecclesiasticum aut Pontificis adeundum est, omnes causæ, qualescunq; illæ fuerint, possent ad forum Ecclesiasticum trahi. Vix enim dabitur aliqua, quæ non contineat in justitiam cum charitate pugnantem, aut quæ continere eam ab actore non prohibeatur. Possent igitur actores ad declinandum judicium secularium ordinarium petitionem in libellis ita formare: peccare reos & in peccando perseverare, & puniri idcirco debere in foro Ecclesiastico. Quæ res jurisdictiones mirè confunderet. Et hoc inconveniens anxiū plane reddidit Martini ab Azpilcueta Navarrum ad cap. b. notab. 6. n. 15. ut ipse, quid respondere debeat, prorsus nesciat, & novas inde excitet difficultates, quas tamen & ipsas superare haudquaquam potest. Vid. Marcus Ant. de Dominis lib. 5. de Rep. Eccl. cap. 2. n. 54. Nec alia perjurii ratio est. Posset enim ita cuivis negocio civili juramentum addi, eum in finem, ut causam deinceps ad forum Ecclesiasticum trahere liceret. Idque cum factum aliquando in Galliis, & hâc ratione jurisdictione secularis penè vacua & inanis reddita fuisset, decreto Senatus Parisiensis, vetitum, refert Antonius Dardanus Alteserra ad b. t. ne instrumentis publicis jusjurandum adponeretur. Et hoc facit etiam testimonium Petri de Marca lib. 2. de concord. sacerd. & imp. c. 3. n. 6. quando ait: *Prima fronte Régum jura hâc Decretali sacerdoti vindicantur; sed ut integrum beneficium illi non debeamus, facit exceptio ad bibita. Quæ profecto ejus generis est, ut admissa semel in judiciis omnia fora confundat. Quare à Gallis nostris nunquam suscepta fuit, non solum in specie, de qua tunc agebatur, sed nec in ceteris causis.* Sc.

LXXVII. Idem istud observarunt etiam Principes Germaniæ & propterea anno MDXXII. in Comitiis Noribergensibus in gravaminibus suis, quæ Nuntio sive Oratori Pontificio exhibuerunt, hoc quoq; sub num. 64. inferere placuit: *Insuper si id presumunt Officiales, si quando in causis profanis ac inter personas Ecclesie minimè sacras dicatasve, sed omnino Laicas datâ fide, seu prestito juramento, verbo vel in scriptis, pacta, obligationes, contractus vel promissiones factæ sint; vel celebratae, quod eam ob rem atq; hujs prætextus ratione tales profanæ Laiceq; cause coram ipsis potius, quam ordinario judge agitari debeant. Quæ nova Ecclesiasticorum tecumus si increceret ac diutius toleraretur, jam actum foret de civili causarum auditorio, quod omnes profana civilesq; cause contractum atq; transactionum hâc viâ necessariò ad Ecclesiasticos pertraherentur. Quis enim contradicat, quæ transactio, quæ deniq; inter pacifcentes conventionis, quæ non sit solemniter stipulata, aut promissione vallata? Illac nimi-*

rum rerum veniremus, ut in totum civilia eluderentur judicia. Quod nedum contra aequitatem ipsam, contra omnia jura scripta, sed & civili magistratut intollerabile foret. Nam ut demus hoc interim ecclesiasticis judicibus, de perjurio commissio notionem ut habeant, nibilo magis per id cause ipsius principalis, contractus puta aut transactionis, quamobrem ille pejeravit, judices competentes erunt, quin perjuros illos ob religionis transgressionem manifestariam tantum judicio convenire possent, ac Canonicam huic indicere multam, reservata tamen civili magistrati, qui perjuros penali judicio secundum civiles sanctiones plectere jus habent, commissa fibi ob id paend.

LXXVIII. Sed dilabimur ita à scopo, qui erat, ut ostenderemus, Pontifices ipsos in invasionibus suis ad sacram hanc anchoram confugere, competere sibi potestatem coercendi Principes in ordine ad bonum spirituale, id quod ex Decretali Innocentii III. additâ ubiq; nostrâ epicrisi, probatum dedimus. Sed enim negari nequit, quod ita à Pontificibus obvertitur, boni spiritualis studium, ad ~~πατέρων~~ plerumq; pertinere, & in prætextu subsistere, veram vero ~~αιτίαν~~ ex libidine imperandi, quæ penes Pontifices & in eorum curiâ per aliquot secula se exseruit, peterendam & accersendam esse. Neq; illi hanc suam intemperiem dissimularunt, nisi quando impares viribus sibi visi fuerunt. Sibi si relinquuntur, fuosq; dum intuentur tot clientes, tot obedientium agmina, supra mensuram & modum humanæ superbiae tumidi existunt. Exempla hic non congeram, quandoquidem eâ de re plena est omnis historia. Memorabilis est Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri Francorum Regis contentio, quæ intolerabilem Pontificis ambitionem & fastum, & quam præsumptuose illa se gesserit, multis argumentis demonstratum dedit. De eâ hunc in modum loquuntur annales Britannici: *Paulo post illa diu celata & occultata similitas, quam Papa in Regem Francie altâ mente reposuerat, in apertum odium convitumque erupit.* Nam dum Regis legatus cum Papâ de multis injuriis in Regem factis ageret, Papa cum multis & superciliis contractis: *Nos, inquit, habemus utramq; potestatem.* Et ille pro Domino suo respondit: *Vtique, Domine;* Sed vestra est verbalis, nostra realis. Et in tantum excanduit ira Domini Papæ, ut diceret, moveare se contra eum Cælum & terram. Hæc ex antiquitatibus Ecclesiæ Britannicæ, quas evulgandas curavit Matthæus Parkerus Archiepiscopus Cantuariensis, in vit. Roberti Winkelsee.

LXXIX. Sed præstat ex ipsa Pontificiorum Scholâ initia istius contentionis describentem audire Johannem de Busieres, cuius lib. 9. Histor. Franciæ hæc est relatio: *Primus discordia fous, Bonifacii vel ambitio, vel Pontificie majestatis afferenda cupido.* In pace Francum inter atq; Anglum sacerdâ, cum leges pro potestate dixisset, Francorum odium excitavit; quasi is tentaret dominium temporale, quod vocant, usurpare in Regnum, Regemq; suo obsequio & Regni regimen mancipare. Eares utriusq; studiis agitata atq; disceptata, ver-

borum,

borum, ut sit, aculeis & contumeliis, animos aulicorum mox Principum divellit sensim & ad proximam flammam composuit. --- Exacerbatis invicem animis Bernardus Apamensis Episcopus, --- nuncius à Pontifice ad Regem missus, lingue intemperantiā animiq; audaciā, concordie, si quod erat adhuc, vinculum rupit. Regi denunciat, ut omnibus pretermisso ad bellum sacram conferat, vetat indias decimas ad alium usum convertere, atq; incredibili procacitate Regem à Pontifice deponendum minatur, nisi obtemperet. Indignatus Rex in hominis impudentiam correptum Narbonensi Archiepiscopo in custodiam tradit, alioqui de pluribus noxis accusatum. Id postquam rescivit Pontifex, novas ad Regem literas asperrimas scribit, quibus testatur, ob ejus contumaciam Francia regnum devolvī ad Apostolicam sedem. --- Quare vetiti profici Romam antistites, & molestissime literæ ad Pontificium datae. Quibus ille mirum in modum inflammatus in Regem, ad eum regno deturbandum, preter Flandros, quorum rebellionem incendat, Eduardum etiam Anglum appellavit, & Albertum Austriacum Imperatorem, regnum Franciæ invadenti donans. Que cum frustraforent, Alberti Regi amico fædere adstrito, ad sacra fulmina conversus, Regem anathemate perculit, universam Franciam interdixit sacris, ipsosq; Francos Regis obsequio solutos editit &c: Sed cùm bruta illa fulmina parvi penderet Philippus, nec revereri adeo autoritatem Pontificis vellet, tandem hic dolore animi confessus periit. Hoc modo, ait Platina, moritur Bonifacius ille, qui Imperatoribus, Regibus, principibus, nationibus, populis terrorem potius, quam religionem injicere conabatur, aurum undiq; conquisitum, plus quam dici potest, sitiens.

LXXX. Hæ sunt istæ artes, quibus ad tantam sublimitatem adscendit, & eam sibi conservare hactenus conatus fuit Pontifex Romanus. Et illis quidem jam inde à seculo octavo adsveta fuit ea fedes, summo cum discrimine Rerum publicarum, maximisque cum injuriis Regum & Principum. Cœperant seil. ineunte jam seculo septimo Episcopi Romani ^{πατέρων} Φεονί, & summā atque illimitatā quādam Ecclesiasticā potestate uti, cæterosque Christiani Orbis Episcopos sibi obnoxios & subjectos facere, mox etiam Regna & provincias adpetere, & Imperatores iplos sub legis superbissimæ vincula conjicere. Primus, qui tām ferociter majestatem impletit, fuit, nifallor, Constantinus Pontifex Romanus; cuius iram atq; indignationem cūm in se concitasset Philippicus Imperator monothelita, diro in eum composito carmine, verba sunt Siganii in histor. ad annum DCCXII. poenis inferorum devovetur. Nec contentus Pontifex Imperatorem sacris excommunicationis vinculis innodasse, progressus ad populum Romanum ingenti animi magnitudine rogationem tulit, populus scivit, ne Philippici nomine cusi nummi, neve ab illo literæ recipientur, & ne nomen ejus, ut solebat fieri, in sacris solennibus ad altare de diptychis Ecclesiæ recitaretur. Hæc ad annum Christi gesta sunt præter propter DCCXII. quæ futuris deinceps Pontificibus, Constantini illius Successoribus viam

ad

ad imperium, de quo egimus, compendiosissimam præstruxerunt. Ihi autem homines gnavi & industrii & ad rem suam valde intenti, ut erant, omnem captabant occasionem, quā non conservari tantum, sed etiam augeri sua hæc maiestas posset.

LXXXI. Neque enim multum intercesserat temporis, cum Leo IIa-
rus Imperator, suscepito contra imagines bello, multa turbaret in Oriente. Quem cum Pontifex Gregorius II. Constantini Successor per literas admo-
nitum ab incepto non posset dimovere, sævire animo cœpit, ita loquitur
Siganus, atq; extrema remedia meditari. Quocirca ad exemplum deces-
soris sui Constantini decreto suo sacris Leonem interdicit, Italiae populos
sacramenti religione solvit, quo se obligaverant Imperatori. Indixit, ne
tributum, aut vectigalia penderent, neve aliâ ratione obedirent. Hoc Gre-
gorii artificio tota malorum examina Italiam deinceps & Orbem Christianum obruerunt. Isto enim decreto accepto, Romani Campani, Ravennates, & Pentapolitani à Leone subito defecerunt, ac variis tumultibus exci-
tatis ipsos etiam violare magistratus non dubitarunt. Quæ dum fierent,
Luitprandus Longobardorum Rex suæ intentus fortunæ tum alias multas
urbes; tum ipsam etiam Bononiam occupavit, ac demum ad Vicum Pileum
regionis constituendæ causâ consedit. Leo Imperator cognitâ hâc defe-
ctione commotior Eutychium patritium & exarchum ad res recuperandas
& Gregorium Pontificem coercendum in Italiam mittit, sed successu pa-
rum prospero. Nam Pontifice diris Eutychium devote Romani Leoni
imperium prorsus respuit, ac solemni sacramento se Pontificis vitam
statumque in perpetuum defensuros, atque ejus in omnibus rebus auctorita-
ti obtemperaturos se obstringunt. Ita Roma, sunt verba Siganii ad ann.
DCCXXVII. Romanusq; Ducatus à Græcis ad Romanum Pontificem pervenit.
Quomodo autem? si rem rectè æstimes, per scelus summum & perfidiam
servi in Dominum suum ingratissimi.

LXXXII. Quibus autem artibus ab initio coepit Romana res, iisdem
stetit deinceps & adolevit, & iisdem ipsis ad annum istam suam & quam vi-
demus matritatem pervenit. Gregorio enim successit Zacharias Papa.
Illo vero autore Childericus ultimus ex Merovingiorum stemmate Franco-
rum Rex scissâ Cæsarie in monasterium truditur, & in ejus locum Pipinus
Caroli Martelli filius iurrogatur. Facti seriem refert Johannes Nauclerus
generat. 26. Et hinc scil. nata illa fuit necessitudo, quā sibi Reges Franciæ
obligatos habuit Sedes Romana. Prudenter animadverterat Pipinus, mag-
num esse nomen & autoritatem Pontificum Romanorum, magnum mo-
mentum in utramque partem, propter sedis illius in Urbe Regiæ consisten-
tis & primæ inter patriarchales autoritatem, quæ partim acreverat è ve-
terum Pontificum sanctitate, partim accesserat ab Imperatorum Princi-
pumq; munificentia, partim denique aucta fuerat ex hominum cuiuscunq;
ordinis

ordinis atque dignitatis religiosa quādam & superstitione veneratione. In primis vero metuendum sibi putavit Pipinus fulmen excommunicationis, quo usus fuerat Constantinus paulo ante, tūm etiam Gregorius non infeli successu. Videbat præterea Pipinus summā ambitione flagrantes Romanos Antistites gnavos & industrios ad omnes occasiones arripiendas, quæ Sedis suæ dignitatem promovere possent. Videbat igitur, ē suis esse rationibus, cum Pontificibus pactam dudum & initam à parente suo amicitiam conservari debere, ut quemadmodum Pontifex Gregorius, cui principatum suum debet Roma, Græcum excusserat Imperatorem & Romanæ Urbis Dominum se constituerat, ita & ipse, consentiente Zacharia Pontifice, in Galliis Regem suum legitimum veluti ignavum & regimini prorsus inutilem Regno privare posset. Sic igitur Karoli patris sui exemplum secutus Zachariam Pontificem velut DEUM aliquem observabat, & post excessum Zachariæ Stephanum ipsius Successorem. Quam observantiam eodem modo continuavit Pipini filius Karolus Magnus.

LXXXIII. Usi vero fuerunt Pontifices Romani aliis insuper artibus, quibus imperium suum tum temporale, tum Ecclesiasticum bono successu ampliarunt. Fabricarunt scilicet & excogitarunt instrumenta aliqua, antiquitatēmentientia, populo ut probarent, quas fecissent, fabulas. Tale ad temporale imperium stabilendum est famosum istud instrumentum, quo Constantinus Imperator Sylvestro Pontifici Romam Urbem & potiorem Italiam partem dono dedisse fingitur. Istud vero ante multos annos Laurentius Valla validissimis rationibus convulsum penitus dissipavit, & ut commentum otiosorum hominum prudentiores omnes hodiè agnoscunt, quibus accedit ipse Papa Pius II. Æneas Sylvius antea dictus, in practica Cancellariæ Apostolicæ apud Hieronymum Paulum. Recte idcirco id rejicit Cardinalis Baronius & falsi convincit, argumentis ductis non solum ex dictis & clausulis, quas pugnare putat cum Sedis Romanæ prærogativis, sed etiam à circumstantiis temporum & Consulum. Vid. Annal. tom. 3. ad ann. 324. n. 118. § 119. Quando autem, & quā occasione id confictum sit, eruditus σοχασμῷ investigat Petrus de Marca de concord. Sacerdot. § imp. lib. 3. cap. 12. De eâ re nunc nulla nobis sedet cura, cum ipsi Pontificii parum praesidii in eo inveniri dictitet. Disputent, inquit Melchior Canus Loc. Theol. lib. 2. pag. 511. de eâ alii, quibus forte cordi est Romane Ecclesie majestatem amplitudinemq; minuere. Ad spiritualem vero sive Ecclesiasticum principatum confirmandum sub Veterum Romanorum Episcoporum nominibus mundo obtruse sunt confictæ Epistolæ Decretales haud paucæ, quæ in Isidori Mercatoris collectione hodiè circumferuntur. Nulla vero istarum epistolarum in omni Christianâ antiquitate mentio ante annum Domini DCCC XXX. invenitur. Qui post id tempus vixerunt, Ecclesiastici Scriptores, paulatim eos memoraverunt, donec colle-

T

cta

Etia tandem innescere ac ultimò pro veris & genuinis haberi in postremorum seculorum face cœperunt. Prodiisse earum artificem ex Bonifacii VIII. scholâ nonnullis persvakum est. Alii ad seculum nonum eas referunt. Id verò certum est, esse eas omnes unius ejusdemq; auctoris, tametsi diversissimorum Pontificum nomina mentiantur. Id quod solidè demonstratum dedit David Blondellus in *Pseudo-Isidoro*. Nec de earum *vulgata* dubium hodiè est inter eruditos, quicquid in contrarium disputet Franciscus Turrianus Jesuita. Antequam autem larva detracta illis fuit, validissimum inde argumentum ad stabiliendam autoritatem Pontificiam petitum mundo imposuit; & omnium, qui contra hiscere auderent, ora obstruxit.

LXXXIV. Supersunt adhuc alia duo fundamenta, aut artificia potius, per quæ ad culmen & fastigium istud, quod nunc tenet, adscendit auctoritas Episcopi Romani. Primum est, quod persvakum suis cupiunt, Pontificem Romanum esse Concilio generali superiorem, neque ab eo judicari posse. Alterum, immunitas & exemptio personarum Ecclesiasticarum ab omni potestate & jurisdictione seculari. Quod primum concernit, non una omnium eâ de re est sententia, & imò sunt, qui contrarium sustinent inter ipsos Pontificios, tûm Theologi, tûm J.Cti. Plurimi alii neutri parti adhærent, qui haud dubiè & ipsi in contrarium descenderent sententiam, nisi Romam metuerent & Jovis Capitolini iras. Martinus ab Azpilcueta Navarrus & Theologus insignis & juris Canonici scientissimus, perspicue dôcit, de hâc re inter Romanos & Parisienses Theologos adhuc probabilius disceptari, neque ipse magis in unam, quam in aliam partem propendet. *ad c. novit. de judic. notab. 3. n. 84.* In eandem sententiam differit Franciscus à Victoria, tametsi alioquin S. Thomæ defensor acerrimus: *De comparatione*, inquit, *potestatis Papæ est duplex sententia: altera est S. Thomæ & sequacium multorum & aliorum Doctorum tām in Theologia, quam in jure Canonico peritorum, quod Papa est supra concilium; altera est communis sententia Parisiensem, & multorum etiam Doctorum in Theologia & canonibus, ut Panormitanus, & aliorum contraria, quod Concilium est supra Papam.* Non est locus nunc disputandi, que illarum sit verior, quia de hoc non agitur. Puto utramq; esse probabilem. Idem tenet Alphonsus de Castro, & alii plures. Nihilominus tamen jubemur credere, quod Papa judicari à nemine posit; jubemur credere, summum Pontificem absolute esse supra concilia, nec posse subiungere se ipsum sententiæ coactivæ Conciliorum, ut philosophatur Bellarminus lib. 2. de concil. c. 17. & 18. jubemur credere, autoritatem Concilii generalis totam pendere à Papa, ut tradit Franciscus Longus à Coriolano in prelud. 5. ad summ. Concil.

LXXXV. Circa exemptionem Clericorum postulata quædam ut regulæ infallibilis ponuntur, sed quæ Rempublicam valde infestant & quotidiana-

tidianis motibus exponunt. Sic namque doceri solet, personas Ecclesiasticas jure divino exemptas esse ab omni potestate temporali: principes seculares & ipsorum magistratus nullam in ipsis habere potestatem: non posse clericos reos fieri læsa majestatis, si vel maximè aduersus Principem rebellionem excitaverint, ideo scil. quia non sint ipsius subditi: non esse eos jurisdictioni secularium judicium subjectos, nec puniri ab illis posse, etiam si non obtemperent legibus illius status, sub quo vivunt, non posse exemptioni huic renunciare Clericos, nec in forum seculare compromittere, ut maximè velint. Quæ omnia hoc tandem ostendunt, vivere personas quasdam intra quandam statum, non subjectas Statutis illius legibus, exemptas ab omni politiâ & disciplinâ temporali, sine obligatione fidelitatis erga Principem, sine obedientiâ erga Magistratum: denique statum intra statum formari, & sic duas majestates, ut sic dicam, in unâ Republicâ existere. At vero multo aliter docuerunt veteris Ecclesiæ Patres. Subjectos esse, non Laicos tantum, sed universum etiam clerum potestati Principis, Chrysostomi est porisma, quando ad verba Pauli Rom. XIII, 1. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto;* hunc in modum commentatur: *Omnibus hæc precipi, sacerdotibus & monachis, non tantum secularibus,* statim in ipso proœmio declarat Apostolus, cum sic dicat, *omnis anima potestatibus &c.* Etsi Apostolus sive Evangelista, sive Propheta, sive quisquis tandem fuerit; neque enim potestatem subvertit ista subjectio. Chrysostomum totidem penè verbis sequuntur Theophylactus & Oecumenius. Dum vero contrarium planè statuit & usu introduxit Pontifex, nemo non videt, quantum inde incrementi acceperit monarchia Papalis.

LXXXVI. Huic ipsis exemptioni accessit adhuc alia non minus proficia tantæ potestati, quantam in se auctam magis magisq; cupiebant Episcopi Romani. Dum enim unusquisque olim Episcopus non in Ecclesiis tantum, sed monasteria etiam qualiacunq; in dioecesi suâ constituta & existentia jura episcopalia exercere poterat, successu temporis id multis modis mutatum est in Ecclesiâ Romana. *Multis enim & sumptuosis monasteriis fabricatis* (ut orbi Petri Svatys ex hist. Concil. Trid. lib. 2.) eorumq; cura Abbatibus excellenti fama doctrinaq; Viris commissa, quorum illustres virtutes Episcoporum nomini caliginem offundebant, ortaq; inter utrosq; ob eam causam emulatione, Abbates ut se his incommodis sive veris sive fictis liberarent, simulq; ambitionem subtrahendi se à subjectione debitâ occultarent, à Pontificibus Romanis impetrarunt, ut in tutelam D. Petri admitterentur, & sub scuto autoritatis Pontificia immediate delitescerent. Id autem cum commodo Curiæ Romanae cessisset, quippe quod qui privilegia obtinenter, ad eadem conservanda concedentis autoritatem tueri tenentur, extemplo monasteriis datae exemptiones. Cathedralium etiam Ecclesiarum capitula, que maximam partem erant regularia, iisdem obtentibus impetrarunt immunitatem. Congregationes demum integra Cluniacensis

Et Cisterciens̄ pari exemptione donantur, magno autoritatis Pontificiae incremento, dum Pontifices ubiq̄ locorum sibi comparant clientes & subditos peculariter addic̄tos, solius Papatū tutelā ac protectione subnixos, iisq; vicissim sese present patronos ac defensores &c. Ea verò exemptio quantum displicerit bonis omnibus, alibi dicemus: Nunc enim sufficit ostendisse, quanta per eam suprematui Episcopi Romani acceſſerint incrementa.

LXXXVII. Et quis verò universa ista πολύνα σφίσματα, quibus per aliquot fœcula Sedes Romana usu fuit, commode recensabit? Quis putasset, etiam in cœlibatu Sacerdotum imperato arcanum aliquod tyrannidis sacræ latitare, nisi id explicasset. in Synodo Tridentinā Cardinalis Roldolphus Pius Carpenis? Si connubia permittantur, inquit ille apud eundem Svav. lib. 5: Sacerdotibus, id inde secuturum, ut familiam Vxorem ac liberos alentes ad Principis quisque sui obedientiam respiciens, Pontificis obsequium detrectet: ut liberorum charitas ab officio ad omnem Ecclesię fraudem ac prejudicium abducat: ut de sacerdotiis in familias suas hereditario jure adsciscendis cogitent: ut deniq; intra breve tempus Sedes Apostolica Urbis Romanae cancellos non excedat. Ante institutum cœlibatum Sedem Romanam nullum ex aliis civitatibus ac regionibus fructum percepisse: per hunc adeptum dominatum omnium Sacerdotiorum, que matrimonium exiguō tempore illi eriperet &c.

LXXXVIII. Quis jam invidēret Pontifici potestates omnes supergresso & in summo fastigio consistenti triplicem coronam auream, quā se conspicendum in publico exhibet? Ideo scil. triplex esse debuit, ut maiestas ejus ad cœlestia, terrena & inferna pertinere innueretur, uti inter alia mysteria hoc exponit. Theophilus Raynandus Jésuita de coron. aur. Supr. mitr. Pontif. p. 396.. Ad cœlestia eam pertinere, non sinit nos dubitare bulla Clementis VI. quā angelis in cœlo imperavit, ut animas in itinere Romano defunctorum à purgatoriis penitentias protinus in cœlum deferrent. Bullam istam edidit ex bibliothecā Ultrajectinā Johannes Hoornbeek anno 1653. De inferis, fidem facit Baptista Platina in vita Sylvestri II. de quo scribit, quod pontificatum adjuvante diabolo consecutus fuerit. Idem refertur de ejus Successoribus, Johanne XIX, & Johanne XX. De terrenis verò, haec tenus abunde demonstravimus, quantum Pontifices Romani sibi vindicaverint, ut adeo optimè convenientia omnia, quæ in Regno Pontificio de immensâ Principis sui potestate fabulantur Romanenses.

LXXXIX. De autore illius coronæ diversæ sunt sententiae. Qui à Constantino Imperatore donatam referunt, inquit in instrumento donationis, sed quod supra diximus, nullam omnino fidem mereri. Rectius alii ab Anastasio Imperatore ejus originem petunt; hâc propositâ facti relatione: Anastasius Imperator Orientis sub initium seculi VI, cum vidisset Theodorici Italiz Regis fortunam florentissimam & res secundas, invidiæ stimulis agitatus, omnem movebat lapidem, ut quoquo modo posset, tam prosperos

ros succelsus sufflaminaret. Cum itaq; Clodovæi Francorum Regis affinitate niteretur Theodoricus, hoc maximè dabant operam Anastasius, ut amicitias istas cohærentes dirimeret, & Clodovæum abstraheret. Misit itaq; ad Clodovæum legatos & munera, additis literis, quibus significabat, quod complacerit sibi & Senatoribus, eum esse amicum Imperatorum, patriumque Romanorum. Unde ab illo die Consul simul & Augustus meruit nuncupari Clodovæus, uti scribit Aimoinus lib. 1. cap. 22. Inter munera ista erat corona admodum preciosa, de quâ hæc reperiuntur apud Sigeber-
tum monachum Gemblacensem ad ann. 510. Clodovæus Rex ab Anastasio Imperatore codicilos de consulatu & coronam auream cum gemmis & tunica-
m bracteam accepit, & ex eâ die Consul & Augustus est appellatus: Ipse verò Rex misit Romanam Sancto Petro coronam auream cum gemmis, que Regnum appellari solet.

XC. Istâ autem coronâ Papam hodiè ornari testis est Marcellus l. 1. sacrar. ceremoniar. sect. 2. c. quod inscribitur: Consecratio, benedictio & coro-
natio Romani Pontificis, ubi ait: Diaconus à sinistris deponit mitram consuetam
à capite Pontificis & diaconus à dextris tiaram, quod REGNUM appellant & tri-
plici coronâ ornatum Pontificis capiti imponit, populo acclamante: Kyrie eleison.
Ista ergo corona, quæ hodiè capiti Pontificis imponitur & Regni nomine
appellatur, eade n' est quam Anastasius Clodovæo misit, hic Petro donavit.
Scribit porro Brotardus in Apocal. XVII, 5. huic coronæ inscriptum in-
veniri nomen MYSTERIUM, id ipsum, quod in dicto apocalypseos loco
describitur. F. refert Josephus Scaliger in not. ad nov. test. Mommoran-
tium Romæ a' entem ab homine fide digno accepisse, nomen istud revera-
olim coronæ Pontificiæ insculptum fuisse, sed era sum ab Julio Pontifice, sub-
stituto suo nomine, hoc modo: JULIUS PONTIFEX MAXIMUS.
Quod de Julio III. interpretatur Jacobus Revius in auctuar. ad histor. Pontif.
Rom.

XCI. Sed nolo nunc addere plura: Constitutum enim ab initio fuit
hoc tantum ostendere, Episcopos Romanos indignis planè modis & pessi-
mis artibus ex numero patriarcharum sese eripuisse, & οὐεργαστιζόντες
quæque sibi vindicasse. Nemo erat eo tempore, quo maximè florebant,
quibus tum sustinebatur Ecclesia, patriarchatus, qui non lubenti animo,
Romano Patriarchæ primum daret locum. Vera autem ejus ordinis &
dignitatis causa non erat jus divinum, aut Salvatoris Christi ordinatio, uti
volunt ejus Sectatores hodierni, sed urbis imperium & majestas, quæ tunc
temporis, mortalium plendorem & gloriam quod attinet, Orbis terrarum,
domina ac caput erat. Atq; hoc ipsum dilertis verbis declaraverunt Con-
cili Calchedonensis Patres, quando act. 16. ajunt: Sedi veteris Romæ pro-
pter imperium civitatis illius, patres consequenter privilegia reddiderunt. Et
porro: Et eadem intentione permoti, & aqua sanctissimæ sedi nova Romæ (h. e.

T 3

Con-

Constantinopolitanæ) privilegia tribuerunt: rationi congruum judicantes, ut civitas illa ornata imperio, ac Senatu, & quis seniori Regie Romæ privilegis frueretur.

XCI. Sed his non contentus Patriarcha Romanus inordinato appetitu universa Orbis terrarum imperia, & quicquid vel sacri vel profani in illis contentum fuit, ad se unum rapuit, semetipsum super omnes mortales extollens, imò DEUM se faciens, & si posset, etiam DEO superiorem. Et hâc ratione Romana Ecclesia, quæ antea parva fuit & humiliis (sunt verba Othonis Episcopi Friburgensis) in magnum montem excrevit, Regnum autem sive Imperium fuit humiliatum & imminutum. Certum enim est, prima Papalis monarchiæ fundamenta super ruinis imperii fuisse posita, & Papæ vires imminutione Imperii crevisse. Idq; fatentur ipsi Pontificiæ Scholæ Doctores. Descripsit vitam Gregorii VII. Onuphrius Panvinius monachus Augustinianus, ediditque Jacobus Gretserus Jesuita. In eâ de decretis à Pontifice editis hoc fert judicium: *His decretis in duobus potissimum majestas & Romani imperii dignitas evertebatur, & quod longè pejus erat ea fundamenta jacebantur, quibus Romani Imperii potestas omnino labefactaretur.* Item: *Gregorius suis decretis dimidium imperii Cæsari tollebat.* Et rursus: *Imperii vel omnino tollendi vel in perpetuum stabiliendi causa tunc maxime tractabatur.* Cæsar enim imperii jura & ea quidem summa omnino tueri: Papa verò Ecclesiæ libertatem, nullâ Imperialis excidii ratione habitâ, afferere valebat, indignum esse clamitans, à manu Laicâ Sacerdotes creari; quanquam id per trecentos ferè annos à Karoli Magni tempore sub sexaginta & amplius Romanis Pontificibus, usurpatum esset. Maximè igitur Imperatorilaborandum erat, ne hæc decreta starent, si imperii jura, imò si imperium ipsum salvum esse vellet, quod ejusmodi papalibus editis procul dubio dissipandum esse existimabat.

XCII. Hæc Onuphrius de Gregorio VII. Longius adhuc progeditur Nicolaus Machiavellus lib. 1. hist. Florent. & quâ ratione ab aliis etiam Pontificibus Imperio Romano, quod florentissimum diu exitit, detractum semper fuit, his verbis exponit: *Cœperunt hoc tempore Pontifices Romani majori esse in dignitate, quam antea fuerant.* Prius enim post Petrum Apostolum, propter vitæ sanctimoniam & miracula solūmodo observabantur, ac tantum prodierant exempla illorum fidei Christianæ, ut vellent nollent, Principes cogerentur amplecti illorum religionem, quo confusione illam, quæ in mundo erat, è medio tollerent, & ad meliorem statum reducerent. Etsi autem negari non potest, tñ statim adiuctam Pontificum autoritatem, cùm Imperatores Romani Christianam fidem amplexi, relicti Româ Constantinopoli cœperunt habitare, quo tempore & ruina imperii Romani coepit, quia tamen ad hanc Longobardorum usq; etatem semper habuit Italia Imperatores vel Reges, vix alia erat Pontificum dignitas & estimatio, præter eam, quam, ut dixi, vitæ sanctimonia sibi paraverant & doctrina. In aliis rebus Imperatoribus aut Regibus obediebant, sèpè etiam ad suppli- cium

cium ab iisdem rapiebantur. Ac si quid unquam dignitatis Pontificibus in Italia antea accesserit, id omne à Theodorico venit Gotborum rege, cum is Ravennam regiam suam transferret. Tum enim Roma sine principe relinquatur, & cives Romani eo libenter suberant Pontificibus, quod tuto & tranquille commorari sub iis possent. Sed nihil aut perparum iſud erat, & hoc unum obtinebant, ut Ecclesia Ravennenſis Eccleſiae Romanae effet ſubjecta. Cum autem Longobardi quoq; in Italiam jam venirent, illi in factio[n]es plurimas ſciſſa effet, adaugebatur Pontificia potestas hoc illorum adventu. Cum enim Pontifex caput effet & princeps urbis Romanae, Imperator verò Constantinopolipræfet, itaſe tempori & preſenti rerum ſtati accommodabant Longobardi, ac Longinus, ut mediante Pontifice populum Romanum ſibi devincirent, non ut ſubditus illorum effet, ſed ſocius & nunc horum nunc Greco[n]um partes ſequentes Pontifices, mirum quād adaugebant ſuam dignitatē. Quin etiam h[ic] poenitentia illorum cauſa erat ruina & interitus imperii Orientalis. Et poſt aliquam multa: Perdidit exiſtimationem ſuam Imperialis dignitas, acquisivit Pontificia: & hiſ artibus deinceps principibus politici ſe pratulit. Hic eſt ſcil. ille ſervus ſervorum, uti ſe ipſum vocant, ſub quo inani titulo occultatur dominus dominantium & ejusmodi dominus, ita dominans plenē, ita regios animos ac ſpiritus gerens, ut ex omni Ethnorum numero vix paucos invenias ei ſimiles.

XCIV. Concludam hoc caput eleganti ſententiā Johannis Petri de Ferrariis, qui in *Praxi ſuā Papienſi*, uti vulgo vocatur, tit. 30. gloss. 7. pr. inordinatum iſtum Pontificis Romani appetitum his verbis perftringit: *Attende tu juuenis, quod in his temporalibus excrevit hominum cupiditas, ut niantur totis viribus adſcendere ad jurisdictiones, honores, damnationes; & ſi poſſibile foret ad celorum manſiones. --- In tantum enim excrevit hic appetitus, quod nedum Laici, ſed etiam ſummi ſacerdotes & Clerici ſunt tali morbi ac vitio penitus infecti. Vides enim, quod ipſe Papa (qui deberet tanquam verus vicarius uestigia ſequi Iefu Christi) poſſidere & manu armata niritur detinere jurisdictionem in terris, civitatibus & villis, & locis que ſunt naturaliter & a mundi creatio[n]e & Christi ordinatione imperii Romani, juxta illud, quod eſt DEI, reddatur DEO, & quod eſt Cæſaris, Cæſari. Imò ipſe Papa in ipſum Imperatorem nititur superioritatem habere, quod ridiculum eſt dicere, atq; abominabile audire: Nam naturaliter a principio mundi omnes Clerici nedum Laici erant ſub potestate & jurisdictione Imperii: ſed ipſorum Imperatorum dulcedine & benignitate fueſſunt Clerici dimitti ſub potestate Pape, & beneficium hoc tanquam ingratiſciunt male cognoscere. Bene ergo & sancte faceret ipſe Papa ſit ofam temporalem jurisdictionem in manibus Imperatoris remitteret, nec aliter unquam Republica, & maxime Italia quiesceret. Nec ulterius de Papatu tale ſchisma quale fuit & eſt à XXXVI. annis preteritis ullo tempore amplius accideret: Et ex hoc ſtatus universus Clericorum magis redderetur DEO ac populo devotus, & ipſe Papa cum Cardinalibus viveret quietius ac devotius, ac DEO & populo magis acceptus & gratus.*

gratus. Hæc anno M CCCC XIII. Joh. Petrus de Ferrariis admodum audacter & multâ cum *παρηγορίᾳ* in densissimis Papatûs tenebris. Adjecit adhuc alia, sed quæ resecta fuisse ex summaris *ad num. 5.* discere licet. Ipsa etiam, quæ recensui, verba deleri volunt Indices expurgatorii. Quibus quid aliud opponamus, quam quod olim adversus gentes scripsit Arnobius lib. 3. Intercipere scripta & publicatam velle submergere lectionem, non est deos defendere, sed veritatis testificationem timere.

C A P . VII .

De Patriarchâ Constantinopolitano.

I.

Byzantium olim tam opportuno loco condita erat, ut propter amplissimos finis maris, qui hic confluunt, & propter maxima flumina, quæ in eos ex remotissimis partibus Europæ, Asiae & Africæ se effundunt, una omnium crederetur, ex quâ & in quam totius Orbis mercatus commodissimè institui posset. Ferunt, Apollinem à Byse Megarensum clas- sis præfecto consultum de loco condendæ Urbis respondisse, ut quereret terram cœcorum terris adversam: Bysemque observata Bosphori Thraci- ci opportunitate ambiguum Oraculi consilium interpretatum de Chalcedonensibus, qui veluti oculis capti, Europæ litoris situm & commoditates longè maximas non vidissent. Itaque Urbem Byzantium hic statuisse ex adverso Chalcedonis, & de suo nomine appellasse. Sed ut est omnium rerum vicisitudo, ita hujus quoq; Urbis variam licet observare fortunam. Spartanis primum paruit, postea Atheniensibus. Mox libera esse cœpit, quæ tamen libertas deinde adempta iterum fuit à Vespasiano Romanorum Imperatore, qui eam in provinciæ formam rededit. Cumq; ea deinceps Pescennii Nigri, qui à Syriaco exercitu Imperator factus fuerat, partes se- queretur, à Septimio Severo expugnata, diruta, in formam vici redacta atq; Perinthiis adjudicata fuit. Ab ejus filio Antonio Caracalla restituta ei fue- runt sua jura, & ipsa Antonia dicta. Sed denuò à Gallieno Imperatore vastata fuit, omnesq; ejus incolæ, militesq; interfecti, sed ab eodem mox instaurata, quod Barbarorum ab eâ parte in solum Romanum incursus me- tueretur.

II. Hæc fuerant Urbis istius fata, cùm Constantinus Imperator de transferendo in eam imperio cogitaret. Quæ eum causæ impulerint, ut hoc faceret, scire nunc nihil refert. Franciscus Balduinus lib. 2. de legib. Constant. M. consilium istud pietati ejus adscribit. Roma, inquit, que trecentis jam annis Christianorum sanguine madens Ecclesiam pessundederat, & quot-

quot Principes aluerat, totidem infestissimos hostes pietatis in eam veluti armata, eademq; prope omnes rabie imbuerat: deniq; domus domicilium atq; officina erat omnis idolatriæ, indigna profecto erat, quæ novum hunc & pietatis assertorem & Ecclesiæ defensorem atq; patronum teneret, quem vel hospitem vel inquitinum domesticâ illa suâ fortasse disciplinâ, (qui loci illius genius fuit) corrupisset & alumnū degeneri quadam educatione pravāq; institutione ad eandem vel lèvitiam vel impietatem flexisset. Hæc Balduinus oratorio magis stylo, quam vere. Videtur Constantinus amœnitate loci allectus sedem suam illic posuisse, & neglexisse hinc occidentalem partem sui imperii. Et in hoc ab eo commissum plerique omnes notant Politici. Quicquid sit ex historiarum monumentis constat, totum fuisse Constantimum in ornandâ eâ Urbe sedi suæ noviter destinatâ, eamque deinceps Urbis æternæ, Regiæ, novæ & secundæ Romæ superbis titulis insignivisse, plerumq; autem ab ipso Conditore Constantinopoleos nomine venisse.

III. Eo tempore Episcopus Byzantinus ne metropolitanus quidem erat, sed Heracleensis Metropolitanus suffraganeus. Thracica enim diœcesis sex habebat provincias, Europam, Thraciam, Hæmimontum, Rhodopen, Moesiam secundam & Scythiam. Europæ metropolis erat Heraclea, & hujus Episcopus, quod primæ provinciæ metropolitanus esset, exarchus diœceœos Thracicæ dicebatur. Constantinus autem, postquam ex Byzantio Constantinopolin fecisset, ut ejus dignitatem eo magis stabiliret, dubium non est, etiam Episcopo illius Urbis majorem dignitatem contulisse. Episcopus tūm fuit Metrophanes, cui Patriarchæ titulum à Constantino datum scribit Johannes Zonaras tom. 3. annal. Sed videtur id factum non prius, quam post fixam, uti dixi, Constantinopoli sedem Imperii. Concilii enim Nicæni tempore, quod Constantinopolitanæ Urbis erectionem antecedit, Byzantinus Episcopus simplici Episcopi dignitate contentus ne quidem πεισθεῖα τὸ μῆνις habebat, & Heracleensi Metropolitanu subjectus erat. Et ut maximè deinceps Constantinus insigni dignitate Episcopum hujus suæ Urbis ornaverit, noluit tamen Heracleensem Metropolitanam privilegiis suis & jure ordinandi privare. Idque testatum facit Nicephorus Gregoras Hist. Rom. lib. 6. dum ait: *Huic (scil. metropolitanu Heracleæ) ab antiquo jus Constantinopolani eligendi debetur, cum ne magnus quidem Constantius, qui novam Romanam eamq; maximam è Byzantio fecit, veterum Imperatorum privilegia abrogare voluerit; sed potius & diuturni temporis & Severi Imperatoris verecundia adductus confirmarit, à quo lex illa lata est, cum Byzantium multis sudoribus captum, quum ceteris defensionum praesidiis, tūm mœnibus nudavit, & Heracleotis deniq; Thracibus pro pago tractandum donavit.*

IV. In eandem sententiam scribit Theodorus Ballamon ad can. 3. Concilii Constantinop. Ipla quidem Urbs Byzantina Archiepiscopi honorem non

U babe-

habebat, sed ab Heracleæ metropolitano Episcopus aliquando in ipsâ ordinabatur. Scribitur enim, quod etiam si esset Byzantium civitas, que per se regeretur, à Se- vero tamen Romanorum Imperatore obsessa est, & Perinthiis subiecta. Est au- tem Perinthus Heraclea. --- Quod autem bodie ordinetur sanctissimus pro tem- pore Patriarcha Constantinopolitanus, ab eo, qui est pro tempore Heracleæ metro- politanus, non est aliunde, quam ex eo, quod subiecta fuerit Perinthiis sive Hera- cleanis Byzantina civitas. Et nota, unde Heracleæ Episcopus Patriarcham Con- stantinopolitanum Ordinandi jus habuerit. Et Johannes Zonaras ibid. Erat urbs antiqua Byzantium, que suis legibus usus est. Severo autem Romanorum Im- peratore per Romanos obsessa est bellum per triennium passa, tandem civibus in ea rerum necessiarum inopâ laborantibus, capta est, & mœnia quidem ejus solo æquata, juraq. civilia ablata, & ipsa Perinthiis subiecta fuit. Est vero Perinthus, que alio nomine Heraclea: atq. hinc Heracleensi Antistiti Patriarchæ ordinatio attribuitur, ut per quem Episcopo Byzantino manus sunt impositæ.

V. Videtur adeò Episcopus Constantinopolitanus à Constantino hoc tantum obtinuisse, ut majore deinceps honore ab reliquis in Oriente Episcopis afficeretur. Sed loco tum ei nondum cesserunt Alexandrinus & Antiochenus Episcopi. Anno autem CCC LXXXI. habitum fuit Con- stantinopolis secundum Concilium Oecumenicum, in quo can. 3. decretum factum fuit his verbis: *Constantinopolitanus Episcopus habeat prioris honoris partes post Romanum Episcopum, eò quod sit ipsa nova Roma.* Additur hic ra- tio constitutionis & novæ prærogativæ, *diā n̄ evaç d̄m̄ v̄eaç p̄aµn̄.* Eò quod sit ipsa nova Roma. Quæ causa Concilii Nicæni tempore non- dum extabat. Si extisset, procul dubio Constantinopolitanus Episcopus jam eo tempore cæteris primariis Episcopis adnumeratus fuisset. Ergo nunc demum, postquam Constantinopolis Urbs præ cæteris eminere cœ- pit, eodem jure Episcopum illa suum altiore loco constituit, quo Romæ Ale- xandriæ & Antiochiæ splendor & amplitudo illarum Urbium Episcopos olim præ cæteris conspicuos reddidit. Et porrò sicut Roma vetus propter sedem Imperii Episcopum suum tantis privilegiis & præminentius orna- vit, ita par fuit, ut nova Roma, postquam & ipsa sedem Imperii accepit, similiter Episcopum haberet Episcopo Romano in omnibus privilegiis & prærogativis, solo ordine excepto, æqualem, quandoquidem, ut loquitur Sozomenus lib. 7. c. 9. iura omnia & privilegia æqualia seniori Romæ pos- fidebat.

VI. Promulgato hoc synodalî decreto, Constantinopolitanus Epis- copus locum sibi assignatum illico occupavit. Atque hinc eodem illo an- no Theodosius Magnus Nectarium Episcopum Constantinopolitanum Alexandrino & Antiocheno Patriarchis prætulit, l. 3. C. Theod. de fid. Ca- thol. Idem ordo etiam observatus fuit in synodo Constantinopolitanâ, habitâ anno CCC XCIV. in causâ Agapii & Bagadii episcopatum Bostræ fibi

sibi vindicantium, cuius fragmentum invenitur in commentariis Zonaræ. Ibi hæc leguntur verba: *Sedentibus sanctissimis Episcopis, Nectario Constantinopolitano, Theophilo Alexandrino, Flaviano Antiocheno, Helladio Cesareo, Cappadociae Eccl. ingredientibus etiam Bagadio & Agapio Nectarius Episcopus CP. dixit: sancta hæc synodo per DEI gratiam rursus in hoc sancto loco congregata Eccl. Et ne quis eâ de re dubitet, in ipso Synodi Chalcedonensis initio, antequam quicquam de novâ auctoritate Constantinopolitano Episcopo conferenda in disquisitionem veniret, actione statim primâ, cum acta Ephesini conciliabuli sub Dioscori Alexandriae Episcopi directione habitâ relegentur, & observaretur, post Juvenalem Hierosolymarum, & Dominum Antiochenum, Flavianum Constantinopolitanum demum locatum recenseri, Orientales Episcopi clamaverunt: Flavianus in proprio loco, quare non sedet: Constantinopolitanum Episcopum quare quintum posuerunt. Paschasius reverendissimus Episcopus dixit: Ecce nos, DEO volente, dominum Anatolium primum habemus. Hi quintum posuerunt beatum Flavianum. Diogenes reverendissimus Episcopus Cyzici Ecclesiae dixit: Quoniam vos regulas scitis. Nihil dici posset ad praxin Canonis Constantinopolitani aptius. Orientales Episcopi, quibus non ingrata esse debuisset Antiochenæ Ecclesiæ dignitas, conqueruntur & vociferantur, indignè postponi Flavianum Constantinopolitanum. Paschasius Legatus Episcopi Romani justam hanc querelam comprobans honestiori nunc loco haberi Anatolium refert, & Diogenes Cyzici canonice id fieri judicat, non refragante Paschasi. Ut adeò certum sit, Constantinopolitanos Episcopos jus istud ~~ωρεδεῖας~~ in Concilio Constantinopolitano acquisitum plenè deinceps exercuisse, etsi in Ephesinâ illâ, quam dixi, Synodo, sive sponte loco cesserit Flavianus, sive ex proterviâ reliquorum posthabitus fuerit.*

VII. Probè tamen observandum, per dictum decretum Constantinopolitanum solam honoris prærogativam, sive ~~ωρεδεῖας~~ Episcopo Constantinopolitano datam fuisse, nullam verò insuper potestatem vel patriarchicam vel metropoliticam. Sic enim se habent verba canonis: Τὸν μὲν τῷ Κωνσταντίνῳ λέων Πτίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τὸ πμῆς μὲν τὸ ρώμης Πτίσκοπον. Coniunctim dicitur, τὰ πρεσβεῖα τὸ πμῆς ei collata fuisse, hoc est, ut Dionysius Exiguus vertit, *primum honoris*, non τὰ πρεσβεῖα simpliciter, quæ & πρεσβεῖα τὸ ἔγοις dicuntur, quod potestatem contineant ordinandi sive conservandi alios. Multum namq; differebant τὰ πρεσβεῖα simpliciter & τὰ πρεσβεῖα τὸ πμῆς. Metropolitani, qui πρεσβεῖα τὸ πμῆς habebant, honorarii tantum erant metropolitæ, nec Episcoporum ordinationes ad eos spectabant, sed ad veros metropolitas, qui τὰ πρεσβεῖα simpliciter, h. e. vera jura metropolitana habebant. Eodem modo Patres Nicæni can. 7. Hierosolymorum Episcopo ~~αιωλεύθιαν~~ τὸ πμῆς tribuerunt,

salvâ metropolis, h. e. Cæfareæ Palæstinæ dignitate. Canone antecedente 6. εξοικεῖα salvam esse volunt Alexandrino, & τὰ πεντεσέντα integra Antiocheno Episcopis, manifesto indicio, εξοικεῖα & τὰ πεντεσέντα simpliciter dicta, distincta esse ab ἀρχιεπίσκοπῳ τῷ πατρὶ. Quâratione sèpè nomen Episcopi alicui relinquitur sine re ac potestate, quale exemplum in Meletio ex eodem Concilio Nicæno nobis sistit Theodoreetus lib. 1. cap. 9.

VIII. Constantinopolitana igitur Synodus τὰ πεντεσέντα τῷ πατρὶ duntaxat & honorem primatus Episcopo Constantinopolitano decreverat, ut post Romanum scil. primas teneret, nihil autem de ordinatione metropolitanorum eidem sedi attribuendâ constituerat. Nec poterat sanè aliter salvo decreto suo, quod in canone præcedente habetur. Sita namque erat Constantinopolis in faucibus Europeæ & Afriæ, sed in diœcesi tamen Thraciæ, cuius ut & Asianæ & Ponticæ administrationem, provinciarum Synodis *canone 2.* commiserat. Nihil ergò restabat, quod singulari alicui in dictâ diœcesi Episcopo præ ceteris assignari poterat, præterquam nuda honoris prærogativa, quam proinde solam Episcopo Constantinopolitano contulerunt Patres congregati. Et hinc patet, quoad jura patriarchica potiores fuisse Constantinopolitano Alexandrinum & Antiochenum, ut maximè ille priorem & honoratiorem locum acceperit. Duæ enim cum sint juris patriarchici partes, η ωραία, quæ in digniore & in honoratiore loco, & η αρχαία, quæ in administratione & εξεργασίᾳ consistit, & plus valeat rei ipsius quam nominis possessio, dubium non est ωραία nudam vix æstimandam esse in comparatione ad αρχαίαν, quæ in χειροτονίᾳ Metropolitanorum atque convocatione & directione Synodorum consistit.

IX. Successit deinde anno CCCCLI, Concilium Calchedonense, ex eius decretis magna autoritas accesit Episcopo Constantinopolitano. Sciendum tamen est, Constantinopolitanos Episcopos post eam honoris prærogativam à secundâ Synodo acceptam, illico usurpare coepisse metropolitanorum ordinationes per Thracicam, Ponticam & Asianam diœceses, & illa πεντεσέντα τῷ πατρὶ ita interpretatos esse, ut per ea datum etiam sibi hoc jus metropolitanorum ordinandorum assererent. Neque tūm quisquam erat, qui contradicere auderet, quod is Regiæ Urbis autoritate, & Imperatorum potentia subniteretur. Imò verò Episcopi illi, cùm adhuc Byzantini essent, videntur jus in alienâ diœcesi Episcopos ordinandi usurpare, si trahendum hūc est exemplum Macedonii, quod in principio cap. 38. lib. 2. *Histor.* refert Socrates, itemq; quod de Eunomio Episcopo Cyzici ab Eudoxio ordinato habetur apud Philostorgium lib. 5. t. 3. Sed ista contigerunt tūm, cùm Ecclesia insigniter afflcta, & Episcoporum inter se collisio penè exitiosa esset.

X. Dum

X. Dum ad Concilium Calchedonense Patres convocabantur, dupli-
ci jam arguento usurpatam hanc suam ~~περιστοιχίαν~~ tuebatur Episcopus
Constantinopolitanus, interpretatione scil. canonis ex Synodo secundâ, &
consuetudine hucusque receptâ. Nec enim aliter Græci acceperunt,
quam ex Concilio Constantinopolitano datum quoq; illi hoc fuisse cum illis
~~πέρισσεις της περιστοιχίας~~. Id clarè patet ex ipsis eorum suffragiis in Calchedo-
nensi Concilio. Actione enim XVI. Cum novus jam hâc de re conditus
esset Canon, ut Episcopus *Constantinopolitanus Asiane, Ponticae & Thracicae*
diocesos metropolitas ordinandi potestatem haberet, istumq; canonem omnes
& singuli harum dioceseon metropolitæ subsignassent, intercederent au-
tem Romanæ sedis Legati, atq; invitatos eos ac per vim coactos subscriptissime
dicerent, illi in medium venire jussi & interrogati unâ voce responderunt,
licenter ac sponte suâ non solum subscriptissime, sed etiam ex consuetudine
quæ jam obtinuerat, & ex sacrorum Canonum sanctionibus jura hæc deberi
Constantinopolitanæ sedi, ut ordinationem omnes ab eâ acciperent. Inter
alios Calogerus Episcopus Claudiopolis Honoriadis dixit: *Secundum sen-
tentiam sanctorum Patrum centum quinquaginta voluntate propriâ, non coactus
subscripti.* Item Seleucus Episcopus Amaliam: *Ante me tres sunt ab hâc sede
ordinati Episcopi, & inveniens hanc consequentiam & ego secutus sunt.* Et
Eleutherius Episcopus Chalcedone: *Sciens, quia & per canonis & per conse-
tudinem præcedentem habet hæc jura Constantinopolitanæ sedes, cum voluntate
subscripti.* Et Petrus Episcopus Gangrorum: *Ante me tres sunt ordinati à
sede Regie civitatis & ego post tantos similiter.* Et Marinianus Episcopus
Synnadorum: *Sicut & priores mei à sede Constantinopolitanæ sanctæ Ecclesiæ
ordinati, & ego quoq; ipse subscripti, quoniam & canones primatum præbent Con-
stantinopolitanæ sanctissimæ sedi.* Non addam plura. Hæc enim jam satis
probant, præter consuetudinem etiam ad canones provocasse dictarum
dioceseon Episcopos, qui tamen non plures sunt, sed unicus ille Concilii
Constantinopolitanæ antea memoratus, quem etiam haud obscurè signifi-
catum voluit Calogerus Episcopus, cuius mentionem feci.

XI. Ex quo simul corruit, quod post mille & ducentos ac ultra annos
primus Cardinalis Baronius ad ann. CCCXXXI. n. 35. 36. & ann. CCCXXCII.
n. 16. excogitavit, canonem hunc esse supposititum, cuius rationes exami-
nat & perfringit Marcus Antonius de Dominis de Rep. Eccles. lib. 4. c. 4.
n. 3. 4. Nec profectò in præsentia Legatorum Pontificis Romani ad eum
provocassent Patres in Concilio Calchedonensi, quippe quod septuaginta
post annos habitum fuit, si commentitum eum scivissent. Sed nec cui-
quam eo tempore in mentem venit, ~~περιστοιχίαν~~ esse istum canonem, nec
authenticum. Ipse Leo Pontifex Romanus in epist. ad Anatolium Episcopum
Constantinopolitanum, que est in ordine 53. non imposturæ aut ~~ροήσεως~~ eum ar-
U 3 guit,

guit, sed hoc præcipue, quod de ejusmodi decreto nulla sibi facta fuit relatio: *Persuasioni tue, inquit, in nullo penitus suffragatur quorundam Episcoporum ante sexaginta, ut jactas, annos facta subscriptio, nunquamq; à prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caducæ, dudumq; collapsæ, sera nunc & inutilia subjecere fulcimenta voluisti eliciendo à fratribus, speciem confessionis, quam tibi in suam injuriam verecundia fatigata præberet.* Quod nulla Romanæ Sedi eâ de re facta fuerit notitia, non propterea autoritate suâ destituitur decretum. Etsi enim de placitis Conciliorum ut plurimum per literas synodicas factam Episcopo Romano relationem non negemus, quin tamen id ex debito factum sit, aut fieri omnino oporteat, nullo argu-mento probari potest. De consensu autem non spontaneo & libero, quod suspicatur Pontifex, vereor, ne perinde id falsum deprehensum fuisset in-stitutâ inquisitione, uti falsum apparuit in Concilio Calchedonensi.

XII. Sed videamus nunc ipsum canonem in Concilio Calchedonensi confectum, quem propterea totum adscribere operæ erit pretium. Is est in ordine vigesimus septimus, in codice Canonum Ecclesiæ universæ ducentesimus sextus, & ita se habet: *Ubiq; sanctorum Patrum definitiones sequentes, & canonem, qui nuper lettus est, centum & quinquaginta DEO amantissi-morum Episcoporum, qui congregati sunt sub pie memorie Imperatore Theodosio Magno in Regiâ civitate Constantiopoli novâ Româ agnoscentes, eadem quoq; & nos definimus & statuimus de privilegiis ejusdem sanctissime Constantinopolitanæ Ecclesiæ novæ Romæ. Etenim sedi senioris Rome, quod Vrbs illa imperaret, Patres jure privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti centum quin-quaginta DEO amantissimi Episcopi æqua privilegia tribuerunt sanctissime sedi nove Romæ, rectè judicantes, Urbem que & imperio & Senatu honorata sit, & equalibus privilegiis cum seniore Regiâ Româ fruatur, etiam in rebus Ecclesiasti-cis, non secus ac illa extolli ac magnisieri, secundam post illam existentem, ut & Pontice & Africane & Thracice dioceses metropolitani soli: præterea & qui sunt in barbarico, Episcopi prædictarum dioceseon ordinentur à prædicto sanctissi-mo throno sanctissime Constantinopolitanæ Ecclesiæ. Nimirum unoquoq; metropo-lita earum ipsarum dioceseon unâ cum Episcopis provincie ordinante provincie Episcopos, ut divinus canonibus promulgatum est. Metropolitas verò earum dioceseon ordinari à Constantinopolitano Archiepiscopo electionibus convenienti-bus secundum morem factis, & ad eum perlatis.*

XIII. Duo in Canone hoc continentur, quibus valde aucta fuit auto-ritas Episcopi Constantinopolitani. Primum versatur in confirmatione juris veteris, jam anteà competentis; alterum in concessione juris novi, nullâ hactenus lege Ecclesiasticâ, sed solâ usurpatione innitentis. Jure ve-teri & exsuperius adducto canone 3. Concilii Constantinopolitani habebat Episcopus ejus urbis τὰ πρεσβῖτα ἢ πυῆς, quæ per hunc canonem denuò confirmantur. Jus novum autem, quod præcipue in hoc canone Chalce-donensi

donensi effulget, est metropolitarum & ipsorum exarchorum Asianæ, Ponticæ & Thracicæ diœceson subjectio. Prius illud, ut dixi, ante hoc concilium decreto Ecclesiastico jam firmatum erat, nec impugnari adeo poterat, quod & legi inniteretur Ecclesiasticæ, & longo usu receptum jam esset. Alterum vero in solâ usurpatione consistebat, ut maxime canonem Constantinopolitanum tam latè explicarent Græci, ut per illum etiam hoc jus Episcopo suo concessum esse contenderent. Chalcedonensi autem hoc canone edito non hoc ultimum tantum, sed prius etiam illud valde impugnavit Leo Episcopus Romanus.

XIV. Quod primum attinet, constat ex actis Concilii, Anatolium, qui tūm temporis Episcopus Constantinopolitanus erat, locum suum antehac sibi assignatum, secundum nempe in ordine, occupasse. Neque id indignè tulerunt Sedis Romanæ Legati Paschasinus & Lucentius, nec putarunt, adeo contradictione opus esse circa illam partem canonis, quā ταὶ περὶ Κωνσταντινούπολις Episcopo nova confirmatione tribuebatur; sed suā protestatione hoc tantum impedire conabantur, ne Metropolitani trium diœceson Episcopo Constantinopolitano subjiceretur. At Leoni Pontifici Romano & hoc & illud dolori & ægritudini fuit. Et locum quidem sive ordinem acerbè perstringit in epistolis ad Marcianum Augulfum, ad Pulcheriam Augustam, ad Maximum Antiochenum & ad ipsum Anatolium. Ad hunc ultimum ita scribit: epist. 53. *Doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsum, ut sacraissimas Nicenorum Canonum constitutiones conareris infringere, tanquam opportune tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesiapro proprietatem tertie dignitate amiserit, Maximum Episcopum Antiochenum epist. 62. hortatur ad defensionem privilegiorum atque dignitatis: Dignum est, inquit, ad agendam fiduciam te privilegia tertie sedis agnoscere, ut in nullo cuiusquam ambitione minuantur. --- Etsi enim diversa nonnunquam sunt merita præsulum, tamen jura permanent sedium: quibus et si possunt emuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem. Post alia ejusmodi plura improbat, si quid diversum à Legatis suis statutum fuerit. Si quid sane, inquit, ab his fratribus, quos ad sanctam synodum vice misi, præter id, quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis &c. Non in hac tantum Epistolâ, sed etiam in aliis, quibus hoc argumentum tractat, & in primis in epist. 61. quæ est ad Episcopos, qui Chalcedone congregati fuerant, semper provocat ad Canones Concilii Nicenæ, ac si illi per hanc Episcopi Constantinopolitanæ prærogativam violati sint. De custodiendis, inquit, sanctorum Patrum statutis, quæ in Synodo Nicenæ in violabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestram Sanctitatis admoneo, ut jura Ecclesiarum, sicut ab illis 318. Patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius im-*

minu-

minutionem suum aliquis querat augmentum. Quantumlibet enim extortis as-
sentationibus sese instruat vanitatis elatio, & appetitus suos conciliorum estimet
nomine roborandos, infirmum atq; irritum erit, quicquid à prædictorum Patrum
canonibus disreparit. Ec:

XV. De Synodo Nicenâ quod obvertit Leo, temere factum videtur.
Non enim definitum est in eo, Alexandrinum Episcopum debere inter pri-
marios Episcopos secundum locum tenere, & Antiochenum tertium; sed hoc
tantum innuitur, primariis illis Episcopis sua privilegia conservari debere, &
illis jungendum deinceps esse Episcopum Hierosolymitanum. can. 6. Statua-
mus verò, definitum id fuisse in Concilio Niceno, num putabimus, ea, quæ
externum ordinem spectant, mutari ab alio Concilio nunquam posse aut de-
bere? Imò verò, quæ externam regiminis formam concernunt, ad libertatem
Christianam referuntur, secus atq; ea, fidei sunt, quæq; doctrinæ Christianæ
capita constituunt. Duo Oecumenica Concilia dum iudicarunt, æquum
esse, hoc suum decretum, dum ipsi illi, quibus per ista περιεῖται τοῦτο
prælatus fuit Constantinopolitanus Antistes, Alexandrinus nempe & Antio-
chenus Episcopi, refragati non fuerunt, sed istam ἀποδέξαντε haud inviti ad-
misserunt, cur solus Leo, cuius honoris nihil omnino deceperat, istam ακολαγ.
Glossa τοῦτο τοῦτο impugnare præsumat. Nihilominus ille utrumq; Concilium
in epist. 55. ad Pulcheriam Augustam, acerbè perstringit, & protervè nimis atq;
arroganter eorum autoritatem deprimit. Superbum, inquit, nimis est, & im-
moderatum, --- ut venerabilium Patrum de cœta solvantur, quorundam Episco-
porum proferre consensum, cui tot annorum series negavit effectum. Nam sexa-
gesimus ferè annus hujus iactantie esse iactatur, quæ se prædictus Episcopus estimat
adjuvari, frustracipiens id sibi prodesse, quod etiam si quisquam ausus est velle, nul-
lus tamen potuit obtinere. --- Confessiones verò Episcoporum, sanctorum Cano-
num apud Nicenam conditorum regulis repugnantes, unitanobiscum vestra fidei pietate,
in irritum mittimus, & per autoritatem beati Petri Apostoli, generali pror-
fus definitione cassamus, --- ita ut et si multo plures aliud, quæmilibet statuere, decer-
nerent, in nullâ reverentia sit habendum, quicquid fuerit à prædictorum constitutio-
ne diversum.

XVI. Nihil tamen hâc suâ protestatione & cassatione profecit Leo,
sed in quinta Synodo Oecumenicâ, quæ sexto seculo Constantinopolis sub
Justiniano habita fuit, Episcopus Constantinopolitanus locum sibi à duobus
Conciliis canonice asignum obtinuit. Justinianus etiam Imperator
Novell. 131. c. 2. περισσεῖον hoc secundi loci denuò confirmavit. Et quam-
quam id factum putet Petrus de Marca *de concord. Sacerd.* & *imp. lib. 3. c. 3.*
n. 5. juxta canones secundæ Synodi, nihil autem de industriâ decrevisse
Justinianum de jure novo collato à canone 28. Concilii Calchedonenis, eò
quod expunctus is eo tempore fuissest à collectione canonum; non tamen
videtur

videtur ea lententia satis conveniens textui. Capite enim primo istius Novellæ confirmat Justinianus decreta quatuor Conciliorum Oecumenicorum, Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini & Calchedonensis. Capite in sequente secundo pergit, & tribuit secundum locum Episcopo Constantinopolitano οὐτε τὸν ὄργανον, secundum earum scilicet Synodorum definitiones; οὐτων ait, in plurali, quod verbum de uno tantum concilio accipi nequit. Utrumq; ergo & Constantinopolitanum & Calchedonense intellectum voluit. Et quod de expunctione refert Marca, tam firmiter probatum ab eo non est, ut assensum lectori extorqueat, uti postea ostendam.

XVII. Idem vero ~~εγιδειας~~ privilegium anno DCXCII, in Concilio quinisepto in Trullo habito can. 36. renovatum est, quo ipso ad superiora duo Concilia, eorumq; autoritatem provocatum fuit. Verba ejus hæc sunt: *Renovantes, quæ à sanctis centum & quinquaginta patribus, qui in hac à DEO conservata & regiâ Urbe, & sexcentis triginta, qui Chalcedone convenere, constituta sunt, decernimus, ut thronus Constantinopolitanus equalia privilegia cum antique Romæ throno obtineat, & in Ecclesiasticis negotijs ut ille, magnificat, ut qui sit secundus post illum. Post quem magna Alexandrinorum civitatis numeretur thronus, deinde Antiochie, & post eum Hierosolymitanæ civitatis.* Canonem hunc Decreto suo inferuit Gratianus sub dist. 22. sed corruptè, uti cap. 5. ostendi. Nihil ergo adhuc tum operata fuit protestatio vel ipsius Leonis vel ejus Legatorum adversus Canonem Chalcedonensem, neque crediderunt Patres in Trullo congregati, concilia robur suum accipere ex approbatione Pontificis Romani, uti quidem hodiè credere jubarur.

XVIII. Transeamus ad secundam canonis Chalcedonensis partem, ius novum continentem, potestatem scil. ordinandi metropolitanos in Asianâ, Ponticâ & Thracicâ dioceesis. Eam, quia consuetudine jam invaluerat, non putarunt Patres Chalcedonenses, adeò & gr̄e laturum Episcopum Romanum. *Indicavimus* verò (ita loquuntur in relatione & epistola Synodali ad eundem) quia & alia quedam pro rerum ipsarum ordinatâ quiete & propter Ecclesiasticorum Statutorum definitivimus firmatatem, scientes, quia & vestra sanctitas addiscens & probatura & confirmatura est eadem. Eam namque consuetudinem, quæ ex longo jam tempore permanxit, quam babuit Constantinopolitanorum sancta DEI Ecclesia, ad ordinandum metropolitanos provinciarum, tam Asianæ, quam Ponticæ, vel Thraciæ, & nunc Synodali decreto non tantum firmavimus, sed aliquid Constantinopolitanæ præstantes, quantum metropolitanis Urbibus ad quietem congruere visum est, eò quod frequenter Episcopis vitam fientibus, multæ turbæ nascuntur, absq; Rectore clericis ac populis remanentibus, qui per easdem sunt civitates, & Ecclesiasticum confundentes ordinem, quod nec vestrum latuit sanctitatem, quam maxime proprie Ephefios, unde quidam vobis

sæpius importuni fuerunt. Confirmavimus autem & centum quinquaginta sanctorum patrum, qui Constantinopoli congregati sunt, regulam, sub pia memorie maiore Theodosio, quæ precepit, post vestram sanctissimam & Apostolicam sedem, honorem habere Constantinopolitanam, quæ secunda est ordinata, confidentes, quia lucente apud vos Apostolico radio, & usq; ad Constantinopolitanorum Ecclesiam Consuetè gubernando illum spargentes, hunc sæpius expanditis, eò quod absque invidiâ conservaveritis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos. Quæ igitur definivimus, ad interemptionem quidem totius confusionis, confirmationem verò ecclesiasticæ ordinationis definivimus. Hæc sicut propria & amica & ad decorum convenientissima dignare complecti sanctissime & beatissime Pater &c.

XIX. Ut invidiam ejus declinent, blandioribus eum verbis proleuantur, quam tantos Viros in Concilio congregatos decet, rationem decreti sui reddentes, tūm in epistolâ præcitatâ, tum in ipso suo decreto; in epistolâ quidem τὴν περιδιάσας ab autoritate Concilii Constantinopolitani, & τὴν περιστοῖς à consuetudine hactenus receptâ repetentes, tūm & tranquillitatis Ecclesiasticæ curam causantes. At in canone five-decreto ipso æquum putarunt, ut urbs, quæ & imperio & Senatu honorata esset, æqualibus privilegiis cum seniore regiâ Româ frueretur. Hanc rationem ridet Cardinalis Baronius ad ann. CCCCL. n. 153, nec sufficien-tem aut satis prægnantem esse existimat. Si non aliunde, inquit, canon suffulcit, quam ex redditâ ratione, nullâ ex parte subsidente, ipsum necesse est penitus evanescere. Ubinam gentium quæso prærogativa sedium ex pulchritudine vel amplitudine, vel dignitate civitatum à majoribus reperitur esse sancita & non potius ex Apostolorum successione? Hæc ut diceret, studio partium videtur esse adductus. Supra ostendi, & quis nescit, complures fuisse Apostolicas sedes, quibus nunquam ad illam eminentiam pervenire contigit, qualem habuerunt Romana, Alexandrina & Antiochena. Pervenissent autem, si ex successione Apostolorum prærogativa orta fuisse. Quod cum factum non sit, necesse est, aliam subesse causam, quæ alias Apostolicas sedes ad istud honoris fastigium evexit. Et eam esse amplitudinem & celebritatem urbium, supra expolii, & præter hanc qualitatem alicubi etiam imperium. Alexandria namque & Antiochia cum novâ Româ componi poterant quoad splendorem & amplitudinem. At unum illis deerat, η βασιλεύειν. Hinc factum ut Constantinopitana sedes Alexandrinæ & Antiochenæ non tantum associaretur, sed etiam illis præferretur.

XX. Ut de autoritate canonis Calchedonensis exactius constet, præstat ex ipsâ ejus Concilii historiâ nonnulla hic recensere. Altero die, quo confectus & subscriptus erat hic canon, conquesti sunt Episcopi Romani Legati, absentibus tūm se, tum judicibus cognitoribus quædam gesta fuisse canonibus Ecclesiasticis & disciplinæ veteri adversa, petieruntq; ut de illis cognitio institueretur. Cùm faciles in eam rem essent judices,

respon-

respondit Aëtius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archidiaconus, rogatos fuisse Episcopos Romanos, rebus agendis ut interesse vellent, sed eos id recusasse, quo judicibus relato permisum ab iis fuisse, ut præsentes, quid ère luâ esset, dispicerent: Sic igitur ab Episcopis, qui in loco mansissent, canonem conditum non clâm aut furtim, sed canonice & legitimè. Cum deinceps ex mandato judicum Beronianus Secretarius canonem, de quo lis erat, & nomina eorum, qui subscriperant, clarâ voce legisset, Lucen-tius unus ex Legatis Romanis circumventos Episcopos & ad subscriptio-nem coactos, tûm & totum istum canonem Nicænis canonibus adversum, decretum autem Constantinopolitanum nunquam inter Synodicos cano-nes relatum, confidenter afferuit. Urgente verò Aëtio, ut Romani pro-ducerent mandatum, si quod de hoc capite à suo Episcopo haberent, reci-tatum est illud hoc tenore: *Sanctorum quoque Patrum constitutionem prolatam nullâ patiamini temeritate violari, servantes omnimodis persone nostræ in vobis, quos vice nostrâ transmisimus, dignitatem: Ac si qui forte civitatum suarum splendore confisi aliquid sibi tentaverint usurpare, hoc qua dignum est constantia retundatis. Quæ verba secularis potius alicujus Principis instructionem re-præsentant, quam Episcopi bonum Ecclesiæ intendentis.*

XXL Lectis deinceps tûm Nicænis tûm Constantinopolitanis ad rem præsentem facientibus Canonibus, Asianæ & Ponticæ diœcseos Epi-scopi, qui subscriperant, interrogati sunt, sponte an coacte subscriptiissent. Qui cum respondissent viritim omnes, nullum hic metum intercessisse, sed sponte & ultrò consensisse in id decretum, & respectum habuisse tûm ad Concilium Constantinopolitanum, tûm ad consuetudinem receptam, eti-am reliqui, qui non subscriperant, quid sibi videretur, proloqui jussi sunt. Tûm verò Eusebius Episcopus Ancyrae Galatia, quid sibi cum Proclo Epi-scopo Constantinopolitano contigerit, prolixè recenset, seque cessisse qui-dem jure suo, non usque tamen adeò volentem perhibet. Ei verò cùm se opponerent tûm Philippus presbyter Constantinopolitanus, tûm ipse eti-am Anatolius Episcopus, intercessit Thalassius Episcopus Cæsareæ Cappa-dociæ, & liti finem fecit, dicendo: *Pergimus ad Dominum Archiepiscopum Anatolium & ordinamus illud.* Quo ipso complacere sibi canonem Chalce-donensem testatur. Quæ reliquorum, qui non subscriperunt, fuerit re-sponsio, in actis non est confignatum. Verisimile est vel consensisse expre-sse cum Thalassio in eandem sententiam, vel Thalassii suffragium, quod Pon-ticæ diœcseos exarchus esset, atq; de ejus præjudicio hic maximè agere-tur, tanti æstimatum fuisse à judicibus, ut ulteriori examine nonopus esset.

XXII. Hac disquisitione peractâ decernunt judices, primatum qui dem & honorem præcipuum secundum canones veteris Romæ Episcopo conservari debere. Oportere autem iisdem honoris privilegiis frui etiam Episcopum Constantinopolitanum; utque ille potestatem habeat ordi-

nandi metropolitas in Asianâ & Ponticâ & Thracicâ diœcesibus, ita, ut, postquam de electione à provincialibus Episcopis & aliis, ad quos ea res spectet, canonice celebratâ per relationem certior factus fuerit, liberum ei maneat, utrum electum ad se Constantinopolin vocare, & ibi ordinare, aut vero permittere velit, ut mandato suo in provinciâ in possessionem Episcopatus mittere eum liceat. *Hec à nobis inspecta sunt*, concludunt judices, quæ autem videntur, sanctum & universale Concilium docere dignetur. Et tûm responderunt Episcopi: *Hec justa sententia, hæc omnes dicimus, hæc omnibus placent, hæc omnes dicimus, hoc justum decretum.* Quæ constituta sunt, valeant. *Hec justa sententia.* Omnia ordinatè decreta sunt. Et hâc ratione suam autoritatem plenè accepit canon conceptus & prælectus, ut maximè protestationem mox suam interposuerint Legati Sedis Romanæ.

XXIII. Nec alia fuit Concilii intentio, aut canonis hujus scopus, nisi ut Synodali decreto confirmaretur consuetudo hactenus recepta, quod quidem potestatem ordinandi metropolitanos dictarum diœceseon attinet. Primum enim honoris jam ante adeptus fuerat Episcopus Constantinopolitanus, & ille quidem similiter hîc eodem contextu confirmatur, sed ita ut autoritas ejus ex decreto Synodi anterioris repetatur. Quocirca facilis est responsio ad instantiam Romanorum, quam proponebant: *Dicunt, (Episcopi εἰς ἐναρτίας) ante octoginta propè annos constituta hæc fuisse. Si ergo his temporibus hoc beneficio usi sunt, quid nunc requirunt? Si nunquam usi sunt, quare requirunt?* Quasi vero non liceat id, quod in usu publico & consuetudine receptum est, petere, ut lege confirmetur. Quot enim sunt leges & constitutiones in jure nostro, quæ consuetudines usu receptas confirmant? Imò sunt inter Doctores, qui tales confirmationem necessariam esse putant, quos vid. apud Venturam de Valentiis in *Parthen. litig. lib. 2. c. 11. n. 13.* Nec sanè opus fuisset τῶν πετεῖων τὸ πηῆς confirmatione novâ, quippe jam antea ex concilio Constantinopolano competentium, nisi ea male habuissent Episcopos Romanos huic αὐτοδέξιας privilegio maximè infestos, & nisi in Conciliabulo Ephesino biennio abhinc anno CCCCXLIX. celebrato Episcopus Constantinopolitanus, uti supra dixi, postpositus fuisset.

XXIV. Præsul illustrissimus & juris Canonici scientissimus Petrus de Marca in *dissertat. de Constantinop. patriarchatū instit.* hoc maximè reprehendit, quod canon Chalcedonensis a ducentis tantum Episcopis h. e. à minore parte concilii, cum sexcenti & amplius suffragium ferre debuissent, subscriptus fuerit; deinde quod factum id fuerit absente Thalasio Cæsareo in Cappadociâ Episcopo Ponticæ diœceseos Exarcho; tandem quod contigerit istud vacante non Alexandrinâ tantum sede, sed etiam Ephesinâ, totius Asianæ diœceseos metropoli. Verum quod primum concernit, facile diluitur ex eo, quod dixi, post examen à judicibus institutum & sententiam

tiam suam expositam, requisitum fuisse totum sanctum & universale Concilium, ut docerent, quid sibi videretur, & tum approbasse omnes judicum sententiam, ut adeo non tam ex subscriptione pridiē factā, quam ex approbatione postridie accedente canon robur suum acceperit. Nec majoris momenti esse potest ablentia Thalassii, quandoquidem is ipse deinceps, cū examen instituebatur, præfens fuit, suoque suffragio & litem inter Anatolium & Eusebium Episcopos, ut supra recensui, composuit, & canonem ipsum approbavit. Alexandrinæ autem Sedis nihil interfuisse agnoscit ipse Marca, quod jam à sexaginta annis eo gradu perturbata fuisset à Constantinopolitanā Synodo, isq; sedīum ordo per Orientis præfecturam in rem judicatam transiisset. Utrum verò vacaverit tum Sedes Ephesina, mihi equidem non constat, & contrarium potius appetet ex subscriptionibus, quæ reperiuntur in actione sextā hujus Concilii, ubi post Thalassium subscriptis Stephanus Episcopus Ephesi.

XXV. Quod verò deinceps Basiliscus Tyrannus per sanctionem suam encyclicam, ut vocavit, synodum Chalcedonensem, ut cædium, seditiū & omnium malorum fontem damnavit, id ejus autoritati nihil omnino detrahit, tum quod Basiliscus ille apertus fuit persecutor Ecclesiæ, & Eutychianorum hæresin strenue promovit, tum verò quia paulo post edictum plane contrarium promulgavit, & prius illud prorsus antiquavit atq; restituit, Acacio etiam Episcopo Constantinopolitano quicquid ablatum fuerat restituit. Vid. Baronius ad ann. 476. n. 63. Sed & Zeno Imperator ex Italiā redux & Imperium repetens rescidit omnia, quæ à Basilisco per Concilii Chalcedonensis damnationem decreta fuerant. Constitutio extat in l. 16. C. de SS. Eccles. & digna est, quæ adscribatur tota. *Decernimus, ut antiquatis ac infirmatis funditus bis, quæ contra ipsum orthodoxæ religionis DEUM quodammodo facta sunt, in integrum restituantur universa, & ad suum ordinem revocentur, quæ ante profecitionem nostræ mansuetudinis de orthodoxæ religionis fide, & sanctissimarum Ecclesiarum & martyriorum statu firmiter obtinebant: bis quæ contra hæc tempore tyrannidæ innovata sunt tam contra venerabiles Ecclesiæ, quarum sacerdotium gerit beatissimus ac religiosissimus episcopus patriarcha nostræ pietatis pater Acacius, quam contra ceteras, quæ per diversas provincias collocate sunt, nec non & reverendissimos earum antistites, seu de jure sacerdotium creationum, seu de expulsione cuiusquam Episcopi à quolibet bis temporibus facta, seu de prærogativa in Episcorum Concilio vel extra concilium ante alios residendi, vel de privilegio metropolitano vel patriarchico sub iisdem impiis temporibus, penitus antiquandis, ut cassatis & rescissis, quæ per bujusmodi sceleratas iussiones aut pragmaticas sanctiones aut constitutiones impias sive formas subsecuta sunt, quæ à divæ recordationis retrò principibus ante nostrum imperium & deinceps à nostrâ mansuetudine indulta vel constituta sunt supersantis Ecclesiæ & martyriis & religiosis episcopis & clericis aut monachis inviolata serventur. Sacra-*

X 3 sanctam

sanc*tum quoq; bujus religiosissime civitatis eccl: iam & matrem nostrae pietatis & Christianorum orthodoxae religionis omnium & ejusdem regie Urbis sanctissimam sedem privilegia & honores omnes super episcoporum creationibus & jure ante alios residendi, & cetera omnia, quae antea nostrum imperium vel nobis imperantibus habuiss^e dignoscitur, habere in perpetuum firmiter regiae Urbis intitu*m* judicamus & sancimus.*

XXVI. Ex his ultimis verbis demonstrasse se putat Petrus de Marca de concord. sacerd. & imp. lib. 3. c. 3. n. 5. Zenonem Imperatorem in restitu*tione horum privilegiorum ad usum, qui jam invaluerat, non autem ad canones aliquos ea retulisse. Utq; hoc probet, colligit ex epistola Leonis ad Anatolium 71. expunctum fuisse ab ipsis Græcis canonem Chalcedonensem, atq; sic concordiam inter Leonem & Anatolium redintegratum. Verba epistolæ hæc sunt: Illam autem culpam, quam de augendâ potestate alienâ, ut afferis, abortione contraxeras, efficacius atq; sincerius tua charitas diluisset, si quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sola clericorum consilia transculisses: quia sicut in malâ sⁱvatione delinquitur, ita & in malâ consensione peccatur. Sed gratum mihi frater charissime est, quod dilectio tua profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratie communis regressam professio dilectionis tue, attestatio Principis Christiani. Nec videtur tarda corre*ctio*, cui tam venerabilis assertor acce*pit*. Ab*jiciatur penitus inconcessi juris, qui dissensionem fecerat appetitus. Sufficiant limites, quos sanctorum patrum providentissima decreta posuerunt &c.* Putat verò Marca, rejectum quidem & expunctum hanc ratione fuisse canonem 28. Concilii Chalcedonensis, sed Anatolium non depositum dignitatem secundæ sedis vel administrationem trium diœceseon, eamque nihilominus retinuisse. Et ad hunc usum atq; consuetudinem etiam Zenonem Imperatorem respxisse.*

XXVII. Verum enim verò, ut ingeniosè hæc excogitata sunt, & diuinum mentis acumen produnt, ita vereor ego, ne in nudis conjecturis subsistant, & contrarias alias admittant. Si enim retinuit Anatolius administrationem trium diœceseon, haudquam satisfactum fuit Leoni, qui eam prorsus abjectam & repudiata voluit, quiue solos limites à Concilio Nicæno præscriptos observari debere contendit. Ab*jiciatur, inquit, penitus inconcessi juris, qui dissensionem fecerat, appetitus. Nec minus habuiss^e dicitur privilegia ille, qui ex lege aut canone, quam qui ex usu & consuetudine ea habuit, ut adeo ex verbis Zenonis de expunctione canonis nihil omnino colligi possit. Imò verò, si hæc fuisse intentio Zenonis, ut Romanum Pontificem sibi propitium retineret, debuisset ille prorsus hanc suā *voluntas* abstinere, neque lege publicâ *wegschein* Episcopi Constantiopolitani confirmare. Non minus enim & fortalsè haud paulo magis leges, quam canones, in rebus sibi adversis, formidat & adversatur Pontifex Romanus. Nec potuit verò, quod ex tot hominum suffragiis in publico con-*

ventu

ventu decretum fuit, ab uno aliquo, etiam si ejus maximē interficit, revocari, aut deleri & expungi. Ex verbis Leonis autem hoc tantum colligitur, Anatolium ei scriptissime, inductum se aliorum hortatu potestatem illam sibi concessam affectasse, sibi nunc istud consilium displicere, & nunc factum nolle. Solius enim pœnitentiæ verbis declaratae meminit Leo, haudquam facti alicuius, ex quo expunctio canonis colligi posset. Seria vero an fuerit ista pœnitentia, an in speciem simulata, aliorum esto judicium. Sed neq; ex eo, quod in Dionyssi Exigui & aliorum collectionibus, canon iste non inveniatur, colligi potest, à Græcis ipsis expunctum eum fuisse. Prout enim apud editores propensio animorum se habuit, ita vel insertus fuit canon, vel omissus. Autoritas vero publica, nisi à Basilisco Tyranno, nunquam accessit expunctioni.

XXVIII. Hac ratione sibi subjecit Episcopus Constantinopolitanus tres illos sæpe dictarum diœceseon exarchos, antea ἀντιφαλοι erant, & suæ quisque diœceseos primates. Supra dixi, cum de patriarchis in generale agerem, quo significatu illi exarchi diœceseon dicti fuerint, non scil. quod totam regerent diœcesin, aut totius diœcesis, cuius exarchi vocabantur, metropolis sub se haberent, sed quod inter metropolitas universæ diœcessis principem locum obtinerent, & primi præcipue essent metropolitæ. Habebat tamen unusquisque eorum unam tantum ac singularem in totâ diœcesi provinciam, quam jure metropolitano administrabat. Falluntur autem, qui putant, exarchi diœceseos e. g. Asianæ ea olim jura fuisse, ut omnes metropolitanos in eâ diœcesi, cuius ipse exarchus dicebatur, constitutos ordinaret, eosque sibi subditos haberet. Siquidem omnes, quotquot fuere in Asianâ, vel Ponticâ vel Thracicâ diœcesi, metropolitæ paria jura h. e. metropolitanâ in suis Episcopis ordinandis paremque potestatem habuerunt, nec ab aliis ordinati fuerunt ipsimet, quam à comprovincialibus Episcopis, ita ut totum arbitrium Ecclesiasticum penderet à synodis cujusque provincialiæ aut diœceseos. Atque id, nisi fallor, clarè patet ex can. 2. Synodi Constantinop. ubi non uni exarcho tribuitur Alexandrino & Antiocheno Episcopis, sed pluribus. Κὶ ταῦτα οἱ Ασιανοὶ διοικήστως Πτιοκόπεια τὰ κατὰ τὴν Ασιανὴν μέρον οἰνονομαῖν. Et Asianæ diœceseos Episcopi Asianam diœcesin tantum gubernent. Plures igitur Episcopi Asianam diœcesin pari jure & æqua potestate administrabant, nec penes unum exarchum totius diœcelis regendæ summa fuit. Ita & de Thracicâ & Ponticâ, quibus singulis diœcessibus gubernandis non unum sed plures Episcopos & exarchos assignat. Atque hinc certum est, exarchos illos non alia habuisse διμαια πατεριαρχικά, nisi quod nulli superiori subjecti essent.

XXIX. Hæc istarum trium diœceseon Oeconomia stimulos & quasi faces quasdam admovit in animis Episcoporum Constantinopolitanorum, ut provincias istas invadendi sibi, subjiciendi quærerent occasionem, atque sic

Sic etiam in jure patriarchico pares fuerent Episcopis Romanis. Ante hac enim nec metropolitani quidem illi erant, sed simplices Episcopi suffraganei Episcopo Heracleæ subjecti. Cum autem propter Imperialem civitatem & novam Romam ipsorum dignitas quotidie incrementa majora caperet, atq; vicini in Asiâ, Ponticâ & Thraciâ dicecibus Episcopi eorum benevolentiam vili adulatione captarent, ita ut vocarentur sàpè & rogarentur sub specie cōcēndi ambitus & sēditionum compescendarum, ut ordinantes ficerent Episcoporum noviter electorum, cōperunt illi, quod rogati hactenus suscepserant, in apertum jus vertere, ac si non modò liceret, sed etiam oporteret, nec solum oporteret, sed planè necesse esset, non nisi à suâ manu consecrationes accipere. Sic igitur factum, ut non exarchi tantum ipsi, sed etiam cæteri dictarum trium diœceseon metropolitæ ab Archiepiscopo Constantinopolitano ordinarentur, idq; jus, cum ante Chalcedonensem Synodum ex solâ consuetudine ac usurpatione haberet, hujus synodi decretis plenè confirmatum fuit.

XXX. Hæc tamen potestas ordinandi in tribus istis diœcesibus ad solos exarchos & metropolitanos restricta fuit. Simplicium enim Episcoporum ordinationibus immiscere se minimè licebat Episcopo Constantinopolitano, sed pleno jure eas expediebant metropolitæ, sub quibus erant. Disertè id constitutum in d. c. 28. Concil. Chalcedon. Ut Pontica & Asiana & Thracice diœceseos metropolitanisoli, præterea & qui sunt in barbarico, Episcopi predicatorum diœceseon ordinentur à prædicto sanctissimo throno sanctissime Constantinopolitane Ecclesie. Nimurum unoquoq; metropolitâ earum ipsorum diœceseon unâ cùm Episcopis provinciæ ordinante provinciæ Episcopos, ut divinis canonibus promulgatum est. Metropolitas verò earum diœceseon ordinari à Constantinopolitano Archiepiscopo electionibus convenientibus secundum morem factis & ad eum perlatis. Poterant igitur dictarum provinciarum metropolitæ civitatum sibi subjectarum episcopos proprio jure & auctoritate ordinare, inconsulto Patriarchâ Constantinopolitano, uti post exquisita suffragia canonem in eodem concilio a. 16 declarant judices cognitores.

XXXI. Ne verò quid non haberet Episcopus Constantinopolitanus, quod juris patriarchici partem faceret eadem ratione, quâ ordinationes metropolitanorum sibi vindicavit, etiam in synodis habendis suam cœpit exercere autoritatem. Incuriosa erant ejus potestatis initia, & incidenter quasi nata. Episcopi namque ex toto terrarum Orbis sàpè magno numero Constantinopolin confluebant, aulam fatigaturi, & tum Ecclesiæ suæ, tum privatas res suas acturi. Nemo tum erat inter eos, qui non Episcopum quoq; ejus Urbis inviseret, & consilium ejus aut opem etiam pro re nata expeteret. Accidit verò, ut si negotia proposita gravioris momenti essent, & accuratiorem disquisitionem exposcerent, ille reliquos etiam in Urbe tum commorantes Episcopos in consilium adhiberet, & sic synodum faceret,

ret, cui ipse præsideret. Rationem illam exponit ipse Anatolius Archi-
episcopus Constantinopolitanus, cùm de Beryensi metropoli, & Phœni-
ciæ primæ sex urbibus à jure Tyrensis Ecclesiæ rescissis & Beryto adjudica-
tis ageretur, & quæretur à Cognitoribus judicibus, utrum conventus Epi-
scoporum, qui in regiâ civitate diversantur, Synodus appellari possit aut
debeat? *Tenuit, inquit, pridem consuetudo, ut qui in magna hâc civitate mo-*
rantur sanctissimi Episcopi, cùm eos temporis occasio vocat, de emergentibus
quibusdam Ecclesiasticis causis convenient ac singula definiunt, responsoq; eos
dignentur, qui precantur aliquid. Nihil ergo à me factum est, quod novitati sit
affine: nec sanctissimi, qui in civitate erant Episcopi, novam formam protulerunt,
ac ostendit presentiam Episcoporum actio que facta est. Erant scil. tumultuarii
quidam conventus Episcoporum non per literas tractorias evocatorum, sed
forte fortuna Constantinopoli convenientium. Et Synodus proinde ta-
lis ἐνδημοσίᾳ οὐρανῷ dicebatur i.e. episcoporum ἐνδημέντων, in urbe præ-
sentium & commorantium, non οὐρανῷ οὐρανῷ convocatorum & con-
scriptorum. Vid. Petrus de Marca de Constantinopol. patriarchatus inst.
p. 168. Postquam autem Archiepiscopus Constantinopolitanus tres in-
tegras diœceses regendas accepit, non opus fuit amplius repentinis istis &
tumultuariis conventibus, sed potuit ille deinceps vi juris patriarchici sibi
nunc competentis, ex istis tribus diœcesibus sibi subiectos metropolitanos
convocare & cum iis Synodum constituere.

XXXII. Est verò per Concilium Chalcedonense aliud insigne privi-
legium concessum Archiepiscopo Constantinopolitano, primæ scil. instan-
tiæ, ut apud eum conveniri posset metropolitanus, si cum tali aliquo con-
troversiam quis haberet. Sic enim se habent can. 9. verba ultima: *Si au-*
tem cum ipsis provinciæ metropolitanæ Episcopus vel Clericus controversiam ha-
buerit, diœceeos exarchum adeat aut regie Urbiæ Constantinopoleos sedem ἐ
apud ipsam judicetur. Et hoc privilegium, ut metropolitanus, qui uni sub-
jacet Patriarchæ, ab alio judicetur, nemini alterum patriarcharum concessum
est, inquit Aristenus, nisi soli Constantinopolitano. Est ergo in actoris arbitrio,
utrum metropolitanum, cum quo ipsi res est, coram exarcho diœce-
eos, qui ordinarius ejus est judex, an vero coram Episcopo Constantino-
politano convenire velit. Idque privilegium in omnibus quinque diœce-
sibus Orientalibus locum habuit, ita tamen, ut jus tantum præventionis
induceret, neque patriarcharum & exarchorum antiqua jurisdictio inde
pro extinctâ haberetur. Particula enim disjunctiva satis explicat, arbitrio
actoris id relinquui, nec proinde sublatum esse forum alias competens. Ele-
gantia ejus privilegii exempla recenset Petrus de Marca de primatib. p. 105.
qui ipse pag. 110. eruditè ostendit, desisse id privilegium paulatim quoad
reliquorum patriarcharum diœceles, neque extra tres illas Constantino-
politano Episcopo subjectas usurpatum amplius fuisse, maximè postquam

Y

acces-

accessit constitutio Justiniani novell. 123. c. 22. qui metropolitanum apud Patriarcham suum conveniri voluit, omissa electione agendi apud sedem Constantinopolitanam.

XXXIII. Cæterum, quod capite antecedente diximus de Johanne Patriarchâ Constantinopolitano, quos ille crabrones excitaverit apud Pontifices Romanos, postquam ille se Patriarcham Oecumenicum appellavit, non est, ut hic denuò repetam. Fortasse autem Johannes eo sensu, quo accepit Gregorius, & quo etiam hodiè captiunt Romani adulatores, qui Pam suum Episcopum universalem vocant, vocabulum istud acceptum noluit. Viderat ille, Urbem Constantinopolin, in quâ sedem habebat, maximè florere, & imperii simul sedem esse, Romam autem veterem, propter Longobardorum invasionem, paulatim tabescere & interitum minari, suæque nunc urbi inter urbes & oïnspiéns sive Imperii Romani, primum deberi locum, inde ipse se Patriarcham Oecumenicum dici voluit, eò quod magnæ partie ecclesiarum & oïnspiéns præfasset. Ut hunc potius, quam pesimum alium significatum Johanni in animo fuisse credam, facit ipsius Gregorii Pontificis Romani Johannem acerbè perstringentis epistola 24. & 30, quarum illa ad Anastasium Patriarcham Antiochenum, hæc verò ad Mauritium Imperatorem scripta est. Uterque admonuerat Gregorium, ille, ne in causâ nullâ, hic, ne propter appellationem frivoli nominis scandalum daret. Quibus proinde respondet Gregorius & se excusat. An verò putabimus, pium Imperatorem Mauritium adeò supinum, aut Anastasium adeò vecordem fuisse, ut ille omnes Episcopos gradu suo dejici rem frivolam, hic verò causam omnino nullam diceret, uterque autem hortarentur Gregorium, ne offendetur? Oecumenici itaque nomen eo sensu non acceperunt Constantinopolitanî, quo interpretatur Gregorius. Sed nec cedere voluerunt illi, ut maximè fremerent & indignarentur Romani. Quin mansit istud nomen penes Constantinopolitanos, & ab illis usurpatum in hunc usque diem.

CAP. VIII. *De Patriarchâ Alexandrino.*

I.

Quâ ratione Ecclesia Alexandrina in patriarchalēm erecta fuerit, jam supra, cùm de Patriarchis in genere verba facerem, exposui. Quemadmodum enim Alexandria Urbs totius Ægyptiacæ dioecesis, quæ Ægyptum, Lybiam & Pentapolin continebat, capit erat & metropolis: ita etiam omnium Ægypti provinciarum Episcopus præcipius erat Alexandrinus. Alexandriam ita commendat Theodoretus lib. I. c. 1.

AΛΕ-

Αλεξανδρεια πόλις ἦστι μεγίστη καὶ πολυπλοκότερη, εἰς Αἰγυπτίων μένον, αὐτὰ
καὶ Θηραίων καὶ Λιβύων τῶν τεσσάρων τὴν ἡγεμονίαν πεπιστεύθη. Ἀγγε-
πτος namque, Libya, & Pentapolis, uti jam dixi, constituebant integrum
diocesis Ἀgyptiacam. Divisione autem ulteriore factā extiterunt sex
illius diocesos provinciæ, quæ in notitiâ imperii recensentur hoc modo.
Sub dispositione Viri spectabilis præfetti Augustalis provincie infra scriptæ: Li-
bya superior, (Cyrenaica, pentapolis) Libya inferior (siccor, διψηφι-
siticulosa Synechio) Thebaïs, Ἀgyptus, Arcadia, Augustanica. Et inter omnes
harum provinciarum Urbes eminebat Alexandria. Ergo & Alexandrinus
Episcopus inter reliquos.

II. Ut τὰ πρεσβεῖα Patriarchæ Alexandrinî breviter describamus, in-
venimus ea planè singularia fuisse, qualia reliquis Patriarchis non compe-
tierunt. Horum enim potestas tempore Nicæni concilii tam ampla non
fuit, uti posterioribus esse cœpit. At Alexandrinus in universâ diocesi
Ægyptiacâ plenam potestatem habuit, etiam ante Concilium Nicænum.
Patet hoc ex canone sexto Nicæno, quo Alexandrinus Episcopo jura metro-
politica, quæ in Ægypto, Libyâ & Pentapolitano jam ante exercuerat, confir-
mantur. Verba hæc sunt: *Antiqui mores obtineant, qui sunt in Ægypto, Li-*
byâ & Pentapolitano, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem.
Nondum ille quidem tūm temporis Patriarcha dictus fuit, sed Episcopus
tantum, non simplex tamen is erat, aut provincialis, sed integræ diocesos
ex pluribus provinciis constantis. Et hinc adeò propter τὸ καθεδραὶ illud,
secundum quod singulos suos diocesos Episcopos ordinabat, revera erat
totius Ægypti metropolita, & jure metropolitico pertotam Ægyptiacam
diocesin utebatur, quod consecrationem & ordinationem Episcoporum
attinet. Jus istud plenius exprimitur in epistolâ Synodicâ Episcoporum
Nicææ congregatorum ad Ecclesiam Alexandrinam, quam recenset Socrates
lib. 1. c. 9. Agitur in eâ de Melitio, qui invalerat jura Episcopi Alexan-
drini, & de Episcopis ab eo temerè ordinatis. Et de his quidem hunc in
modum verba faciunt Patres Nicæni: *Ii verò, qui ab ipso constituti sunt, san-*
ctiore ordinatione confirmati ad communionem admittantur eâ lege, ut honorem
quidem ac ministerium suum retineant; secundo tamen semper loco sint ab iis omni-
bus, qui in unaquâq[ue] parœciâ & Ecclesiâ versantur, à charissimo Collegâ nostro
Alexandro prius ordinati. Et porro: Quod si quempiam eorum, qui in Ecclesiâ
censem̄t, diem suum obire contigerit; tñm in defuncti locum atque honorem pro-
vebantur ii, qui nuper adsciti sunt, modo digni videantur, & populus eos eligat,
suffragante nihilominus plebisq[ue] judicium confirmante Alexandrine Urbis Epi-
scopo. Hoc igitur jus habuit, hanc ἐξοχâ Alexandrinus Episcopus per
omnes Ægyptiacæ diocesos provincias, ut nullus Episcopus fieret absque
eius autoritate.

III. Videtur autem Episcopus Alexandrinus tūm temporis solus & unicus in suā diœcesi fuisse metropolitanus, neque metropolitanos alios sibi subjectos habuisset. Posterioribus verò temporibus, cùm ex Episcopis majorum oppidorum in provinciis suæ diœceseos nonnullos selegisset, eorumq; fidei ecclesiasticas quasdam minores portiones commisisset, similes illi quodammodo facti sunt aliarum provinciarum metropolitanis, & tūm etiam horum respectu Alexandrinus Episcopus potuit dici patriarcha. Nilominus tamen novellum istud nomen Patriarchæ etiam tūm, cùm metropolitanos nondum haberet, nec essent præter Episcopos alii, super quos evectus dici potuisset, propter amplissimam suam diœcesin sustinuit; cùm reliqui ideò terè Patriarchæ dicerentur, ut distinguerentur à metropolitanis quos sibi subditos habebant. Et sic igitur Alexandrinus Episcopus jus metropolitanum per totam suam diœcesin retinuit, etiam tūm cum jus Patriarchicum & nomen adeptus fuit, quale jus metropolitanum non habuit Patriarcha Constantinopolitanus, quippe qui propriam nullam habuit provinciam, cuius Episcopos ordinaret, nec etiam per totam sibi subjectam diœcesin Episcopos omnes ordinavit, sed solos metropolitanos.

IV. De hâc Alexandrini Episcopi potestate specialia possunt colligi testimonia *ex epist. 67.* Synesii, Ptolemaidis in Libyâ superiore sive Pentapolii Episcopi, cui ut μητροπολίτῳ ἐκκλησίᾳ metropolitana Ecclesiâ, ut ipse eam vocat, Episcopo metropolitici munieris aliquid commissum erat ab Alexandro Patriarchâ Alexandrino. Inter alia ait, Siderium Palæbiscæ Episcopum non legitimè sed contra jura creatum, εἰ μή πάντα Αλεξανδρεῖα κατίσῃ, μή πάντα τειχῶν εὐθύδε, καὶ εἰ τα σύγημα τε χειροτονίας ἐκεῖτερον εἴδεσθαι. Maximè improbat, quod Alexandriam non venisset, nec illic ordinatus fuisset. Tandem addit: *mibi in Vrbem redeundum est, ibi ejus quod mibi facendum est* (circa illum Siderium) *tesseram ac signum præstolabor.* In eâdem epistolâ refert Lamponianum presbyterum, quod Jasonem gravi injuria affecisset, ab Ecclesiasticâ communione a se separatum esse. Addit autem, *solvendi jus atq; autoritatem ad Pontificiam sedem* (Alexandri) si rejecisse. Maxime autem hoc pertinet, quod de Olbiatarum Episcopo refert, *epist. 76.* defuncto apud eos Athamante novi Episcopi creatione opus fuisse, tumq; Antonium quendam communis totius populi, deinde duorum Episcoporum & tandem suo etiam Synesii suffragio electum. Addit autem: *Vnum adhuc supereft, idq; præcipuum, sacra tua scil. manus.*

V. Ex eâdem Synesii *epist. 67.* disce licet, Episcopum Alexandrinum non ordinandi tantum, sed universa etiam Ecclesiastica negotia administrandi habuisse potestatem, quod & Epiphanius testatur *hæres. 68.* quando assérit, morem fuisse Alexandrinorum Archiepiscoporum per totam Ægyptum ac Thebaidem, Maræotam ac Libyam, Ammoniacam, Maræotidem & Pentapolim Ecclesiastica negotia administrare. Et hanc potestatem

tem exercuerunt illi, antequam Concilium Nicænum haberetur. Idq; patet ex supra nominati Melitii Lycopoleos in Thebaide Episcopi exemplo, qui propter multiplicia crimina, & inprimis, quod idolis sacrificasset, à Petro Alexandrino depositus fuit, uti scribit Athanasius *apol. 2. contra Arianos.* Eoq; jure etiam usus fuit Dionysius Episcopus Alexandrinus, postquam inaudivisset, in pentapholi amplexos fuisse nonnullos Episcopos sententiam Sabellii, eoq; processisse jam pestem illam, ut vix prædicaretur amplius in Ecclesiis filius DEI. Tum enim Dionysius curam earum Ecclesiarum habuit, & misit, qui pravas istas opiniones repremerent, & autores earum in salutis semitam reducerent, ut testatur idem Athanasius *de sentent. Dionysi contra Arian.* Atq; hinc recte statuitur, canonem VI. Concilii Nicæni non deordinandi tantum ritu, sed etiam de omni Ecclesiasticâ potestate accipiendum esse. Quem canonem intenderunt decem Episcopi Ægyptii in Concilio Chalcedonensi, dum *actione 4.* postquam Patriarcha suus Dioscorus ab Episcopatu remotus esset, subscribere recusarunt Epistolæ Leonis de verbi incarnatione ad Flavianum scriptæ, eo quod jam sine capite essent, & tum consuetudine, tum canone Nicæno prohiberentur quicquam agere siue præscitu & consensu Archiepiscopi Alexandrini.

CAP. IX.

De Patriarchâ Antiocheno.

I.

Antiochenus Episcopus uti initio inter tres, postea inter quinque pri-marios valde celebris fuit: ita inter Orientis diceceſeos metropolitanos utiq; eminuit & præcipiuſ extitit. Concilium Nicænum ejus facit mentionem, dum in famolo canone 6. servari vult ejus privilegia. Οποῖας, inquit, ἡ καὶ τὴν Ἀντιόχειαν ἡ ἐν ταῖς ἀλλασσαῖς επαρχίαις τὰ πέντε· Σάντα. σώμαδε ταῖς επαρχίαις. Similiter Ἑ in Antiochiā Ἑ in aliis provinciis privilegia serventur Ecclesijs. Concilium Constantinopolitanum I: ubi jubet Orientis metropolitanos solum Orientem administrare, Antiocheno simul inter illos jubet servari πεντέα, quæ ipſi à Concilio Nicæno effluit. can. 2. Theodoreus memorat, tum alias dioceses, tum omne Illyricum agnovisse Flavianum Antiochenum tum temporis Episcopum τῶν τῆς την αιατολήν εποκόπων ήγερθρον. lib. 5. c. 23. Sic & Dominus Episcopus Antiochenus in Synodo Antiochenâ dictus fuit τὸν Ἀιατολήν διοικήσεως εξαρχον.

II. Qualia autem tempore Concilii Nicæni ejus fuerint πεντέα, ad-huc disquiritur. Præcipuum & primum inter metropolitanos Orientis

Y 3

fuisse,

fuisse, & autoritate aliquâ præ cæteris polluisse certum est. Eum autem talem ac tantam in suâ diœcesi habuisse potestatem, qualem & quandam in Ægyptiacâ habuit Episcopus Alexandrinus, credibile non est. Sola ægædeia & primatus ordinis eam non tribuit. Neq; uspiam Alexandrino & Antiocheno Episcopis circa Concilii Nicæni tempora eadem legitur fuisse potestas. Quin satis perspicuè, nisi fallor, distinguuntur à se invicem in dicto canone 2. Concilii Constantinopolitan I. Verba hæc sunt: *Secundum canones Alexandriae quidem Episcopus, que sunt in Ægypto, tantum administraret. Orientis autem Episcopi orientem solum gubernent, servatis privilegiis, que Antiochenæ Ecclesiæ Nicenæ canonibus tributa sunt.* Plures hic memorantur Episcopi, quibus Orientis sollicitudo & administratio incubuit, secus atq; in Ægypto, cuius totius diœceles administratio Episcopo Alexandrino commissa fuit.

III. Ut rem exemplis comprobemus, certum est Palæstinam, quæ quindecim provinciarum Orientis diœceeos una erat, Concilii Nicæni tempore suum habuisse metropolitanum, Cæsariensem Episcopum. Jam ex decreto Concilii Nicæni, quod *canone 4. extat*, in unaquâq; provinciâ κύρῳ τῶν γνωμάτων, potestatem, firmitatem sive confirmationem eorum, quæ geruntur, debet habere metropolitanus. Habet igitur illud κύρῳ in Palæstina Episcopus Cæsariensis, non verò Antiochenus. Similiter Cyprus insula, quæ itidem provinciarum Orientis diœceeos una erat, habuit metropolitanum, & hic adeò ex decreto Concilii Nicæni κύρῳ τῶν γνωμένων habuit & ἀντικείμενό fuit, relicta tantum ægædeia Episcopo Antiocheno. Et hinc adeò patet, diversimodè se habuisse Alexandrinum & Antiochenum Episcopos, nec pares fuisse utriusq; conditionis, aut paria πρεσβεῖα.

IV. Sanè quod Cyprum insulam attinet, sæpè ea impedita fuit ab Episcopis Antiochenis, ut in illâ jus ordinandi sibi acquirerent. Ineunte seculo quinto Alexander Episcopus Antiochenus totam Orientis diœcesin ita sibi subjectam opinabatur, ut singularum provinciarum metropolitanos à se ordinari debere perswasum haberet. Et annon ita fas esset, judicium super eâ re petebat ab Innocentio I. Episcopo Romano. Innocentius adstipulabatur, & decretum ita in Concilio Nicæno respondebat. Sed nolabant id permittere Alexandro Episcopi Cypri, & ordinationes in suâ provinciâ ipsi peragebant, quos propterea à Canone Nicæno discessisse & ad meliorem mentem reduci debere putabat Innocentius. Res plenius percipietur ex ipsâ Innocentii *epistola 18.* ex quâ sequentia ad rem præsentem faciunt verba: *Revolventes autoritatem Nicæne Synodi, que una omnium per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum, que censuit de Antiochenâ Ecclesiâ, cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus esse necessarium custodire, quâ super dicæ-*

diœcesin suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam provinciam, recognoscimus constitutam. --- Itaq; arbitramur, frater charissime, ut sicut Metropolitanos autoritate ordinat singulari, sic & ceteros non sine permisso conscientiaq; tuâ finas Episcopos procreari. --- Cyprios sancte afferis, olim Arrianæ impietatis potentia fatigatos non retulisse Nicænos canones in ordinandis sibi Episcopis, & usq; buc habere præsumptum, ut suo arbitratu ordinent, neminem consulentes. Quocirca persuademus eis, ut curent juxta canonum fidem, fidem catholicam sapere, atq; unum cum ceteris sentire provinciis, ut appareat sancti spiritus gratia ipsos quoq; us omnes Ecclesiæ gubernari.

V. Utrum quid obtinuerit apud Cyprios Episcopus Alexander, facile colligi poterit ex eo, quod paucos deinde post annos contigit. Decesserat in insulâ Cypro metropolitanus Constantiæ Troilus, & de successore deliberabatur. Ejus ordinationem, ut sibi vindicaret Episcopus Antiochenus, qui tum temporis erat Johannes, summo studio contendebat; sed instabat tum tempus, quo congregari debebat Synodus Ephesina, à quâ sibi metuebat Johannes, ne propositum suum & conatus inverteretur. Ut ergo rerum suarum satageret, à Comite & Duce utriusq; exercitus atq; proconsule Dionysio literas impetraverat, quibus interdicebatur Cyprii, ne ante Synodum Ephesinam novum sibi metropolitanum eligerent aut ordinarent. Cyprii vero, non obstante isto edicto, Rheginum eligebant, & de istâ Episcopi Antiocheni in Ecclesiæ suas factâ invasione, aut machinatione in ipsâ deinceps Synodo graves querelas movebant. Causâ cognitâ sic tandem decreverunt Patres Ephesini: *Rem hanc, que præter Ecclesiasticas constitutiones, & sanctorum Patrum canones innovatur, & omnium libertatem attingentem annunciavit pientissimus Episcopus Reginus, & qui cum eo pientissimi Episcopi provinciæ Cypri Zenon & Evagrius.* Unde quoniam communes morbi majore egent remedio, eò quod maius damnum afferant, si non est vetus mos, quod Episcopus Antiochenus ordinat in Cypro, sicut libellis & propriis vocibus docuerunt pientissimi Viri sanctissimarum Ecclesiarum in Cypro Praesules, qui ad sanctam Synodum accesserunt, a nullo impetantur, vel vim patientur, secundum Canones sanctorum Patrum & veterem consuetudinem, sed per seipso ordinationes pientissimorum Episcoporum faciant. Canon hic est octavus, & in Codice canonum Ecclesiæ universæ, 178. qui deinceps confirmatus est per Synodum Quinisextam in Trullo habitam can. 39. Et hinc discere licet diversas omnino & contrarias esse sententias Innocentii Pontificis & Concilii Ephesini. Innocentius statuerat, Cyprios agere adversus Canones Nicænos, & Antiochenum Episcopum recte sibi vindicare jus ordinandi metropolitanos in insulâ Cypro. At Patres Ephesini censem, Episcopi Antiocheni conatum esse rem præter Ecclesiasticas constitutiones & sanctorum Patrum canones innovatam, & omnium libertatem attingentem.

VI. Videtur tamen præter jus ~~ægideias~~ quid amplius in oriente habuisse Episcopus Antiochenus. Discere id licet ex verbis Hieronymi, quibus Johanni Episcopo Hierosolymitano exprobrat, quod literas ad Alexandrinum Episcopum misisset, illiq; de objectis criminibus se purgasset, omisso suæ provinciæ metropolitano Episcopo Cælareensi, tum & Antiocheno. *Tu, inquit, qui regulas queris Ecclesiasticas & Nicæni Concilii canonibus uteris, & alienos Clericos & cum suis Episcopis commorantes tibi niteris usurpare. Responde mihi, ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? Nisi fallor hoc ibi decernitur, ut Palæstina metropolis Cæsarea sit & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæsareensem Episcopum referre debueras, cui spretâ communione tuâ communicare nos noveras, aut si procul expetendum judicium erat, Antiochiam potius literæ dirigendæ. Sed novi, cur Cæsaream, cur Antiochiam nolueris mittere, sciebas, quid fugeres, quid vitares, maluisti occupatis auribus modestiam facere, quam debitum metropolitano tuo bonorem reddere. Videtur ergo Episcopus Antiochenus respectu Palæstinæ aut concurrentem habuisse jurisdictionem cum Cælareensi, aut superiorum.*

VII. Post Concilium Ephesinum Johannis Successor Maximus Episcopus Antiochenus & Juvenalis Hierosolymitanus æquis conatibus gratai fuerunt ad obtainendum Principatum tum Palæstinæ tum aliarum provinciarum. Tandem vero post diutinam contentionem res transacta est, & proposita ab utroq; in Concilio Chalcedonensi, ut Synodali decreto confirmaretur. Leges conventionis hunc in modum refert Maximus in Concilio act. 7. Placuit mihi & reverendo Episcopo Juvenali propter multam contentionem per consensum, ut sedes quidem Antiochenum maxime civitatis beati Petri habeat duas Phœnicas & Arabiam: Sedes autem Hierosolymorum habeat tres Palæstinas. Et rogamus ex decreto vestre magnificentie & sancti Concilii hæc scripto firmari. Idem cum è vestigio professus esset Episcopus Juvenalis, collectis suffragiis decretum suum interposuerunt judices hunc in modum: Maximus quidem sanctissimus Episcopus, seu Antiochenum sanctissima Ecclesia duas Phœnicas & Arabiam sub propriâ habeat potestate, Juvenalis autem sanctissimus Hierosolymorum Episcopus, sive sanctissima Ecclesia, quæ sub eo est, tres Palæstinas itidem sub propriâ habeat potestate &c.

VIII. Sic igitur autoritate Synodi Oecumenicæ Episcopo Antiocheno tres aliæ provinciæ subjectæ fuerunt, duæ scil. Phœnicæ & Arabia. Etiam sic tamen singulæ harum provinciarum suos retinuere metropolitanos, Arabia quidem Bostrensem, Phœniciæ autem maritima Tyrium, & Libanensis Damascenum. Id tantum mutatum fuisse videtur, quod Metropolitanæ, qui antea ab omnibus suarum provinciarum episcopis ordinabantur, postea mutato hoc rerum statu sine Antiocheni Episcopi consensu ordinari non potuerint, & quoad cætera quoq; hujus in provinciis noviter concessis suprema fuerit potestas Ecclesiastica.

CAP. X.

CAP. X.

De Patriarchâ Hierosolymitano.

I.

Inter universas metropolitanas Sedes supra dixi eminuisse, & reliquis adeò palmam præripuisse tres potissimum, Romam in Italiâ, Alexandriam in Ægypto, & Antiochiam in Cœle Syriâ. Hisce in Concilio Nicæno associata fuit Sedes Hierosolymitana, hasq; proximo gradu insequu jussa est, can. 7. ἐξέτω τὴν ἀκλησίαν. Non quidem, quod hujus Concilii tempore Hierosolyma, (quæ & Ælia tūm dicebatur, l. I. s. 6. ff. de censib. ab Imperatore Adriano, qui Ælius dictus fuit, vid. Jacob. Gothofred. ad Philostorgii lib. 7. c. 11.) vel metropolis, vel ex maximis Romani imperii Urbibus una esset, quanquam & ipsa non usque adeò exigua existeret, sed ex eâ ratione id factum videtur, quod in illâ Urbe Servator noster passus & crucifixus, humaniq; generis redemptio peracta esset, quodque cæteræ omnes Ecclesiæ ex illâ, quæ Hierosolymis fuerat, initio essent propagatæ. Priorem rationem exponit Theodorus Balsamon ad can. 6. Concilii Nicæni: ἐπιμήδη ὁ Επίσκοπος ἀντὶ διὰ τὸ σωτηριόν τὸ χριστόν πάσῃ. Honoratus est ejus Episcopus propter salutiferam Christi passionem. Altera patet ex eo, quod Hierosolyma, mater Christiani nominis, ab Justino in epist. ad Horisdam Papam, & mater Ecclesiarum in epistolâ Synodica Concilii Constantinopolitani ad Damasum Papam, vocatur.

II. In Synodo Nicæna Episcopus Hierosolymitanus accepit quidem ἀκλησίαν τὸ πρῆγμα, sed πρῆγμα tantum. Additur enim illico: τὴν μητροπόλεα σωτηρίας τὸ ὄντες ἀξιώματος, salvâ metropolis propriâ dignitate, ne quis existimet, eum etiam quoad metropolitica jura tribus illis exæquatum fuisse. Quanquam igitur Hierosolymitanus quartus esset inter præcipuos Episcopos, non tamen metropolita erat, neque πρεσβεῖα metropolitica acceperebat. Metropolitani namque Palæstinæ, is erat Episcopus Cæsareensis, proprium ἀξιώματος servandum præcipitur, & illi Hierosolymitanus, qui inter Palæstinæ Episcopos erat, dicto, ut antè, tenebatur esse audiens, quomo-
do & in aliis provinciis Episcopos facere oportebat. Et hâc igitur ratione cæteris metropolitanis antistabat Hierosolymitanus Episcopus non re, sed titulo, non potestate, sed honore metropolitanus, suberat enim Cæsariensi Episcopo, qui verus erat illius provinciæ metropolita. Atque ista vel ignorarunt, vel minus consideratè in canones Concilii Nicæni commentati sunt Theodorus Balsamon & Johannes Zonaras, putantes, ideo Episcopo Hierosolymitano ἀκλησίαν datam fuisse, quod urbs ea inter alias Pa-
lestinez, Arabiez, Phœniciæq; Urbes excelleret, ac si Concilii Nicæni tem-

Z

pore

pore ei talis excellentia competiisset. Rectius in paraphrasi Arabicâ canonem Nicænum interpretatur Josephus Agyptius, cuius verba hunc in modum vertit Gvilielmus Beveregius: *Quandoquidem ita obtinuit consuetudo de magnificiendo Episcopo Hierosolymitano, eoq; honorando; hoc ei permaneat, dummodo ipse metropolitano, ad quem thronus pertinet, honorem, & primatum, & potestatem, & reverentiam suam conservet: quoniam ille dignior est principatu, quem etiam habuit, utpote qui εξαεχει fuit. Siquidem Patriarcha super istum iheronum constitutus est, atq; eo etiam nomine honoratur, ob nobilitatem locorum, que sub ejus sunt potestate.*

III. Manet igitur Concilii Nicæni tempore Episcopum Hierosolymitanum habuisse tantum potestatem suarum parœciarum, ut alii simplices Episcopi, accepisse autem αρχης θέματα, hoc est, jus sedendi illico post tres illos sèpè dictos primarios Episcopos, & sic ante suum Metropolitam, cui subjectus erat. Nec dubito, haud invitum jure hoc ~~πρεσβετερίας~~ cessisse Cæsariensem, cum salvare retineret προσέτατα metropolitica, ipsumq; sibi adhuc subiectum haberet Hierosolymitanum tam insigne honore decoratum, cum præsertim non aliud fundamentum ejus prælationis subesse animadverteret, præterquam quod id fieri audiret in gratissimam memoriam redemptionis nostræ ibi peractæ, quam ipse sanctissimam habebat. Et vitio utique verti potuisset ei, si Episcopo Urbisillius, in quâ se ἐργάζεις Ἰησοῦ h. e. μελέτην προσέτατα habere credebant Christiani plerique omnes, inanem istum honorem exhibere noluisset.

IV. Episcopus Hierosolymitanus tum, cum Concilium Nicææ celebretur, erat Macarius, cui primo jus istud ad successores propagandum collatum fuit. Et quidem tum ipse, tum successor ejus Maximus honore hoc contenti erant. Sed qui Maximum excepit, Cyrillus altiores spiritus trahens plus sibi tribuere haud fuit veritus. Etenim post suscepsum Hierosolymorum Episcopatum de jure Metropolitano adversus Acacium Episcopum Cælareæ controversiam moverat, tanquam Apostolicam sedem obtainens. Ut testatur Sozomenus lib. 4. c. 25. & Theodoret. lib. 2. c. 27. Sed facile eum coercuit, & potestatem metropoliticam adversus eum exseruit Acacius, dum eum ab officio & Sede suâ dejecit, suffecto Herennio. Herennium exceptit Heraclius, & hunc porro Hilarius. Post Hilarium prior ille Cyrillus sedem Hierosolymitanam recepit, uti docet idem Sozomenus cap. 30. Utrum illis omnibus benè convenerit cum Episcopo Cæsariensi, & annon ipsi quoque ad simbrias suas dilatandas moliti subinde aliquid fuerint, non est, quod solliciti simus. Cum autem decessisset Cyrius, successit Johannes, quem reprehendit Hieronymus epist. ad Pamach. quod omisso suo metropolitano ad Alexandrinum episcopum de criminibus sibi objectis scribere maluisset. Verba adduxi cap. anteced.

V. Post

V. Post Johannem Hierosolymitanam sedem tenuit Juvenalis, cuius memoria extat in Concilio Ephesino & Chalcedonensi. Et fuit is quidem orthodoxæ fidei assertor strenuus; πλεονέκτης tamen suam & ambitum tegerem non potuit, quin aperto Marte ultra τὴν ἀνθεγγίαν τὸ πνεῦμα, etiam iura patriarchica sibi vindicare contendit. Refert de eo Leo Papa epist. 62. quæ est ad Maximum Antiochenum, *Sicut etiam in Ephesinā Synodo, que impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Juvenalis Episcopus ad obtainendum Palestine provinciæ principatum credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia scripta firmare Sc.* Non obtinuit quidem autoritate Synodi Ephesinæ, quod voluit, Juvenalis; sed usurpare tamen sibi τὴν κύριον in Palæstinâ provinciâ non destitit, & pari contentione cum Maximo Episcopo Antiocheno eam sibi subjugare annis est porrò. Obiter verò notandum, Palæstinam olim unicam tantum tempore Concilii Nicæni fuisse provinciam metropolitano Cæsariensi subjectam, tempore autem Theodosii Magni divisam fuisse in duas provincias, & non multo post in tres, Palæstina videlicet primam, secundam & salutarem. Vid. Jacob. Gothofredus ad l. 30. Cod. Theod. de erogat. milit. annon. & ad l. 3. C. Tb. de protostasiā. Ista divisio sine dubio ansam dedit Episcopo Hierosolymitano, ut putaret, Episcopi Cæsariensis dioecesis hâc ratione imminutam & quodammodo vacantem esse, sibiq; adeò licere eam occupare vel integrum vel ex parte. Obtinuit igitur & quidem ut videtur per intercessionem Episcopi Constantinopolitani eam in rem Rescripta Imperatoria, distractæq; sunt Arabia, duæ Phœnicia & tres Palæstinæ & adjudicatae Sedi Hierosolymitanæ. Sed cùm executionem deprecaretur Episcopus Antiochenus, transactione controversiam componere placuit, ita ut Arabia & duæ Phœnicia remanerent sub jurisdictione Ecclesiæ Antiochenæ, tres verò Palæstinæ cederent Hierosolymitanæ, quam utriusque conventionem Synodus Chalcedonensis ad. 7. confirmavit, uti recensui cap. anteced.

CAP. XI.

De Primatibus, Archiepiscopis & Metropolitanis.

I.

Promiscuo in usu sæpè ista sunt vocabula, & propterea sub uno capitulo eorum conditio à nobis consideranda. Primates in genere dicuntur omnes, qui primum in societate aut collegio locum & gradum sustinent. Quâ ratione primates officiorum dicuntur in l. 13. C. de susceptor. item primates Urbium, vicorum, castellarum l. 13. C. Theod. de desertor. l. 4. C. Tb. de decurion. l. 4. C. Tb. de administr. & peric. tut. l. 4. C. Tb. de collat.

Z 2

donat

donat. In eo significatu etiam ad Ecclesiastica munera & dignitates translatum est istud vocabulum, & applicari cœpit Episcopis illis, qui primas in Concilio provinciali partes sustinent & præsident. Tales autem erant illi, qui in metropoli provinciæ alicujus sedem suam habebant. Unde cum exente seculo IV. de primatu controversia orta esset inter Episcopum Arelatensem & Viennensem, in Concilio Taurinensi decretum fuit, ut Episcopus ille primatus honore decoratus esset, qui doceret, urbem suam esse provinciæ metropolin. *Illud detnde (sic habent verba) inter Episcopos Urbium Arelatensis & Viennensis, qui de primatus apud nos honore certabant, à sanctâ Synodo definitum est, ut qui ex eis comprobaverit, suam civitatem esse metropolin, is totius provinciæ honorem primatus obtineat, & ipse juxta præceptum Canonum, ordinationum habeat potestatem.* Hactenus ergo primatum & metropolitanum eundem esse voluerunt Patres Taurinenses; Sed ea tamen controversia decreto hoc nondum erat decisâ. Quærebatur enim deinceps, unde jus civitatis metropoliticum judicari deberet? Quam quæstionem diversimodè resolvebant Zosimus, Bonifacius & Leo Pontifices Romanî, prout quisque vel in Arelatensem vel in Viennensem propensior erat. Vincere enim poterat Viennensis per dispositionem civilis, quæ Viennæ jus metropoleos politicæ olim tribuerat. Sed Zosimus Papa totam primatus metropolitici causam ēν τῇ πειραιᾳ seu in priore vocatione ad fidem, & in vetustiore episcopatus institutione apud Arelatem à Trophimo factâ constituebat, uti hujus prærogativæ rationem reddit epist. 8. ad Hilar. Narbonens. donec tandem Leo utriusque civitatis habendam rationem secum reputans inter duos Episcopos provinciam divideret, majore parte Viennensis provinciæ Arelatensi Ecclesiæ adjudicatâ, solis quatuor civitatibus penes Viennensem Episcopum relictis. Ut eam controviam strictim exponit Petrus de Marcâ in epist. ad Henr. Valesum n. 10. seqq.

II. Circa ista tamen tempora aliquando etiam ille, qui ordinacionis tempore alterum antecedebat, & ita senior erat, primas dicebatur. Ita hoc vocabulo utitur Hilarus Papa epist. 8. quam scripsit ad diversos Metropolitanos Galliæ: *Ei qui nunc Ecclesie Narbonensi præsidere permittitur, ordinandorum Episcoporum ob hæc que prævè facta sunt, sustulimus potestatem, quam ita ad fratrem & Coepiscopum nostrum Constantium Ucetice Ecclesie Antifitem, quia ævo honoris Primas esse dicitur, pertinere censimus, ut si superbitate Herme Episcopo defunctus fuerit, illum hec cura respiciat, quem repererit Episcopalis ordo Primatem.* Herme autem Episcopo deficiente, faciendorum mos Antistitum Narbonensi mox reddatur Ecclesie, &c: *Vult nempe Hilarus, interim dum ab officio suspensus est Episcopus Narbonensis ordinationes fieri debere ab illo provinciæ Episcopo, qui esset πειραιαρχοντης, quicquid prior ordinatus esset, quem propterea ævo honoris primatem, & Episcopalis ordinis Primatem vocat.*

vocat. Sic enim primas aliquando dicuntur, qui prior in ordinem receptus est, e. g. primas ad vocatorum in l. 3. § 5. C. de adv. divers. jud.

III. Communiter tamen, qui metropolitani erant, illi etiam primates dicebantur. Dionysius Exiguus inscriptionem canonis 35. Apostolici, qui de metropolitanis agit, hanc facit: *de prima u Episcoporum*. Et Siricius Episcopus Romanus epist. 4. inter monita sua primo loco hoc ponit, *ut extra conscientiam Sedis Apostolice hoc est primatis, nemo audeat ordinare*. Per Se- dem Apostolicam Siricius intelligit quamlibet metropolitanam, ne quis putet, Romanam hic ab eo denotari. Sic enim se habet Concilii Nicæni canon sextus, quem in mente habuit Siricius, dum ista scriberet, quod Epi- scopus præter sententiam metropolitani, χωρὶς γνῶμης οὐ μητροπόλεως, non debeat fieri. Et addit Siricius κατ' ἔξιγνον vocabulum primatis, ideo scil. quia tum ad Africanos scribebat, apud quos Metropolitani singularum provinciarum primates dici solebant, uti postea ostendam. Innocentius autem primus pontifex epist. 2. dum iisdem Siricii verbis utitur, nullam ta- lem addit ἔξιγνον, sed vocabulum metropolitani retinet, ideo scil. quia non ad Africanos, ut Siricius, sed ad Vietricum Rothomagensem Episco- dum scribebat. Verba refert Gratianus c. extra dist. 64. Extra conser- tiam Metropolitanus nullus audeat ordinare Episcopum &c. Primas igitur Siri- cio est, qui metropolitanus apud Innocentium. Eodem sensu Primatis vo- cabulo usus est Leo I. epist. 91. Sollicitudinis quidem tua is ordo esse debuerat ut cum Metropolitanus tuo primitus de eo, quod querendum videbatur esse, confer- res: ac si id quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceret: quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Do- mini Sacerdotum, sine primatis nibil oportet inquire. Idem Leo epist. 55. ad Pulcheriam Augustam conqueritur, Anatolium Episcopum Constantinopo- litanum per ambitum suum metropolitanorum impugnare primatus. Et sic eti- am Concilium Bracarense I. cap. 6. Metropolitanu Episcopo primatum tribuit.

IV. Eodem modo Græci metropolitanum provinciæ πόλεων appellare consueverunt. In Canone Apostolico 34. constitutum legitur: Τὰς Ἐπισκόπους ἕκαστης ἐθνεῖς εἰδέναι χεὶς τὸν αὐτοῖς πεῖται, καὶ ηγεῖσθαι αὐτὸν κεφαλὴν: Episcopos uniuscujusq; gentis nosse oportet eum, qui in eis est pri- mus, & existimare eum ut caput. In quæ verba ita commentatur Zonaras: Διὰ τύτο ὁ παρὼν κανὼν της ἕκαστης ἐπαρχίας πεῖται Ἐπισκόπους, τὰς τῶν μητροπόλεων δηλονόπτεράς ερεῖται, κεφαλὴν ηγεῖσθαι τῶν ἄλλων Ἐπισκόπων τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας, κελεύει. Propterea præsens Canon primos cuiusq; provin- cie Episcopos, Metropolitanos videlicet Archiepiscopos aliorum per eam provin- ciam Episcoporum caput existimari jubet &c. Ita & Theodorus Balsamon ad can. 12. Concilii Chalcedonensis, ubi agitur de provinciâ in duas partes di-

visâ & hinc ortâ controversiâ, utrum duo propterea debeat institui Metropolitanî, τὸν πρῶτον interpretatur per Metropolitanum. Τὰ μὲν τοι
φέλοντα εἴναι δίκαια καθόλε, τῷ πρώτῳ, ἡγεμονηστολίτῃ, καὶ τῷ Ἐκκλησίᾳ
τῆς πατριδούς Διονίσῳ Επισκοπῇ εἰς μητρόπολιν, ἐγένετο περι μονήν ὅπερι εἰσ.
Quenam autem jura esse debent apud primum, scil. Metropolitanum, in Ecclesiâ,
que ex Episcopatu in metropolis dignitatem enecta est, quidam discere desidera-
runt. Talia pasim occurunt plura, quæ in unum congerere, esset tem-
pus perdere.

V. Apud Africanos frequentior erat vocis Primatis usus, eaq; deno-
tabantur illi, qui provincias Ecclesiasticas administrabant, quiq; alibi me-
tropolitanî dicebantur. Perspicua in hanc rem sunt quamplurima decre-
ta, quæ occurunt in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ. *Canone 13.* sta-
tuitur, ut inconsulto primate cuiuslibet provinciæ, tam facile non præsu-
mant multi congregati Episcopi episcopum ordinare. *Can. 17.* ut Maurita-
nia Sitifensis primatem provinciæ Numidiæ, ex cuius cœtu separatur, ut
suum habeat primatem. *Can. 19.* ut accusator Episcopi causam deferat ad
primatem provinciæ. *Can. 28.* ne Clerici provocent ad transmarina judi-
cia, sed ad primates suarum provinciarum. *can. 77.* primatis Numidiæ fit
mentio, *can. 26.* primatis provinciæ, qui cum suffraganeis Episcopis delibe-
ret. Quæ loca omnia hoc evincunt, primates in Ecclesiâ Africanâ non alios
fuisse, nisi metropolitanos, qui integras provincias administrabant, quiq;
concilium indicendi potestatem habebant. Et primates sanè illi dici pote-
rant ἔξαρέτως & per excellentiam, quandoquidem ἀντικέφαλοι erant, atq;
inconsulto altero primate & ordinabantur ipsi à comprovincialibus Episco-
pis & ordinabant alios sibi subjectos. Etsi enim Carthaginensis Episco-
pus totius Africanæ dioceseos, quæ ex sex provinciis constabat, primus &
maximus esset Primas atq; Metropolitanus, nihil quicquam tamen juris ac
potestatis in reliquos provinciarum Africæ metropolitanos habebat, sed
solâ honoris prærogativâ gaudebat. Adeoq; illi pleno ac summo jure me-
tropolitano in suis singuli provinciis fruebantur, cum nec appellatio qui-
dem ab eis ad Carthaginensem Episcopum tanquam ad Patriarcham dare-
tur. Utī constat ex d. *can. 28.* Africano.

VI. Speciale autem hoc in primatibus Africanis observat Petrus de
Marca *diff. de primatib. n. 3.* quod illi non perinde, ut alii Metropolitanî, à
metropoli suam dignitatem habuerint, sed ex ordinatione antiquiore. Non
enim, uti in aliis provinciis, prima sedes civitati metropoli affixa erat, sed
qui ex Episcopis ordinationis tempore collegas suas anteibat, Primas nun-
cupabatur seu primæ sedis Episcopus. Non quod provinciæ Africanæ non
haberent suas metropoles, & in illis Episcopos, sed quod prima sedes, unde
Episcopus Primas dicebatur, non esset illi addicta, sed Episcopum seniorem
seque-

sequeretur. Eoq; trahit Marca canonem LXXXVI. Collectionis Africanae, cuius hæc sunt verba : *Deinde placuit omnibus Episcopis, qui in hoc Conclilio subscriperunt, ut matricula & archivus Numidæ & apud primam sedem sit, & in metropoli, id est, Constantiâ. Distinguitur prima sedes à metropoli, & utrobiq; archivum servari debere statuit Synodus, ita forte ut in metropoli authentica documenta, in primâ sede exempla reservarentur; idq; factum videtur propter contentiones, quæ intercesserunt tūm temporis inter Xantippum Constantiæ & Victorinum alterius civitatis Numidæ Episcopos. Carthaginis tamen primatus loco affixus fuisse videtur, propter splendorem urbis, cuius respectu caput reliquorum primatum omnium dīci meruit. Et hanc sententiam optimè comprobant verba Leonis IX. Papæ in epist. 4. De Africæ primatibus aliter intelligendum est, quia in singulis ejus provinciis antiquitus primates instituebantur non secundum potentiam alicujus civitatis, sed secundum tempus suæ ordinationis, quibus tamen omnibus præerat unus scil. Carthaginensis Episcopus, qui etiam non incongrue dici potest metropolitanus. Mihi nunc unicē id videtur obstante, quod Xantippus Constantiæ Metropolis dicitur fuisse Episcopus, & nihilominus tamen idem ille etiam primæ sedis Numidæ vocatur Episcopus c. 85. & 86. ut adeò Constantina ipsa pro primâ sede habita fuerit, nisi dixerimus, non tām civitatem, quām ætatem Xantippi, qui propterea sanctus Senex dicitur c. 90. Africano, Constantiæ hoc attributum dedisse, ut prima sedes diceretur, h.e. ut non metropolis tantum esset, sed etiam prima sedes, quoad Xantippus viveret.*

VII. In Galliis verò longè alias fuit significatus vocabuli Primatis. Tales enim dicebantur, non qui singulis provinciis præerant Metropolitanū, sed qui ex duabus aut pluribus provinciis primam quamq; regebant, ac pluribus metropolitanis præsidebant. Atq; isti tales jura patriarchica habebant, & patriarchæ etiam quandoq; dicebantur ; Ita ut in veterum scriptis pro iisdem habeantur primas dioeceseos, Patriarcha dioeceseos & exarchus dioeceseos. Ex quinq; Lugdunensibus, qui primæ Lugdunensis metropolitanus antistes fuit, idem quoq; reliquis Lugdunensibus jure ac nomine primatis præfuit, atq; etiam patriarcha dictus est. Sic ex duabus Aquitanis primæ Aquitania Præful, Bituricensis Episcopus primas & Patriarcha olim dictus est, atq; ita etiam hodieq; dicitur. Et sic quidem usu primūm invaluerat, ut ex primarum provinciarum dignitate dignitas etiam accesserit earundem prælibus, ut qui scil. primæ cuilibet in unāquāq; dioecesi provinciæ præfasset, toti etiam dioecesi velut præfesse censeretur, ac totius quoq; dioecesis primus episcopus vel primas diceretur. Sed cum alii quoq; metropolitani, qui primam provinciam non regebant, primatis nomen affectarent, cautum fuit à Karolo Magno lib. 7. cap. 341. Nulli alii Metropolitani appellantur primates, nisi illi, qui primas sedes tenent, & quos sancti Patres Synodali & Apostolicâ auctoritate primates esse decreverunt

Reliqui

Reliqui vero, qui alias metropolitanas sedes sunt adepti, non primates, sed metropolitani vocentur.

VIII. Invenio tamen etiam in Galliis metropolitanos deinceps primates vocatos fuisse. Cœlestinus apud Hincmarum primatem metropolitos vocat *νόν μητροπολίτην*: Sic ab omnibus provinciæ coepiscopis, qui a primatu sue metropolis ordinantur, convenit secundum sacras regulas obediri, & pro eo Dominum supplicari, quoniam incolumentas præsidentis salus est subditorum. Verum ipsa litera ostendit, primatis vocabulum hic non stare nudè, sed cum adpositione metropoleos, adeoq; in significatu generali. Idem Hincmarus primatem Rhemorum provinciæ se vocat *in opusc.* quod scripsit adversus Hincmarum Laudunensem cap. 16. in fin. Et si aliis primas forte non essent, tibi tamen apud te primas esse debueram, nam signaculum primatus mei tu es, quem sine interrogatione primatis alterius, cum consensu coëpiscoporum Remensis provinciæ potui ordinare Episcopum, qui me tunc vehementer ac inhianter cupiebas esse primatum totius provinciæ, tantum, ut vel in uno oppidulo posset esse Episcopus &c: In verbis antecedentibus dixerat: *Velis nolis, sanctus Hormisdas Papa tibi ostendet, Primatem esse hujus provinciæ illum, qui in sede beati Remigii apud Remorum metropolin est ordinatus Episcopus.* Sed potuisset nō fallor Remorum Archiepiscopus etiam simpliciter non habito respectu ad Episcopatum Laudunensem sibi subjectum Primas appellari, quandoquidem ipse Hincmarus *in epist. ad Nicolaum Papam* refert, Ecclesiam Remensem propter privilegium, nunquam excepto Romano Pontifice primatem habuisse, adeoq; jure optimo convenire ei potuit descriptio Primatis, quam ipse ex Ecclesiæ canonibus & decretis suppeditat *in diff. opusc. cap. 17.* eosdem scil. metropolitanos primates esse singulos singularum provincialium, qui ex antiquâ, ut præmisimus, consuetudine & Apostolicâ traditione, secundum sacros Nicænos Canones & convocare Synodos, & ordinare Episcopos, & ordinari a provincialibus Coëpiscopis sine cuiusquam alterius primatis interrogatione possunt, & disponere regulariter quæq; per suas provincias queunt.

IX. Ab his vero primatibus in verbis sequentibus Hincmarus distinguit metropolitanos alios, dum ait: *Illi autem Archiepiscopi, vel metropolitani, qui hec sine consultu primatis non possunt ex equi, Archiepiscopi tantum vel Metropolitani habentur, sicut & in gestis Chalcedonensis Concilii, & in ejusdem Synodi canonibus & decretis Innocentii, & in epistolâ Leonis ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum invenimus &c:* Secundum hanc sententiam primates dici non potuerunt illi, qui Alexandrino & Antiocheno Patriarchis subjecti erant Metropolitanæ, quippe qui nec ordinari, nec ordinare alios, sine præscitu Patriarchæ sui, poterant. Sed nec in Occidente quidem metropolitani alii primates dici potuerunt, nisi pauci quidam inter Gallos & Hispanos, cum tamen supra docuerimus, inter metropolitanos illuni, qui pri-

mam in provinciā tenuit sedem, quicq; adeò in concilio provinciali præsedit, primamq; dixit sententiam, primatum dictum fuisse.

X. Imò adhuc tertium genus primatum refert Hincmarus, Patriarcharum scil. strictè ita dictorum, quales sunt Episcopus Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus, quos ait contra primam & Apostolicam sedem sese extulisse. Unde discriben hoc hauerit Hincmarus, optimè exponit Petrus de Marca *de primatib. s. 24.* itemq; *de concord. sacerdot. & imp. lib. 6. c. 4. n. 10.* Id verò certum est, non solum qui diœceses Ecclesiasticas integras regebant, diœceseon primates aut exarchos dictos fuisse, sed etiam, qui provincias administrabant, earum nuncupatos fuisse, quibus præerant, provinciarum primates & exarchos, sumpto vocabulo exarchi & primatis in significatu communi, pro eo qui primus est in ordine. At si statum & dignitatem eorum in particulari, & prout sese illi habuerunt in Oriente, in Africâ, & apud Gallos, consideremus, fatendum est, Patriarchas sive primates in Ecclesiâ Orientali quoad dignitatem haudquam comparari posse cum Metropolitanis, qui primates dicti fuerunt, in Ecclesiâ Africanâ. Vid. Paulus Dumay ad Innocentii III. epist. 45. lib. 15. cùm illi utique multo potentiores fuerint & plurimum provinciarum, hi unius tantum primates.

XI. Denique etiam illud notandum, provincias olim, cùm simplices essent, plerasque postea ex Principum dispositione in plures dividi cœpisse. Hinc verò orta cognomina, ut aliæ primæ dicentur, aliæ secundæ, tertiaz, & ita deinceps pro numero provinciarum. Ita Aquitaniæ duæ fuerunt. Prima, cuius caput Bituriges: Secunda, cuius caput Burdegala. Semper autem divisis provinciis pars illa primæ nomen obtinuit, cui Metropolitanus obtigit, quæ totius provinciæ ante divisionem caput erat. Sic enim Narbonensis prima dicta est, in quâ Narbo, Lugdunensis prima, in quâ Lugdunum, Aquitania prima, in quâ Bituriges. Inde & primatum origo. Nam primarum provinciarum Metropolitanus primates erant reliquarum ejusdem nominis provinciarum. Sicut enim Lugdunensis Episcopus Primas est quatuor Lugdunensium, sic Bituricensis utriusque Aquitaniæ. Atque ita fermè observatum in aliis provinciis, cùm ex unâ plures fiebant, ut in eâ primas esset, quæ prima & antiquissima inter metropoles erat.

XII. Sicubi ergo primatis aut Patriarchæ nomen occurrit, probè attendendum est, de quâ parte terrarum aut provinciâ sermo sit. Est enim etiam inter eos, qui Patriarchæ dicuntur, differentia, quam notat Justinianus in l. 29. C. de episcopali aud. in fin. quoniam quidam sunt sanctissimi Patriarchæ, qui in provinciis, in quibus existunt, metropolitanorum officium gerunt: aliis per totam diœcesin episcoporum metropolitanorum, atque aliorum, qui sub eis sunt, ordinationes faciunt. Primatis vocabulum, nî fallor, rectius adhibuisset Justinianus pro Patriarcha, quanquam Patriarcha etiam suo modo dici possit.

fit primas, & primas vicissim Patriarcha. Igitur recte duas primatum species statuit Justinianus, quoad ordinationem scil. ita ut alii secundum eam veri tantum sint metropolitani. Quemadmodum ipse Justinianus addit: *Ils enim iure metropolitanus vocatur, qui in Episcopos minores ex sacris regulis eam potestatem habet.* Alii vero magis proprie Patriarchæ dicuntur. Sed & inter Patriarchas & inter metropolitanos adhuc est differentia, & de illis quidem supra abunde egi. De his vero mox pleniū erit agendum.

XIII. Seculo octavo & nono videtur id studiosè cautum fuisse, ut Primatis nomen non alii tribueretur, nisi solis primarum sedium Patriarchis. Verba ex Capitularibus Karoli Magni adduxi supra. Ea desumpta videntur ex canonibus octoginta, quos in gratiam Ingelramni Episcopi Mediomatricis collegit Hadrianus primus Papa, & recensentur *Tom. 3. concil. pag. 292.* Inter illos canon ad præsens negocium faciens his verbis conceptus est. *Nullus Archiepiscoporum, nisi qui primas sedes tenent, appelletur primas aut princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantum ille, qui in metropoli sedet aut metropolitanus aut Archiepiscopus vocetur, & suum in canonibus præfixum non excedens teneat cum humilitate modum.* Et ille qui primam sedem retinet, tantummodo primæ sedis appelletur *Episcopus, salvus semper in omnibus autoritate B. Petri Apostoli.* Et hic ipse canon per modum ampliationis prolixior factus coincidit cum *canone 39.* in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ. Nec videtur sane, quod apud Africanos in usu fuit, applicari potuisse ad alias provincias occidentales. Et idem tamen apud Pseudo-Isidorum, qui circa initium Seculi IX. commentarias Pontificum consarcinavit decretales, insertum fuit epistolæ Pseudo-Anacleti secundæ, Pseudo-Stephani secundæ, Pseudo-Felicis primæ, c. 12. & Pseudo-Julii secundæ c. 12. Verba Pseudo-Felicis II. optimè omnium explicant, quid eo tempore agitatum fuerit. *Primates, inquit, illi & non alii sint, quam qui in Nicenâ Synodo sunt constituti.* Reliqui vero, qui metropoles tenent sedes, *Archiepiscopi vocentur, & non primates, salvus in omnibus Apostolicæ sedis dignitate, quæ & ab ipso Domino concessa & postea à sanctis Patribus roborata.*

XIV. Sed huic decreto idem id contigit, quod in simili causâ alteri alicui sententia à Gelasio Papa insinuatæ, quis sedes ita proprias Patriarchis primariis fecit, ut de his tantummodo eas dici vellet, de aliis omnibus five metropolitis five Episcopis usurpari hoc nomen negaret. Neutrum scil. receptum & observatum fuit. Nam & sedes tūm de patriarcharum, tūm de metropolitanorum tūm denique de simplicium Episcoporum thronis pasivitus apud Latinos usurpata fuit; & pasim in Europâ primates semper appellati sunt, quicunq; primas sedes tenerent tām in dicecibus, quam in provinciis, hoc est, tām exarchi diceceleton, quam provinciarum tām Patriarchæ, quam metropolitani. Per Gallias soli primarum in unāquaque dice-

diocesii sedium Rectores, dicti sunt Primates. In Africā verò, quotquot erant metropolitani, ita vocari mos fuit, uti supra ostendi.

XV. Eadem est conditio nominis Archiepiscopi, quippe quod interdum Patriarcham, aliquando autem & ut plurimum quidem metropolitum denotat. Distinctionis causâ sèpè conjungitur cum vocabulo Patriarchâ, uti id occurrit in actis concilii Chalcedonensis. Sic enim concepti leguntur libelli Theodori diaconi, Ischyronis diaconi, Athanasii presbyteri, & Sophronii Christiani in inscriptione: *Sanctissimo & beatissimo universali Archiepiscopo & Patriarchae magnæ Urbis Roma Leoni, a.d. 3.* Sic & Justinianus Imperator novellæ 67. hanc dedit inscriptionem: *Imp. Justinianus Aug. Menne sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo Constantinopolitano & Universi ejus tractus Patriarchæ. Eundem in Novell. 59. c. 3. appellat sanctissimum Archiepiscopum & Patriarcham, & cap. mox seq. beatissimum Archiepiscopum & universalem Patriarcham. Ejusdem in novell. 8. post cap. 14. refertur edictum scriptum in omni terrâ Deo amabilibus Archiepiscopis & sanctissimis Patriarchis.* Similiter & in novellâ 7. hæc habetur inscriptio: *Imp. Justinianus Aug. Epiphanio sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo felicis hujus civitatis & ecumenico Patriarchæ.* In quibusdam exemplaribus additur: *& Patriarchæ Constantinopolitano.* Significantiūs verò, quos intellectos velet, exprimit in novell. 123. c. 3. Jubemus igitur beatissimos Archiepiscopos & Patriarchas, hoc est, Senioris Romæ, & Constantinopoleos, & Alexandriae, & Theopoleos, & Hierosolymorum, &c.

XVI. Sed & quando absolute & nudè stat nomen Archiepiscopi, sèpè illud non alium nisi Patriarcham significat. Valentinianus & Martianus Imperatores Leonem Pontificem Romanum ad Concilium Chalcedonense invitant cum hæc inscriptione: *Victores Valentinianus & Marcianus, glorioi triumphatores, semper Augusti, Leoni reverendissimo Archiepiscopo gloriose civitatis Rome.* Et ipsa Synodus in Relatione ad eundem taliter eum appellat: *Sanctissimo & beatissimo Romanorum Archiepiscopo Leoni.* Ita & Justinianus Imperator novell. 55. & trib. seq. Mennam vocat Archiepiscopum Constantinopolitanum, quem tamen Patriarcham alibi appellasse diximus. Et in novell. 40. Petrum vocat sanctissimum & beatissimum Archiepiscopum Hierosolymorum. Et certè, si originem vocabuli spectes, nemo Archiepiscopus commodè magis dici potest, nisi qui supremus & *αὐτοκέφαλος* est, & pluribus aliis sibi subjectis præest, quales fuerunt primarii illi quinque Patriarchæ, & qui post eos jura patriarchica habuerunt. Si quis enim supra metropolitanorum fortem & conditionem electus fuit, nisi is forte sola *περισσεῖα τῆς πονήσης* accepit, Patriarcha & fuit revera, & dici commodè potuit. Non agnovit Justinianus plures quam tres Episcoporum gradus, uti patet ex epilogo novellæ 6. ubi ait: *Sanctissimi Patriarchæ unius cuiusque diocesis hæc proponant in ecclesiis sub se constitutis, & manifesta faciant*

Deo amabilibus metropolitis, quæ à nobis constituta sunt. Illi quoq; rursus etiam ipsi proponant ea in metropolitanâ sanctissimâ Ecclesiâ, & constitutis sub se Episcopis hæc manifesta faciant. Illorum vero singuli in propriâ Ecclesiâ hæc proponant: ut nullus nostræ Reip. ignoret, quæ à nobis disposita sunt. add. Novell. 79. c. 2. Dum ergo idem Justinianus Antistitem primæ Justinianæ patriæ fuz in eum dignitatis gradum extollit, ut non solum metropolitanus, sed etiam prout ipse loquitur, Archiepiscopus fiat, & cæteræ provinciæ sub ejus sint autoritate novell. 11. quid aliud agit, quam quod eum Patriarcham esse jubet? Si enim metropolitanus non est, sed supra metropolitanos positus, fuerit utique Patriarcha, cum inter Patriarchas & Metropolitas nullus ex ejus ipsius sententiâ sit gradus. Et habuit sanè Antistes ille plures sub se metropolitanos, quos ipse commemorat Justinianus.

XVII. In Africâ Archiepiscopi vocabulum, nî fallor, prorsus odiosum fuit, nec usurpatum unquam legitur, ne quidem de Carthaginensi Episcopo, qui tamen primus erat omnium & veluti Patriarcha. Neque vocabulum istud in collectione canonum Ecclesiæ Africanæ uspiam occurrit. Quin potius can. 39. constitutum est, ut prime sedis Episcopus non appelletur princeps Sacerdotum aut summus Sacerdos, aut aliud hujusmodi, sed tantum prime sedis Episcopus. At quid est ἀρχιεπίσκοπος vel ἀρχιεπεύς, nisi princeps Sacerdotum & Episcoporum, ὁ ἀρχων τῶν ερέων, ἡ τῶν ἀποστόλων? Utique ergo etiam ab hoc titulo abstinuerunt Africani, quod superbum quid ac πρωτεῖστος contineret, & primatis voce uti maluerunt ad significandam dignitatem Ecclesiasticam, eo quod primus in ordine non illico principatum aut superioritatem aliquam denotet, sed inter æquales etiam primus aliquis ut sit, præfertim in collegio aut consortio aliquo, ipsa exigat naturalis ratio.

XVIII. Fuerunt tamen etiam in Græciâ Archiepiscopi quidam, qui exarchi non erant, neq; diœceseos neq; provinciæ, ideoq; nec patriarchæ, nec metropolitica διαίται habebant, sed infra metropolitanos positi nec episcopis quidem præerant, & minus erant quam metropolitæ. Hujusmodi Archiepiscopi in Patriarchatu Constantinopolitano Leone Philosopho imperante triginta novem fuere, metropolitani vero octoginta, uti patet ex notitiâ ab eodem Leone descriptâ apud Codinum Europolatam pag. 379. Originem istorum Archiepiscoporum Autor eucharistici de region. & Ecclesiæ suburbicari. part. 2: c. 5. arcessit ex canone Concilii Chalcedonensis 12. sed ex vetustissimo libro Thuanæ bibliotheca emendato, & in hunc modum descripto: Quæcunq; vero civitates jam per sacras literas nomine metropolitano funguntur, ipse solum honorem consequantur, & is qui huic Ecclesiæ præst Episcopus, vocetur Archiepiscopus, salvo utiq; proprio jure, quod revera metropolitanæ convenit civitati. Certum est, verba illa, vocetur Archiepiscopus, nusquam

piam alias legi, neq; in Græcis neq; in Latinis exemplaribus, si tamen omittantur, videri sententiam canonis planè hiulcam ac deficientem; insertis vero illis optimè cohædere omnia, nempe Archiepiscopos vocari debere illos, qui veri non erant metropolitani, sed in inferiori classe constituti, eò quod civitates, quibus præsidebant, noviter ab Imperatore per pragmaticam sanctionem in metropoleon numerum enectæ essent. Non ergo aliam nisi honoris prærogativam habebant, secundum quam primi post metropolitam erant Episcopi. Quo pertinent verba in Theodori Balsamonis responso, de patriarcharum privilegiis, quod habetur in Jure Græco Romano ab Johanne Leunclavio edito tom. I. pag. 442. Gothia quidem Antistes non propterea vocatur Archiepiscopus, quod Episcorum princeps Et Ordinator sit, sed tanquam principium Episcorum. Quippe sanctis a patribus est sancitum, ut eæ dicentes, que multas habent Urbes sub Episcorum gubernatione constitutas, a metropolitani administrantur: quos etiam ipsi canones appellant primos. Que vero sub se non habent urbes alias, episcorum regimini subditas, archiepiscopos habent pontifices: ut inferiores hæ quidem sint metropolibus, at episcopatibus superioribus.

XIX. Atq; id quidem ita, uti exposui, in Oriente receptum erat. In Occidente vero mos invaluit, ut metropolitani omnes Archiepiscopi dicentur. Quo tempore autem ita vocari cœperint, incertum adhuc est. Primam eorum mentionem invenio factam in Concilio Matisconensi anno DLXXXI. habito, can. 6. In concilio enim Turonenſi II. quod anno DLXX. celebratum fuit, itemq; in Lugdunensi primo, & Bracarensi secundo, quæ deinceps secuta sunt, Metropolitani adiuc dicuntur, non Archiepiscopi. In synodo autem Svesionensi anno DCCXLIV. Pipinus Dux & Princeps Francorum plurima dispositus ad externam disciplinam facientia. Inter alia ait: Id circò constituimus per consilium Sacerdotum Et optimatum eorum, Et ordinavimus per civitates legitimos Episcopos. Et id circò constituimus super eos Archiepiscopos Abel Et Ardobertum, ut ad iudicia eorum de omni necessitate Ecclesiastica recurrerent tam Episcopi, quam aliis populus, Et: Ab eo tempore Archiepiscopi nomen saepius occurrit, & ei tribuitur, qui alias metropolitanus sive apud Græcos exarchus Επίσκοπος h. e. provinciæ dictus fuit, sive ut Justinianus explicat l. 29. C. de episc. aud. qui in episcopos minores ex sacris regulis potestatem habet. Hic enim propriè dicitur metropolitanus. Impropriè vero & honoris tantum causâ metropolitani dicebantur olim nonnulli, qui nullas sub se habebant provincias, nullos Episcopos. Atq; hic nec Επίσκοποι dicebantur, propterea quod Επίσκοποι, h. e. provincias, quas regerent, nullas habebant, & metropolitano provinciæ, ut alii episcopi, suberant, & honore solo metropolitico gaudebant, quos etiam Archiepiscopos dictos fuisse, paulo ante notavi.

XX. Metropolitanoꝝ à metropoli provinciæ, in quâ ledem habent, vocari, ipsa vocis similitudo comprobat. Urbes scil. distinguebantur Romanis in maximas, majores, & minores, *l. 6. §. 2. ff. de excus. tutor.* quarum quæ maximæ, metropoles erant. Dicebantur etiam provinciarum capita, *l. 7. ff. de off. Procons.* Metropoles autem exinde, quod sint quasi matres reliquarum urbium, vel quod inde coloniæ deducuntur, vel quod sint præcipuæ inter reliquas civitates, quibus propterea honor & reverentia debeatur. In dignitate enim constituitur Urbs, quæ in metropolin evehitur, *l. un. C. de metropol. Beryt.* Sedes in illis suas habebant provinciæ præfides, Vicarii, Rectores. Et quia vetus Ecclesia πολιτικῶν suam plerumq; ad civilem Reip. formam instituere solita fuit, inde factum, ut qui in metropoli tali federet Episcopus, præ cæteris totius provinciæ Episcopis præcipiuſ effet, ut reliquorum caput. Τοῖς γὰρ πολιτικῶν καὶ δημοσίοις τύποις καὶ τῶν Ἐκκλησιαστῶν παροικῶν η τάξις αἰνολαβεῖται. Civiles & publicas formas ecclesiasticarum quoq; paroeciarum ordo consequatur, uti legitur in Concilii Chalcedonensis can. 17.

XXI. Ita, exempli gratiâ, Pontica diœcesis suum habuit Vicarium, cuius jurisdictioni suberat Galatia, Pontus & Cappadocia. Sedes ejus constituta fuit Cæsarea in Cappadocia, Mazaca primum dictæ, quam etiam Cappadocum Reges olim elegerant, ut ibi Regni Lares figerent, quia gentis erat velut umbilicus. Hæc ergo Cæsarea etiam in rebus Ecclesiasticis jus metropoliticum exercuit per diœcesin Ponticam, imo non metropolitanum tantum, sed etiam Patriarchicum. Fuit enim Cæsareensis Episcopus exarchus totius diœceseos Ponticæ. Reliqui in singulis provinciis ei subiecti metropolitani erant, & in Occidente Archiepiscopi dici potuerunt. Ita in Thracicâ diœcesi tot erant Ecclesiasticæ metropoles, quot ex notitiâ Imperii constat, fuisse provincias, nempe sex numero: In Asianâ undecim, & sic porrò.

XXII. Quia verò ex dispositione Imperatorum fieri quandoq; solebat, ut provinciæ dividerentur, & duæ metropoles constituerentur, aut etiam ex aliâ aliquâ causâ contentiones inter Episcopos circa jus metropolitanum oriebantur, factum inde, ut potestas ab honore secerneretur sè pè numero, & alteri μὲν πετρᾶν τὸν πατήσ, alteri verò εἰς σταύρον, sive πετρᾶν simpliciter adjudicarentur. Qui Georgii Codini Curopalatae notitiam metropoleon, quæ Patriarchæ Constantinopolitano sub Andronico Palæologo paruerunt, perlustrat, tres inveniet classes metropolitanorum. Prima est eorum, qui metropolitani simpliciter dicebantur. Hi nec ullis Episcopis præerant, nec ullam provinciam sub se habebant. Honorarii tantum erant metropolitæ & ὑπερέπους duntaxat inscribebantur, non etiam exarchi quandoquidem nullam exarchiam habebant, h. e. nullam provinciam, cuius

cujus exarchi dici possent. Tales sunt, quos apud Græcos Archiepiscoporum nomine venire dixi supra. Secunda clasfis est eorum, qui ἔξαρχοι κατέρπιμοι dicebantur, alias ἔξαρχοι τῶν ἐπαρχιῶν, qui singulas provincias regebant, & non πρεσβεῖα tantum τὰ πυῆς habebant, sed etiam ἔξοιαν. De his duabus clasibus sub speciali hâc inscriptione agit dicta Notitia: Περὶ τῶν τάξεων τῶν θρίων τῶν μητροπολιτῶν. Tīves αὐτῶν λέγονται ἔξαρχοι κατέρπιμοι, tīves κατέρπιμοι μίνον. De ordine thronorum metropolitanorum, quinam ex illis dicantur Exarche & Hypertimi, & qui κατέρπιμοι tantum. Postquam autem exarchos & hypertimos recensuisset concludit: Μέχρι τέταυ οἱ ἔχοντες τὰς ἔξαρχίας. Οἱ δὲ λοιποὶ πάντες μητροπολῖται κατέρπιμοι μίνον χαροφόνται, καὶ εἰς ἔξαρχοι. Hactenus de illis, qui exarchias habent. Reliqui omnes Metropolite & Hypertimi solum titulo afficiuntur. Tertia clasfis est eorum, qui κατέρπιμοι κατέρπιμοι, καὶ ἔξαρχοι dicebantur, quasi dicas metropolitæ metropolitarum & exarchi diœceseon, qui non singulis tantum provinciis, sed integris diœcesibus, honore saltem ac nominetenus præsidebant, quales fuerunt Ponticæ, Thracicæ & Asianæ diœceseos exarchi, postquam Patriarchæ Constantinopolitano subiecti fuerunt. Eorum mentionem facit Notitia statim ab initio: Οἱ Καισαρεῖας Καππαδονίας, κατέρπιμοι τῶν κατέρπιμων, καὶ ἔξαρχοι πάντες ανατολῆς. &c.

XXIII. Jus metropoliticum alias vocatur τὸ κύρον. Idq; potissimum in potestate ordinandi Episcopos comprovinciales, tūm & in potestate convocandi synodus se exferit. Adeo, ut si tale nihil competat Metropolitano, ακύρως nomen istud ei competere, jure dixeris. Sed & potestas ordinandi non apud omnes eodem modo se habuit. Fuere enim, qui nullius Patriarchæ præmisso vel requisito consensu cùm ipsi ordinabantur a comprovincialibus Episcopis, tum Episcopos subjectarum sibi ac suffraganeorum civitatum ordinabant. Quo jure olim ac more usi Italiæ, Africæ, Galiliarum, Hispaniarum, & totius Occidentis metropolitani, & magnâ ex parte Orientis, qui quantum ad hoc αυτοῖς omnes erant, licet aliis primatis subessent, quibus id honoris & prærogativæ concessum fuit, propter provinciæ primariæ, cui præsidebant dignitatem, ut totius diœcefis primates dicerentur. Alii vero Episcoporum quidem sibi subditorum liberam nec ab ullius Patriarchæ autoritate dependentem ordinationem habuere, sed ipsi a Patriarchâ, qui toti diœcesi præerat, ordinabantur, & sic penè ad plenum illi Patriarchæ subjacebant, a quo τὴν χειροτονίαν acciebant. Tales erant sub Patriarchâ Constantinopolitano Asianæ diœceseos Ponticæ & Thracicæ metropolitani omnes, cum exarchis tribus illarum diœceseon, postquam Regiae Urbis Sedi subjecti fuerunt. Alii porro metropolitani penitus & ad plenum Patriarchæ illius, cui subjacebant, jugum & impe-

imperium subiere. Nam nec ipsi ordinari, nec suorum Episcoporum ordinationem facere sine consensu & conscientia Patriarchæ dioceseos poterant, nec quicquam omnino gerere aut administrare in propriâ provinciâ, sine ejus auctoritate. Idq; axioma habuit in primis Patriarcha Alexandrinus, ut nihil rerum geri in totâ Ægypti diocesi potuerit, nullus Episcopus creari constituiq; ipso inconsulto, uti patet ex canone Niceno sexto, & Chalcedonensi trigesimo.

XXIV. Quod synodorum célébrationem attinet, certum est, Episcopos provinciæ non posse convenire sine consensu metropolitani. Idq; ita definit Concilium Antiochenum *can. 20.* Metropolitano *provinciales Episcopos admonente.* --- *Nullis verò liceat per se Synodos celebrare sine iis, quibus metropoles credite sunt.* Et talis synodus, quæ convocante & præsente metropolitano coit, dicitur perfecta, *can. 16. eod.* Perfecta verò *Synodus ea existimatur, cui provincie Metropolitanus interfuerit.* Nec potest sanè aliter naturalis ordo conservari, posito, metropolitanum supremum esse in suâ provincia Episcopum, & habere *τὸν κύρωτον.* Ordo enim ille superiores & inferiores continet, quorum alii imperant, quisq; scil. suo modo, alii parent. Nec possunt ergo, qui parere debent, quales sunt Episcopi inferiores, involare jura imperantis, h.e. metropolitani sui. Et si convenerint ergo illi sine jussu vel consensu metropolitani sui *απάκτως* id fieri, & inter collegia prohibita conventum istum censeri debere meritò dixerim: præsertim cum ad illum, non ad Eyiscopos suffraganeos pertineant negotia totius provinciæ. Sic enim statuunt iidem Antiocheni Patres *can. 9.* Episcopos, qui sunt in unâquâq; provinciâ scire oportet, *Episcopum qui metropoli præfet, curam & sollicitudinem totius provincie suscipere.* --- *Unde placuit, eum quoq; bonore præcedere, reliquos autem Episcopos nihil magni momenti sine ipso agere secundum antiquum à patribus nostris constitutum canonem:* aut ea tantum quæ ad uniuscujusq; parœciam pertinent, *& regiones quæ ei subsunt.*

XXV. Quanquam verò Synodus provincialis coire non poterit sine Metropolitanu jussu & consensu, & illius etiam in eâ præcipua fuerit autoritas, constituere tamen omnia ex communi comprovincialium & suffraganorum suffragio oportebat. Nec enim perinde se in Synodo habebat Metropolitanus, uti princeps secularis in comitiis statuum suorum, ut auditis tantum eorum sententiis, ipse nihilominus liberè deinceps, quod sibi optimum visum fuerit, penes se statuat & decernat; sed tenetur Metropolitanus suffragia exquirere, & ex pluralitate eorum decernere. Ideoq; dicitur in dicto Canone Antiocheno 9. *in fin.* Τὸν ἐν τῇ μητροπόλει πρεσβευτὴν Ἐπίσκοπον μηδὲν πεῖτεν ὅπιχαιρεῖν ἀρευ τὸν λοιπὸν (Πλιούσπων) γνώμην, *Metropolitanum nihil debere agere sine reliquorum sententiâ.* Quod quidem non ita intelligendum est, ac si metropolitanus ad levissimam quamque litem

Item dirimendam debeat omnium suffragia rogare & colligere aut Synodum convocare; sed explicari id debet de rebus magni momenti. Ne dixeris, inquit Theodorus Balsamon ad can. 34. Apostol. esse intelligenda de omnibus, quae ab illo facienda sunt, sed de iis tantum, quae sunt magni momenti. Si enim hoc dixeris, is qui ordinat ei, qui ordinatur, suberit, cum is quidem omnino prohibeatur absq; sententiā eorum, qui ei subsunt, aliquid agere: illi vero Primi presentia ad ea tantum, quae sunt magni momenti opus habeant, quod est absurdum.

XXVI. Quod vero saepiusculē dictum haec tenus est, Episcopos provinciales subjectos esse metropolitano & exarcho τῆς ἐπαρχίας, id non ita accipientium est, ac si in eos absolutam habeat potestatem metropolitanus, ita ut judicare eos aut condemnare, aut quicquam in eorum dioecesi- bus pro llibitu constituere queat. Tale enim quid nihil potest extra Syndicū & sine Suffragio Episcoporum comprovincialium, uti in primis id patet ex caus. 9. q. 3. apud Gratianum. Si enim, inquit Ivo Episcopus Car- notensis epist. 83. concessum fuerit, ut metropolitanus in Ecclesiis comprovin- cialibus absq; consensu Episcoporum, qui eis præsunt, quicquid voluerit, valeat im- perare, clericos earundem judicare, vel ab officio suo suspendere, dignitati Episco- porum indigna siet violentia. Et autoritati sanctorum Patrum ruinosa injuria. Sed ejus potestas administrandi in primis in eo conspicitur, quod, quicquid de comprovincialium Episcoporum causis, eorumq; Ecclesiarum & Cleri- corum atque secularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc communī consensu comprovincialium agatur pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humili atque concordi administratione c. nullus 9. q. 3. ita tamen, ut metropolitanus directorium habeat, & exsequendi fa- cultatem. Nec male proinde Ivo d. l. & alibi saepius, epist. scil. 60. 65. 236. utitur verbis Nicolai Papæ ad Radulfum Bituricensem Archiepiscopum: Primates enim vel Patriarchas nihil privilegii habere præ ceteris Episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, & præsca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus; ita ut secundum Nicenas regulas sua privilegia serventur Ecclesiis.

XXVII. Multo ergo minus excusari poterunt Archiepiscopi illi, qui dominatum aliquem in sebe subjectos Episcopos affectant, eosque tantum non servos faciunt. Eâ de re conqueritur Petrus Venerabilis Abbas Clu- niacensis lib. 5. epist. 5. Unum tamen, inquit, absq; omni penè conditione pro- fero, non videri mihi Burdegalensis Metropolitanus in hâc Engolismensi electione gressus rectos, oculum simplicem. Sed magis in eâ querere, quae sunt mercenarii, quam pastoris, quae sua sunt, quam quae Jesu Christi. Et, ut filiali præsumptione loquar, & quae ab universis penè partium illarum & nostrarum dicuntur, vobis ut Patri nota faciam. Vult, ajunt, Burdegalensis ita sibi subdere Engolismam, sicut subdidit Xantonas: ut in Ecclesiis illis non tam habeat Episcopos, quam ministros, non tam præsules, quam sibi in omnibus obsequentes. Hoc est, ajunt, ejus propo- situm,

pium, hæc intentio, hæc in iis religio: ut expensis propriis parcat, & suffraganeis Episcopis, ut capellanis utens, non suum sed eorum penu exauriat.

XXVIII. Ridiculum est, quod ex Archiepiscopatu in Regno existente aestimari debeat majestas Regis. Et tamen hæc ipsa causa fuit, ut Ecclesia Pragensis simplicis antea Episcopatus titulo decorata in Archiepiscopalem deinceps sedem eveneretur. Rem gestam exponit Johannes Bertelius Abbas Epternacensis in *histor. Luxemburg.* Johannes Rex Bohemiæ excommunicatus fuerat ab Nankerio Episcopo Vratislavensi propter occupatum castrum aliquod ad Ecclesiam Wratislavensem pertinens. Inter alia acerbiora verba Nankerus Johannem non Regem sed Regulum esse dixerat. *Misericorditer Rex duobus ex primariis aule sue ministris ad Nankerum Episcopum interrogari eum jussit, quam ob causam Reguli nomen ei imponens Regem esse negasset.* Respondit Episcopus, minimè Regis maiestate pollere eum, qui in Regno suo metropolitanum Praesulem nullum haberet, & qui pro inauguratione suâ prece & pretio aliunde sibi conduceret Archiepiscopos, quod cùm in hunc quadrare nullus ignoret, meritò non Regem, sed per diminutivum eundem esse appellandum Regulum & omnium Christianorum Regum minimum affirmabat. Hoc sermone commotus Rex omni deinceps studio curavit, ut Episcopatum sui Regni aliquis in Archiepiscopatum proveheretur, prout postea per Clementem VI. Pontificem Ecclesia Pragensis nomen hoc accepit. Sed Nankeri istud judicium natum fuit ex absurdâ Canonistarum sententiâ, qui ex Pelagii I. decreto provinciam dicunt esse illam, quæ habeat decem aut undecim civitates & unum Regem & totidem minores potestates sub se, & unum Metropolitanum, aliosq; suffraganeos decem vel undecim Episcopos judices, uti habetur c. scitote 6. q. 3. Sed vix erit, ut sententia ista hodiè aliquem inveniat ad stipulatorem.

CAP. XII.

De Episcopis simplicibus sive in inferiori gradu constitutis.

I.

DE his in genere brevior nunc erit dicendi ratio, quandoquidem specialius deinceps eorum jura & privilegia consideranda venient. Describit autem Episcopum Concilium Antiochenum can. 9. quod potestatem habeat sue parœciae, eamq; administret, pro suo quoque studio ac religione, & curam gerat totius regionis, quæ sue Urbi subest, quodque ordinet presbyteros & diaconos & cum iudicio singula disponat. Parochia sive parœcia, quæ & regio hic dicitur, est tractus ille, qui sub Ecclesiastico Episcopi regimine continetur. Et est quidem parochi & parochiarum nomen antiquum, sed

sed non tam illustri significatione, nec eadem derivatione. Quando enim origo ejus à verbo παρέχω aut παροχώ deducitur, significari per parochos solent illi, qui condescendunt in bijugum currum, & eum ducunt, aut etiam, qui necessaria legatis iter facientibus subministrant. Vid. Jac. Cruqv. ad Horat. lib. 1. Satyr. 5. Differt verò ab hâc parochiâ, parœcia sive παρονία, quæ est plurium domorum vicinia. Παρονία enim est accola, & parœci hinc dicuntur, qui sanum aliquod accolunt, inde παρονία dicitur viciniæ conventus, accolarum coitio & congregatio. Et hinc per extensionem vocabulum istud quasi proprium factum fuit cœtui isti, quibus Episcopus præest, & hinc porro applicatum ad regionem illam & districtum, in quo cœtus iste habitat. Sic Vivariensis parochia dicitur Adoni Viennensis, & Suesfoniensis Rothaldo in epist. ad Nicolaum. Ita & Hincmarus ad Nicolaum: *Quia non solum diœcesis, verum etiam parochia mea inter duo regna sub duobus Regibus babetur divisa.* Id est, non solum provincia, verum etiam Episcopatus Remensis.

II. Talis Episcopus in jure Canonico communiter dicitur Diœcesanus à diœcesi, cuius vocabuli ambiguitates supra exposui. Postquam enim Terrarum orbis, quoque Ecclesiæ Christianæ is patuit, in certas diœceses distributus fuit, unaquæq; diœcesis ad vitandam confusionem certo Episcopo, à quo regeretur, commendata est. & ita quidem, ut extra diœceſeos suæ limites Episcopus ille nihil quicquam posfit, quod quidem regimen & munera Episcopalia concernit. Ex quo deinceps factum, ut nullus crearetur Episcopus, nisi qui certæ diœcesi prius addictus esset. Unde disputatum superiore seculo fuit in Concilio Tridentino, num recte à Pontifice Romano constituantur Episcopi Titulares nullam omnino ecclesiam, cui præfint, habentes. Nec male tūm differuit Episcopus Gvadicensis, esse dignitati Episcopali annexum tanquam rem essentialē, habere locum & diœcesin: Episcopum & ecclesiam relativa esse, sicut maritus & Uxor, quorum unum sine altero esse non potest. Adeoq; naturam contradictionis non pati, ut ulla causa creandi Episcopos titulares dicatur legitima. Eorum ordinationem esse curiæ inventum & figmentum humanum, ejusque apud antiquos nullum cerni vestigium &c. apud Petrum Svavis lib. 8. hist. Concil. Trid.

III. Et fuit sanè hoc tūm temporis artificium Pontificis Romani, ut titulatos ejusmodi Episcopos, Thessalonenses, Philadelphenses, Arimenses, Nazianzenos &c. nullum gregem habentes, nec habituros in Concilium subinde submitteret, augendo factionis suæ numero, & ut prospicerent, ne quid adversus Sedem Romanam decerneretur. In sessione secundâ inter quatuor Archiepiscopos duo erant velut personati, qui Ecclesiæ, quarum titulis honoris tantum ergo à Pontifice donati fuerant, nunquam oculis suis viderant, Olaus Magnus, Upsaliensis in Sveciâ Archiepiscopus

Bb 2

& Ro-

& Robertus Venantius Scotus, Archiepiscopus Armachanus in Hiberniâ. Duos hos Pontifex Romæ aliquot annos eleemosynâ suâ sustentarat, Tridentumq; augendo numero mandarat à Legatis pendere jussos, ut idem refert Svavis lib. 2. Id verò perquam ridiculum est, in locis illis, ubi vel planè nulla est Ecclesia, vel est quidem, sed quæ Pontificem non agnoscit, creari Episcopos. Et is tamen Episcopus, qui ita ordinatur, ut nunquam sit ad eam Ecclesiam accessurus, quo jure Episcopus dicatur, viderit ipse, qui absurdii hujus juris conditor est. Pastor nullum habens neque habiturus gregem, pastor non est; nauta sine nave nauta non est, maritus sine Uxore maritus non est &c. Et Episcopi illi eâ conditione accipiunt titulum, ut ministerium nullum debeat exercere, uti eos perstringit Marcus Antonius de Dominis de Rep. Eccl. l. 2. c. 7. n. 26.

IV. Quandoquidem verò, ut supra diximus, Episcopus ita quasi affixus est dioecesi suæ, ut non possit ab eâ, quod in sequentibus pleniù ostendemus, sine sufficiēte causâ divelli, ubivis quidem locorum, quoad dioecesis ista se extendit, potestatem suam exferere potest, sedem tamen non alibi habere debet, nisi in celebriore ejus dioeceseos civitate. Constitutum id jam diu legitur in Concilio Sardicensi can. 6. Licentia verò danda non est ordinandi Episcopum aut in vico aliquo aut in modicâ civitate, cui sufficit unus presbyter: quia non necesse ibi Episcopum fieri, ne vilesat nomen Episcopi & autoritas. Non debent illi ex aliâ provinciâ invitati facere Episcopum, nisi aut in his civitatibus, quæ Episcopos habuerunt, aut si qua talis aut tam populosâ est civitas, quæ meretur habere Episcopum. Decreti hujus causam Baronius ad ann. 347. n. 49. hanc fuisse conjicit, quod Ariani Ilychram Athanasii accusatorem in pago aliquo Episcopum fecissent, quod pluribus refert Athanasius ipse apolog. 2.

V. Erat verò idem jam ante in Concilio Laodiceno constitutum can. 57. Quod non oportet in vicis & regionibus (sive agris, ἐν ταῖς χωραῖς, in quibus, uti Zonaras explicat, neq; Urbes, neq; ulla hominum frequentia est. Gratianus verò c. non debere dist. 80. pro regionibus, reponit castellis) Episcopos constitui, sed visitatores (ἄλλα περιοδευταῖς. Antonius Contius in notis marginalibus, in Græco legere se ait: Ἡ περιοδευταῖς, & hinc legendum apud Gratianum, seu visitatores, sed rectior forte lectio communis, quam tenet codex Canonum Ecclesiæ universæ à Justello editus, quamq; secuti sunt Commentatores Græci Ballamon, Zonaras & Aristenus) Eos autem qui antehac constituti fuerunt, nihil agere sine consensu Episcopi civitatis. Περιοδευταὶ illi presbyteri erant Episcoporum vicem in peragrandis & visitandis rusticis parœciis sustinentes. Περιοδευταὶ δὲ λέγονται, inquit Zonaras ad hunc can. Διὰ τὸ περιέρχεσθαι ἢ καταβόησιν τὰς περιές μὴ ἔχοντας καθέδρας οἰκεῖας, quod nullibi propriam sedem cathedralmq; habentes huc illuc vagen-

vagentur, ut fideles in fide conservent. Hoc officium inter cætera *niç iερεῦσιν ἀπούλευ*, sacerdotibus sive presbyteris convenire notat Johannes Episcopus Citri in responsis, quæ habentur in jure Græco-Romano lib. 5. Quomodo & in Concilio Chalcedonensi Alexander quidam, *actione 4.* & Valentinus quidam, *act. 10.* uterq; presbyter & *περιστερης* commemoratur. In notis ad Codicem Europolitam de officio Constantinop. cap. 1. quas addit Jacobus Goarus ex Allatianis ē *περιστερης* explicatur, quod sit ē *περιπατῶν καὶ παιδεύματος τῆς θέλωντας Βαπτισθῆναν ὑπόρχεοτε πίστει*. Quod circumambulet, & in orthodoxâ side baptizari cupientes instruat.

VI. Sed revertimur ad propositum, quod fuit, ut ostenderemus, non nisi in civitatibus celebrioribus institui debere Episcopatus. Idem decreta fuit in Concilio Toletano XII. cap. 4. occasione ejus, quod Emeritensis Episcopus Stephanus in Concilio proposuisset, coactum se à Wambâ Principe in monasterio villulae Aquis Episcopum instituisse, ejusque rei veniam petiisset. *Dixit enim* (lunt verba ipsa à Patribus Concilii scripta) violentia Principali se impulsu fuisse, ut in monasterio villulae Aquis, in qua venerabile corpus sanctissimi Pimenii Confessoris debito quiescit honore, novam Episcopalis honoris ordinationem efficeret. Et idèo quia indiscreto & facillimo assensu, injustis Wambâ Principis iussionibus parens, novam & injustam illic Pontificalis Sedis prælectionem induxit, ubi Canonica institutio id fieri omnimodâ ratione refellit, prædictus idem *Vir prostratus humo, medicamine nostri precepti & sibi veniam dari petiit; & quid potissimum oporteret fieri de persona ejus, qui illic ordinatus fuerat, nostri oris sententiâ decernendum poposcit.* Sed quia veraciter in communiter noveramus, prædictum Principem consilio levitatis agentem, non solum præcepisse, ut in prædicto loco Aquis Episcopus fieret, sed etiam ita eum consuetis oblationibus definisse, ut hic in suburbio Toletano in Ecclesiâ Prætoriensis sanctorum Petri & Pauli Episcopum ordinaret, nec non & in aliis vicis vel villis similiter ficeret, idèo *Canonum instituta perlecta sunt.* Quibus perfectis decreverunt Patres, Episcopatum illum prorsus tollendum esse, & addunt: *Jam vero de cætero generale ponentes edictum: Si quis contra hæc canonum interdicta venire conatus fuerit, ut in locis illis Episcopum eligat fieri, ubi Episcopus nunquam fuit, anathema sit in conspectu DEI omnipotentis.* Et insuper tam ordinator, quam ordinatus gradum sui ordinis perdat, quia non solum antiquorum Patrum decreta, sed & *Apostolica ausus est convellere instituta.*

VII. Idem aliquando contigit in Galliâ. Ægidius enim Episcopus Remensis presbyterum quandam, nomine Promotum, insanâ ambitione flagrantem, Episcopum fecerat in Castro Dunensi, qui vicus est in diœcesi Carnotinâ. Pappolus Episcopus Carnotensis indignè id ferens Ægidium accusat in Synodo Parisiensi quartâ. Recongnitâ hunc in modum objurgant Ægidium Episcopi congregati: *Dominus Pappolus Episcopus mediocritati nostræ detulit in querelam, in castro Dunensi, parœciâ deniq; Carnotinâ, quod*

B b 3 castrum

castrum nec ad territorium civitatis vestrae, nec ad vestram provinciam manifestum est pertinere, à vobis contra omnem rationem & contra canonicam disciplinam Episcopum consecratum. Et licet secundum prisca beatissimorum Patrum decreta potuit hujusmodi excessus in vestra injuria acerbius coerceri; sed nos caritatis jura servantes beatitudini vestre indicamus, ut presbyterum ipsum, nomine Promotum, qui omissa severitate Canonicā à vobis dicitur tam temere consecratus, ut justè debeat de gradus ipsius dignitate deponi, sicut Canonum constituta sanxerunt, ad vos evocetis, vel vobiscum retineatis, ut injuriam nec Ecclesiae, nec Sacerdoti suo ulterius debeat irrogare.

VIII. Negari tamen nequit, diversam ejus rei rationem aliquando habitam fuisse, prout scil. cuiusq; loci consuetudo admisit. Neg. enim, ait Sozomenus lib. 7. biſt. Eccl. c. 19. in omnibus Ecclesiis, quamvis eandem fidei doctrinam profiteantur, easdem traditiones per omnia similes reperire licet. Certè in provincia Scythia, quamvis multe Urbes sint, unus est omnium Episcopus. In aliis autem provinciis interdum etiam vici consecratos habent Episcopos, sicut in Arabia & in insula Cypri animadvertis, & apud Novatianos ac Montanistas, qui sunt in Phrygia. &c. Et quot verò leguntur in subscriptionibus decretorum synodaliū nomina Episcoporum, quorum sedes planè ignobiles fuerunt & obscuri nominis? quibus equidem sola hæc gloria relicta fuit, si locum, à quo nulla sibi fama expectari poterat, eruditione & industria suā celebrem redderent. Illud obiter noto, malè colligere ex c. *Salvator de præbend. in extrav. comm.* Petrum Gregorium *de benef. c. 17.* ut singulare, quod quando Episcopatus alicubi ponitur, inde fiat civitas. Quid enim opus fuisset, ne in villis aut pagis constituerentur Episcopi, prohibere, si per constitutionem istiusmodi illicò nascetur ex villâ civitas. Imò vero, ut Pontifex in d. c. Salvator, episcopatus novos instituere posset, disertis verbis villas in civitates erigere oportuit, ne peccaret scil. in antiquos canones.

IX. Utī verò noluerunt Ecclesiæ Doctores, in pagis aut villis sedes Episcopales erigi, ita summo studio caverunt, ne in una civitate duo aut plures Episcopi suas haberent sedes. In antiquissimo Concilio Nicæno canon octauis his verbis concluditur: "Iva μὴ ἐν τῇ πόλει δύο Πρίσκοποι ὁσιοί, ne in civitate duo sint Episcopi. Ad hunc provocat Augustinus epist. 110. quando ait: *Sed cum patre & Episcopo meo sene Valerio, quod in Concilio Niceno prohibitum nesciebam.* Eundem canonem in mente habuit Pacianus Episcopus Barcinonensis, quando in epistolâ ad Sympronianum scribit: *Nec ius nec fas sacerdotii singularis patitur, ut uno eodemque tempore duo sint eiusdem Ecclesiæ Episcopi.* Itemq; Ado Viennenlis in Chronico ad ann. 810. Canonica autoritas est, in una civitate duos Episcopos non esse.

X. Quod si quis Episcopali dignitate insignis propter hæresin loco motus, & instituto interim alio ad Ecclesiam reversus fuisset, aut alias duo Episcopi in eadem civitate quacunque ratione concurrerent, uti post extin-

ctum

Etum schisma contingere solebat, tum alteruter jubebatur vel ruri Chor-
episcopi nomine suburbanas & rurales parœcias administrare, vel solo Epi-
scopi nomine & honore servato primum locum in presbyterio obtinere.
Patet id ex dicto canone 8. Concilii Nicæni, itemque ex Concilii Regi-
ensis cap. 3. quod ita se habet: *Quod ergo in quibusdam schismaticis magis quam
hereticis recipiendis Nicænum Concilium statuit à singulis per territoria sua, hoc
etiam presens conventus in hoc statuit ab omnibus servari debere, id est, ut cuicunq;
de fratribus tale aliquid charitatis concilia dictaverint, liceat ei in unam paro-
chiarum suarum ecclesiam concedere, in quâ aut Chorépiscopi nomine, ut idem canon
loquitur, aut peregrinâ, ut ajunt, communione foveatur. --- Ne unquam in civi-
tatis, nisi sub Episcoporum absentia offerre presumat, nec ordinare vel ultimum
clericum, nec in eâdem quidem Ecclesiâ, quæ illi cujuscunq; misericordia fuerit at-
tributa, nec ulli Episcoporum vel succedente etate, assumpto aliquo in rudimentis
suis bui in aliquo quasi pro etatis reverentia, cedere liceat, nec usquam ipsi quic-
quam de Episcopatibus officiis usurpare, præterquam in Ecclesiâ, quam cujusquam
misericordia fuerit adeptus, in quâ ei solum Neophyto confirmare & ante presby-
teros offerre conceditur.* Et exemplum nobis sicut ipsum Concilium Nicæ-
num in Meletio, de quo videnda ejusdem Concilii Epistola Synodica apud
Theodoreum lib. 1. c. 9. Et aliud in Eustathio quodam Concilium Ephe-
sinum in epistolâ Synodica ad Synodus Pamphyliæ tom. 1. actor. append. 1.
cap. 1. Talis igitur Episcopus omni Pontificali potestate exutus ~~egredias~~
solum habebat & *μην*, honorem & sedem: honorem in nomine Episcopo-
parilem, sedem non Episcopi, sed inter presbyteros primam.

XI. Seculo quarto inter Liberum & Felicem Pontifices Romanos
schisma extitit: Liberius enim eo, quod in Athanasium subscrivere nollet,
in exilium à Constantio Imperatore Arrianis obnoxio missus, & in ejus lo-
cum Felix Romanæ Ecclesiæ Diaconus suffectus fuit: Sed cum populus
Romanus impensè diligeret Liberum, adeo, ut ejus causâ seditione exorta
esset, Imperator Romam redeundi potestatem Liberio concessit. Scri-
pserunt etiam Episcopi, qui Sirmium convenerant, ad Felicem & ad clerum
ejusdem civitatis, ut Liberum susciperent, utque ambo apostolicam sedem
gubernarent & simul ficerentur absque ullâ dissensione, &
quicquid molestiæ acciderat propter Felicis ordinationem atq; absentiam
Liberii, oblivioni traderent, uti refert Sozomenus lib. 4. cap. 15. Sic igitur
restitutus fuit Liberius, sed cum populus Romanus duos Episcopos terre
nollet, scribit Theodoreus l. 2. c. 17. Felicem lese recepisse & ad aliam
Urbem migrasse. Philostorgius lib. 4. n. 9. nomen quidem Episcopi reti-
nuisse, sed nulli certæ Ecclesiæ præpositum fuisse. Sozomenus d. l. modico
eum tempore supervixisse, & Liberum solum Ecclesiam administravisse.
*Quod quidem, inquit Sozomenus, divina providentia ita dispensavit, ne sedes
Petri debonestaretur, à duobus præsulibus simul gubernata: quod discordiæ signum*
& ab

¶ ab Ecclesiasticis legibus alienum est. Viderat uterq; Episcoporum Sirmii congregatorum consilium non usquequaque conveniri canonibus, neque Ecclesiæ utile esse. Et sic ergo prudenter loco cesit Felix, quod præsertim populo Romano non usq; ad eo gratus & acceptus esset.

XII. Singulare est, quo Africâ Donatistarum schismate laborante, pacis résuscitandæ & componendæ studio Catholici Episcopi Donatistis Episcopatus obtulerunt consortium & honorem confessus. Verba in actis collat. Carthag. 1. cap. 16. sic habent: *Sic nobiscum ejus teneant unitatem, ut non solùm viam salutis inveniant, sed nec bonorem Episcopatus amittant.* --- Poterit quippe unusquisq; nostrum honoris sibi socio copulato vicissim sedere eminentius, sicut peregrino Episcopo juxta considente Collega. Hoc cum alternis Basiliis utrisq; conceditur, uterq; ab alterutro honore mutuo prævenitur: quia ubi præceptio charitatis dilataverit corda, possessio pacis non sit angusta, ut uno eorum defuncto, deinceps jam singulis singuli pristino more succedant nec novum aliquid fiet, nam hoc ab ipsius separationis exordio in eis, qui damnato nefariæ dissensionis errore unitatis dulcedinem vel serò sapuerunt, catholica dilectio custodivit. Consimili modo in Concilio Chalcedonensi a.d. 14. decretum fuit, sicubi Athanasius Parenorum Episcopus in sedem suam restitutus fuisset, ut *Saxinianus*, qui post ejus remotionem ordinatus fuerat, Episcopalem dignitatem retineret veluti substitutus ejus, ¶ ex Ecclesiæ facultatibus aleretur. Sed hæc omnia ex dispensatione facta censeri debent.

XIII. In veterum scriptis sæpè occurrit comparatio Ecclesiæ cum sponsâ aut uxore, & Episcopi cum sponso aut marito, ita ut matrimonium utrobiq; statuatur individuum & insolubile. Quæ similitudo ita placuit Canonistis, ut nihil frequentius apud eos occurrat. Pseudo-Euaristus apud Gratianum c. 1. sicut 7. q. 1. Sicut *Vir non debet adulterare Vxorem suam*: ita nec Episcopus Ecclesiam suam, id est, ut illam dimittat, ad quam fuit sacratus absq; inevitabili necessitate, aut Apostolicâ vel regulari mutatione, ut alterise ambitus causâ conjugat. Et sicut *Uxori non licet dimittere virum suum*, ut alterise, vivente eo, matrimonio societ, aut eum adulteret, licet fornicatus sit *Vir ejus*: sed juxta Apostolum aut *Viro suo debet reconciliari, aut manere innupta*: ita Ecclesiæ non licet dimittere Episcopum suum, aut se ab eo segregare, ut alterum vivente eo accipiat, sed aut ipsum babeat, aut innupta maneat: id est, alterum Episcopum suo vivente non accipiat, ne aut fornicationis aut adulterii crimen incurrat. Similiter apud eundem Gratianum c. sicut 21. q. 2. Concilii Remensis hoc legitur decretum: *Sicut in unaquâq; Ecclesiâ unus presbyter debet esse: ita ipsa, que sponsa vel Vxor ejus dicitur, non potest dividi inter plures presbyteros, sed unum tantummodo babebit Sacerdotem, qui eam castè & sincere regat.* Unde interdicimus, ut nullus præsumat Ecclesiam inter duos vel plures dividere, quia Ecclesia Christi Vxor & Sponsa debet esse, non scortum. Sic & Ivo Carnotensis epist. 131. presbyterum, qui Ecclesiam suam reliquerat, & ad eam reverti inten-

intenderat, dicit, cubile sponsæ, quâ se indignum vel quam se indignam refutando judicaverat, adscendere conari. Idem epist. 153. de Ranulfo Dunelmensi Episcopo duarum Ecclesiarum sedes ambiente hanc fert sententiam: *Eliminetur de Luxoviensi Ecclesiâ Ranulfus Dunelmensis Episcopus, ut digamia non admittatur.* Et epist. 154. hunc ejus conatum moechationem vocat.

XIV. At verò si quis consideret universa & singula, inveniet, unionem Episcopi & Ecclesiæ conjugium tantum esse per metaphoram, & ideo, si summo jure agamus, comparari non posse cum vero conjugio. Et locuti sunt ita veteres, ut ostenderent, quâm arcto vinculo Ecclesiæ ille suæ esset adstricatus. Imò verò, si rem recte reputemus, Ecclesia quidem cum scripturâ dicenda erit sponsa, sed Christi Salvatoris tantum. Unde Cyprianus lib. de unitate Eccles. loquens de Ecclesiâ, quam sponsam Christi matremq; nostram vocat, adulterari, inquit, non potest Sponsa Christi. *Incorrupta est & pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.* Similiter Augustinus serm. 20. Ascensurus in cœlum, inquit, ipsam rursus Ecclesiam commendavit. *Sponsus profecturus sponsam suam amicis suis commendavit, non ut amet aliquem ipsorum; sed ipsum tanquam sponsum, illos tanquam sponsi amicos, & non eam admittant lascivo amore corrumpi.* Amici sunt Augustino, qui rectius ministri dicerentur, idque proprium videtur esse vocabulum in Oeconomia hâc spirituali: quod ipsum sibi quoque tribuerunt Apostoli 2. Cor. III, 6. Episcopi namque & reliqui, quos Salvator ad sacra peragenda destinavit, ministri sunt, non sponsi, nec conjuges. Vid. Hieronym. epist. 83. Debent igitur ministri tales colere Ecclesiam, ut Dominam, non ut Uxorem. *Si amicus sponsi es, inquit Bernhardus epist. 237. ne dixeris dilectam ejus principem meam, sed principem; nihil tuum in eâ vindicans; nisi quod pro eâ, si oportuerit, etiam animam dare debes.* Non male proinde vocabulum sponsi explicat autor libelli de squaloribus Romanae curiae editi Basil. ann. 151. cum Petro Alliaco: si contingat, inquit, aliquando Papam per officium suum honorari vel laudari, dicitur pro laude suâ antonomastice (sive ex adulatione, sive ex donatione hominum id fiat) quod sit sponsus, dominus & caput Ecclesiæ. Recogitet ergò, quod hoc non potest esse propriè loquendo verum. Ecclesia enim non habet duo capita, nec duos sponsos, sed unicum, & hoc est Christus, & non vicarius suus (cum hoc verè sic dici non competit) quem Christus constituit potius custodem sponsæ suæ quâm sponsum. Nihilominus tamen Papa Romanus dicitur sponsus Ecclesiæ à Gregorio X. c. ubi periculum de elect. in 6.

XV. Ut maximè verò hæc Ecclesiæ cum Uxore aut sponsâ comparatio claudicet, nec omnimodam inferat similitudinem, semper tamen creditum fuit veteribus, & indecorum esse & tranquillitati Ecclesiasticæ parum conveniens, aut in unâ Ecclesiâ duos sedere Episcopos, aut uni Episcopo duas committi Ecclesias. Non minus hoc enim quam illud prohibi-

tum fuit olim. Extat apud Gratianum canon Synodi septimæ five Nicænæ secundæ c. clericus 21. q. 1. his verbis: *Clericus ab instanti tempore non commumeretur in duabus Ecclesiis.* Negotiationis enim hoc est & turpis lucri proprium commodum, & ab Ecclesiæ consuetudine penitus alienum &c. Et huc spectat etiam canon decimus Concilii Chalcedonensis: *Non licere clericum in duarum simul civitatum Ecclesiis conscribi.* De Manasse Arelatensis civitatis Episcopo refert Luitprandus Ticinensis lib. 4. bish. c. 3. illi ab Hugone Rege contra jus fasque Veronensem, Tridentinam & Mantuanam commendatas, seu, quod verius esset, in escam datas fuisse Ecclesiæ. Idque exemplum prolixè deinde perstringit Luitprandus. Quod vero Gratianus sub dictâ distinxit. 21. q. 1. per aliquot sententias Pontificum probare intendit, posse aliquem duabus simul Ecclesiis præesse, alteri ut commendatæ, ut intitulatæ alteri, id & recentius inventum est, & multis corruptelis obnoxium.

XVI. Cæterum ad majorem Episcoporum honorem atque reverentiam pertinet, quod in Concilio Carthaginensi IV. c. 35. constitutum legitur. Ut Episcopus in Ecclesia, in confessu presbyterorum sublimior sedeat. Ejus sedes dicta fuit cathedra, & hinc quoque Episcopalis Ecclesia cathedralis vocata fuit. Proprium enim Episcoporum munus fuit olim docere. Docebant autem sedentes in solio & cathedrâ. Ac quoties Episcopus aliquis creabatur, collocari in eo solio atque throno solebat, veluti possessionis cuiusdam apprehendendæ gratiâ. Ex quo etiam tempus functionis, quo Episcopatum quis tenuit, sessionis spaciū dictum est, v. g. Petrus, Paulus &c. fedit tot annis. Et sic factum etiam, ut cathedra quandoque pro honore ac munere Episcopali acciperetur. Sed & pro ipsâ doctrinâ & numero vocabulum cathedræ sumitur. Quâ ratione, quod de Pharisæis in Cathedrâ Mosis sedentibus dixit Christus Matth. XXII 1, 2. Hieronymus ita explicat: *Per cathedram doctrinam legis ostendit.* Et Hilarius: *jubet legis mandatis omnibus obediri.* Et Theophylactus: *Dominus dicit de his, qui in cathedrâ Mosis sedent, b. e. bis, qui ea, quæ in lege habentur, docent.* Et sic accipio etiam locum Tertulliani de prescript. c. 36. Percurre Ecclesiæ Apostolicæ, apud quas ipse adhuc cathedra Apostolorum suis locis præsident, apud quas ipse authenticæ literæ eorum recitantur. Secus atq; putat Nicolaus Rigaltius per cathedras Apostolorum principales Ecclesiæ ab ipsis Apostolis fundatas accipiens, aut Henricus Valesius, in addend. ad annot. in Euseb. cathedras & sedes materiales intelligens.

XVII. Fuit tamen ab antiquissimis temporibus ita usurpatum, ut inde sacrâ Cathedra Episcopi, quæ Græcè θρόνος dicitur, in medio locaretur, in eâque federet Episcopus ex utroque latere adfidentibus presbyteris & adstantibus diaconis. Fâque de re fidem facere potest autor Constitutionum Apostolicarum lib. 2. c. 57. Sedem hanc Episcopi gradatam five gradibus elevatam & velatam describit Augustinus epist. 203. Transit ho-

no

noribus seculi in futuro Christi iudicio, nec absida gradata, nec cathedrae velata, nec sacerdotalium occurasantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem; quae hic honorant, ibi onerant. Linteis scilicet velis cathedras ornare solebant. Unde Pontius diaconus in actis Cyprianis in fin. haec habet: *Se-dile autem erat fortuito linteo tectum, ut sub itu passionis Episcopatis honore frueretur.* Linteatas appellat eas sedes Pacianus epist. 2. ad Sympronianum de Novatiano. Quem, inquit, consecrante nullo, linteata sedes accepit. Et Endius Ticinensis in libello pro defens. Synodi Rom. pro Symmacho: *Ecce nunc ad gestoriam sellam Apostolice confessionis vela mittunt, &c.* Sic & Hebrei, quoties circumcidunt, Mosi cathedralm ornant, existimantes, eam ceremonia praesentiam eius impetrari.

XVIII. Erat haec cathedra Episcopalis sublimior & velut in fastigio constituta, unde possent Episcopi de superiore loco fideles monere. Sic enim scribit Augustinus enarrat, in Psalm. 126. Ideo locus altior positus est Episcopis, ut ipsi superintendant, & tanquam custodiant populum. Et paulo post: *Quomodo enim vinitori altior sit locus ad custodiendam vineam, sic Episcopis altior locus factus est.* Sed quae ita bonâ primâ intentione altiore loco positæ fuérunt cathedrae, cœperunt deinceps typho & tumoris Episcoporum seculari inservire, ita ut in cathedrali illi elevati, ac si esset solium quoddam regium & arx velut imperii, tyrannicam sibi in clerum dominationem vindicarent. Hinc & multo excelsiore loco per absides gradatas & exedras extrui cœperunt cathedrae, ut à tribunalibus nihil omnino distarent. Idque in Paulo Samosatensi reprehendit Eusebius lib. 7. hist. c. 30. Nam *tribunal inquit sublimem thronum, non ut Christi discipulus, sibi ipse construxit.* Et de alio cum indignatione refert Sulpitius Severus dial. 2. c. 1. *Quendam nuper, inquit, non sine meo pudore vidi, sublimi solio quasi regio tribunali, celsa sede residentem.*

XIX. Fuit verò etiam aliquando usu receptum, ut in quibusque Ecclesiis à se consecratis Episcopus suam poneret cathedralm, quae ibi fixa permanebant, in signum atque monumentum summæ suæ autoritatis. Colligitur id ex privilegio, quod Gregorius M. dedit monasterio S. Casiani lib. 6. epist. 12. quod inter alia haec continet verba: *Die squidem natalis vel dedicationis supradicti monasterii, Episcopo illic missarum sacra conveniat solennia celebrare, à quo tamen ita est hoc officium ex solvendum, ut cathedrala ejus nisi predictis diebus, dum illic missarum solennia celebrat, non ponatur.* Quo discedendo, similiter etiam cathedrali illius de eodem oratorio auferatur. Dum non alias cathedralm Episcopi, nisi in diebus designatis, poni vult, dum eam auferri jubet & reliquo toto tempore ablatam sit, ex singulari hoc sequitur, communiter cathedralm Episcopi in Ecclesiis & monasteriis fixam persistere. Confimiliter Martinus Pontifex in privilegio monasterii Elnonensis apud Aubertum Miraeum donat. Belg. pag. 4. prohibet, ne audeat Episcopus ibi cathedralm collocare.

XX. Superbum nimis est & à pristinâ Ecclesiasticâ simplicitate alienum, quod post alios docet Augustinus Barbosa *de offic. Episcopi part. 3. alleg. 80. n. 16.* posse Episcopum in suâ Ecclesiâ Cathedrali uti Baldachino etiam in præsentia Pro-Regis. Et refert ibi decretum Romæ anno 1603. promulgatum, quo declaratur Episcopis in Ecclesiis Regularium Pontificalia excentibus licere Baldachinum erigere. Id vero sine dubio ortum exinde, quod supra regiam dignitatem elevata fuerit dignitas Episcopalis, & quod doceri hinc coepit, longè præstare Christi Sacerdotes Regibus atque principibus. Quam in rem induci solent dicta veterum Chrysostomi: Ἀρχῶν ἐστιν, καὶ ἀρχῶν ἐκεῖνος (de Rege in antecedentibus sermo fuerat) σεμνότερον. Gregorii item Nazianzeni: οὐαὶ ψυχὴ σώματος ἐπι κρείτῳ, ποσάτῳ βασιλεῖ τεροσύνη, anima in quantum præstat corpori, in tantum Regibus sacerdotium, & aliorum, maximè Pseudo-Clementis & Pseudo-Ignatii, quæ congesit Jacobus Usserius Archiepiscopus Armachanus *in not. ad Ignatii epist. c. 10.* Quæ quidem eminentia, si intra Sacerdotalem munus secundum sententiam Pauli *Hebr. V. 1.* coerceretur, nemo Principum erit, qui non lubenti animo Episcopis eam concesserit. At verò longius progrediuntur Romanæ Ecclesiæ Sectatores, qui istâ præminentia non contenti inde conficiunt, non solum miserum sacrificulum, sed minimum quoque diaconum in mensâ non tantum Domini, verum etiam communis Imperatoribus ac Regibus præferendum esse. Idque tuerit in primis Cardinalis Baronius *ann. 57. sedt. 31.* allegans, quod Martino à Maximo Imperatore mensâ excepto, in medio fere convivii, ut moris est pateram Regi minister obtulit: ille Sancto admodum Episcopo potius dari jubet, expectans, atque ambiens, ut ab illius dexterâ poculum sumeret. Sed Martinus, ut bibit, pateram suo presbytero tradidit, nullum scilicet existimans dignorem, qui pot se biberet: nec integrum sibi fore, si aut Regem ipsum aut eos, qui à Rege erant proximi, presbytero prætulisset. *Quod etiam* (inquit Cardinalis) *si diaconum absq[ue] presbytero habuisset, fecisset.* Et hinc à minori ad majus argumentatur Augustinus Barbola *de off. Episcopi part. 2. alleg. 1. n. 2.* Si Sacerdotibus propter dignitatem sacerdotalem semper & ubique summa reverentia debetur, quid erit in Episcopis, quibus excellentiora debentur, ea ratione, quia Episcopatus culmen est omnium dignitatum. Hinc adeo volunt, oportere Principes obsequium præstare Episcopis, eisque debere περοκύνησιν, nec proinde officii metas excedere, si advenienti Episcopo in occursum eant, si ab equo descendant, & terrâ prostrati eum excipiant, si pedibus equitantem ducant in palatium, si vice stratoris stapedam teneant. Ceteræ sanè ambitio tantum abest à pristinis Apostolorum institutis quantum terra distat à coelo, quantumq[ue] tenebræ à luce. Salsè eam perstringit Richardus Montacutius *in antidiatrib. 2. advers. Bulenger.*

XXI. Ex

XXI. Ex eo vero, quod magnificè de potestate Episcopali sentiant, & Regum omnium Monarcharumq; majestatem τατερνιζοντα ιερουσculè loquantur veteres Ecclesiæ Doctores, male infertur, secularem illum splendorem, quo se conspicuam reddit majestas Principis, etiam Episcopis & in excellentiore quidem gradu adaptari debere. Quid posset dici magnificum magis, quam quod habet Ambrosius c. 2. de dignit. Sacerdot. Honor & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cum videoas Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotum, & ex osculatis eorum dextris, orationibus eorum credant se communiri. Similia inveniuntur apud Chrysostomum quam pluria. Sed cave hinc inferas, posse Alexandrum III. Pontificem Friderico Imperatori insultare, eumque pedibus conculcare. Non enim ideo Episcoporum genibus submittuntur aut submissa intelliguntur Regum capita, ut in contumeliam exposita sint, sed quod Episcopi μεσίται sint, uti loquuntur veteres, Θεος καὶ αὐθοπών, sed quod ἐν λογοῖ, χειροβεττά, περσφέρει, καθάπερ, manus Episcopalis, sed quod πρεσβεῦται sint αὐτοὶ Θεοὶ, quod, uti loquitur autor Constitutionum Apostolicarum lib. 2. cap. 33. potestatem vitae & mortis à DEO acceperint in iudicandis iis, qui deliquerunt, & in damnandis ad mortem ignis sempiterni, & iis qui se ad recte vivendum convertunt, absolvendis & vivificandis. Habent certe & illi, ait Chrysostomus lib. 3. de Sacerdot. qui super terram cum imperio constituti sunt, potestatem in vincula conjiciendi, sed corpora tantum. At vinculum istud (Sacerdotum) & animas constringit, atque ad cœlos etiam ipsos penetrando pertingit. Nam que deorsum in terris Sacerdotes agunt, illa sursum in cœlis confirmat DEUS: Dominus autem ratam habet prolatam à Servis suis sententiam. Quo ipso quid aliud agit, quam ut universam communicet potestatem cœlestem? Quia non est alia ulla excellenter potestas. Eccl: Falsa vero hinc fiet illatio, si ex eo, quod in quibusdam excellentior sit potestas Sacerdotalis, concludere velis, universam Regis majestatem ita ei subjectam esse, ut ab ea prorsus dependeat, & ad ejus arbitrium exerceri debeat, uti quidem hodie in Ecclesiâ Latinâ doceri solet.

CAP. XIII. De Choropiscopis.

I.

Chorepiscorum in decretis antiquorum Conciliorum multa & frequens mentio est, ut adeo dubium non sit, in speciali dignitate Ecclesiastica constitutos eos fuisse, quamquam de statu & conditione eorum intricata

Cc 3

tricata

tricata tere adhuc inter eruditos sit disquisitio. In clero eos fuisse, aperte docet canon octavus Concilii Nicæni; & in Concilio Neocæsariensi can. 13. referuntur inter communistros, οὐλεῖται γέγοντες. Nec tamen constat, qualem *λατρευτικὰ* partem sustinuerint. Medios fuisse inter Episcopos & presbyteros colligere licet ex dicto canone Nicæno, ubi de Episcopis Novatianis ad Ecclesiam redeuntibus disponitur, quod talis aliquis *debeat habere honorem presbyteri, nisi forte placuerit Episcopo Catholica Ecclesiæ nominis honorum illi concedere.* Si hoc autem ei minime placuerit, ut inveniat ei locum Choropiscopi aut presbyteri. Quâ ratione etiam Choropiscopum inter Episcopum & presbyterum collocat Concilium Chalcedonense c. 2. Dum igitur ab Episcopatu & presbyterio secernendum putavit Choropiscopatum utraq; Synodus, videntur utiq; tres veluti distincti gradus constituti fuisse, Episcoporum nempe in apice constitutorum, Choropiscoporum inter Episcopos & Presbyteros mediorum, & presbyterorum denique inferiorum adhuc tûm Episcopis tûm Choropiscopis.

II. Et quidem Episcopos eos non fuisse optimè colligitur ex Concilio Antiocheni can. 10. in fin, ubi dicitur; *Choropiscopus autem fiat ab Episcopo civitatis, cui subjicitur.* Disertè hic præcipitur, Choropiscopum ab Episcopo civitatis ordinandum esse. At verò can. 4. Concilii Nicæni constitutum jam fuerat, ordinationem Episcopi ab omnibus, qui in eadem sunt provinciâ Episcopis, vel si id fieri nequeat, à tribus saltem celebrari debere. Idem repetitum in Concilio Arelatensi I. c. 21. & Carthaginensi II. c. 12. Si ergo Choropiscopus ordinari potest ab uno ejus civitatis, ad quam regio spectat, Episcopo, planum est, non conferri eidem potestatem Episcopalem. Et ex isto principio irritam declaravit Synodus Regensis can. 3, ordinationem Armentarii, quâ ille à duobus tantum Episcopis Ebredunensi Ecclesiæ ut Episcopus præfectus fuerat, permittens nihilominus, ut Choropiscopi munere deinceps fungi eidem liceret. Ut adeò dubitem, utrum satis commoda sit explicatio canonis Antiocheni, quam facit Dionysius Petavius ad Epiphan. heres. 69. dum putat, in eo non excludi alios, qui unâ manus imponant, sed hoc solùm præcipi, ut ordinationis præses ac moderator ille sit, cuius in ditione versatur, ut eodem inconsulto & sine ejus jussu Choropiscopus non fiat.

III. Hic verò ex professo contradicentem habemus Guilielmum Bevergium in annotat. ad can. 13. Concilii Ancyrai, qui, ut Choropiscopos re vera Episcopos fuisse probet, hunc in modum procedit. Primo, ait, Episcopalem ordinationem habuerunt. Idq; probat ex can. 10. Synodi Antiochenæ, cuius hæc sunt verba: *Ii, qui sunt in vicis & regionibus, vel qui Choropiscopi nominantur etiamsi impositionem manuum Episcoporum acceperint, εἰ καὶ χειροθεσίαν εἰεν θησαύρων εἰληφότες, placuit sanctæ Synodo, ut suum modum sciant, & sibi subjectas Ecclesiæ administrent, earumq; cura & moderamine*

con-

contenti sint. Sc. De impositione manuum episcopali quod hic dicitur, id universaliter de omnibus Choropiscopis accipit Beveregius, ac si Choropiscopati adjuncta ollim fuislet Episcopalis ordinatio, cum tamen de aliquibus tantum intelligi id debeat, & per extensionem verba illa adjecta sint, hoc sensu: Choropiscopi sorte sua contenti sint, ut maximè aliqui eorum Episcopi antea fuerint, & Episcopalem ordinationem acceperint.

IV. Accidebat enim aliquando, ut Choropiscopatus conferretur ali- cui Episcopo vacanti, qui Episcopalem consecrationem aliunde & ad alium titulum acceperat, vacare autem cogebatur non sua quidem culpâ, sed propter populi contradictionem, vel aliam causam, quæ à se non oriebatur, uti dicitur *can. 18. ejusd. Concil. Antiocheni.* Is sane verus erat Episcopus, ob suscepit ante Choropiscopatum *χειροτονίαν* Episcopalem, munere tamē Episcopali fungi non poterat, cum extra dioecesin & titulum suum es- set; sed solo Choropiscopatus ministerio contentus, Ecclesiarum, quæ in agris alterius dioeceseos erant, administrationi præterat, Episcopi ordinarii vices sustinens, & vicariam ei operam præstans. Et hoc est scil. quod dici- tur *d. can. 8. Concilii Nicæni*, Episcopos Novatianos ad Ecclesiam ortho- doxam redeuntes Choropiscopi locum habere debere, si ita visum fuerit Episcopo orthodoxo. Iste à Novatianis redux Episcopus *χειροτονίαν τῶν Ἐποκόπων* acceperat, & proinde verus erat Episcopus, sed postquam Choropiscopi munus sub alio Episcopo orthodoxo suscepit, non poterat ille deinceps ministerii hujus modum excedere. Et sic igitur optimè sese habebit interpretatio canonis Antiocheni, si distinguamus Choropiscopatum ab eo, cui collatum est illud ministerium, ita ut statuamus, *χειροτονίαν τῶν Ἐποκόπων* aliunde collatam fuisse, non è ministerio Choropiscopatus. Vid. Petr. de Marca de concord. sacerd. & imp. lib. 2. cap. 13. n. 3. seqq.

V. Quod de *χολαργοῖς* Episcopis five vacantibus allatum fuit exem- plum, id etiam ad alios similes contrariis populi studiis creatos Episcopos producit David Blondellus *apol. de Episc. & presbyt. scil. 3. sub n. 12.* Observat enim, tertio quartoq; seculis contigisse, ut ad Ecclesias in agris & vicis qui destinati essent & vel Choropiscoporum vel presbyterorum nomine alias venissent, five riūmio partium studio, five metropolitarum inconsultâ *συγκαταβάσιν*, vel merā Urbanorum præsulum in plebem rusticam chari- tate, vel importuno populorum ambitu, vel libero principum jussu ordina- tionem Episcopalem quoquo modo sortirentur, ac fibi deinceps Episcopales functiones arrogarent. Iostos omnes putat Blondellus ab Antiochenâ Sy- nodo coērceri, ne fines Choropiscopis regionumq; presbyteris præscriptos transfilirent, neve collatae per Episcopalem ordinationem potestatis opi- nione tumefacti nominis & muneris honore abuterentur, Episcopi dioceſa- ni officia involantes, suamq; ita potestatem æqualem ei facientes. Afri- cani

candi istos tales planè removendos & de propriâ Ecclesiâ dejiciendos statuerunt, *can. 53. in Cod. Eccles. African.*

VI. Sufficit verò adversus Beveregium ostendisse, Chorepiscopatu non fuisse conjunctam ordinationem sive consecrationem Episcopalem, sed hanc, si Chorepiscopi aliqui habuerint, aliunde venisse. Pergit vero Beveregius & addit, Chorepiscopos subjectas sibi habuisse Ecclesiās & ea- rundem curam eis commissam fuisse, quæ quidem, inquit, nemini attribui possunt, nisi qui Episcopalem *χειροτονίαν* accepit. Primum quidem id ne- gari non potest, cum disertè dicatur in *d. can. 10. Antioch.* debere eos sibi subjectas Ecclesiās administrare, earumq; curā & moderamine contentos esse. Non ergò solam Sacramentorum dispensationem & verbi prædica- tionem Chorepiscopis tribuit Concilium, sed administrationem etiam & *δόκησιν*. At vero, quod veluti principium ponit Beveregius, non com- petere talem administrationem nisi Episcopo, id per svadere sine teste haud- quaquam poterit. Magnam quidem in administratione Ecclesiæ & rerum ad eam pertinentiñ autoritatem Episcopi semper fuisse, ex tot Concilio- rum decretis manifestum est, ipsa tamen tam absoluta nunquam fuit, ut soli ei commissa administratio dici queat. Communi presbyterorum cōsilio ubique regi solitas, imò in perpetuum regendas Ecclesiās, jam inde à prin- cipio nascentis Ecclesiæ commune fuit axioma. Sic enim Episcopum ad- ministrationi rerum Ecclesiasticarum adhibere debere presbyteros in ipso illo concilio Antiocheno *c. 24. § 25.* statutum fuit. Idem saepius repetitum. Et hinc quoque factum, ut presbyteri aliquando Rectores dicerentur Eccle- siarum, quod notissimum est. Quod si etiam Archidiacono maxima pars administrationis Ecclesiasticæ incumbit, uti eam describit Isidorus apud Gratian. *c. perlect. dist. 25.* quid est, quod obstat, quo minus Chorepiscopis similem & forte etiam ampliorem administrationem competiisse dicamus, prælertim cum non minus illos quam Archidiaconos, vicariam Episcopis operam præstisset, & hinc etiam vicarios Episcoporum dictos fuisse lega- mus, Vid. Karoli M. *capitular. lib. 7. c. 18.*

VII. *Tertium* Beveregii argumentum hoc est, saepè dicto canone An- tiocheno permisum fuisse Chorepiscopis, ut Lectores, Subdiaconos & exorcistas constituere possent; at hoc licitum nemini fuisse, nisi Episcopo, docente ita canone secundo Apostolico: *Presbyter ab uno Episcopo ordina- tor, item diaconus & reliqui clerci.* Respondeo verbis Pseudo-Leonis ex epist. 88. ubi, quod ante eum statuerat Concilium Hispanense II. *can. 7.* hunc in modum pronunciat: *Chorepiscopi, quanquam consecrationem habeant, Pon- tificatus tamen apicem non habent.* Ordinandi potestatem non divino sed humano instituto soli Episcopo cessisse alibi ostendo. Quid mirum igitur, recepisse Chorepiscopos limitatam quandam ordinandi potestatem, olim cum presbyteris communem? Et quis negare velit, potuisse Episcopos ad majo-

majorem autoritatem Choropiscopis conciliandam per *synodā etōw* de suo jure aliquid eis conferre? Neque hoc dicit canon Apostolicus, à nullo alio reliquos clericos, præterquam ab Episcopo, ordinari posse, sed, quod unus sufficiat Episcopus ad ordinationem ejus, neque necessarius sit conventus plurium, uti ad Episcopi ordinationem. Accedit quod de minoribus ordinibus, quales sunt illi, quos intellectos voluit canon Antiochenus, apud Canonistas nulla plane sit dubitatio, conferri eos posse à non Episcopis, uti disertè dicitur *cap. I. §. de ordinat. ab Episc. qui renunc. Episc. & ab Abbatibus Lectores creari posse*, docet ex septimâ Synodo generali Gratianus c. *quoniam dist. 69.* Quò facit, quod sine sacramentali unctione per solam benedictionem conferri dicantur isti ordines. Joh. Paul. Lancellott. *inf. de iis qui sunt in min. ord. const. pr. quam benedictionem à consecratione & ordinatione accurate discriminare solent Canonistæ.* Vid. Ivo Carnotensis epist. 73. & Francil. Bosquet. ad Innocentii III. epist. 57. lib. I.

VIII. Quartum argumentum Beveregius ex prævisâ objectione petit, quam in usus suos convertit hoc modo: *Sed dicat forsan non nemo, quod plures sanè dixerunt, penes Episcopos esse ordinare etiam presbyteros & diaconos, quod tamen in isto Antiocheno canone Choropiscopis disertè interdicitur.* --- Hoc autem sententiam nostram non modo non destruit, sed & abunde confirmat. Ex eo enim, quod Choropiscopis vetetur in hisce canonibus, presbyteros & diaconos ordinare, palam consequitur, eos hoc fecisse vel saltē tentasse; quod quidem nunquam fecissent, nisi ipsi revera Episcopi fuissent. At profecto infirma admodum hæc est collectio. An enim tentari non poterit id, quod vetitum est? An quis semper ejus rei dicendus erit habere potestatem, quam agit & suscipit? Qui occidere prohibetur, an potestatem habebit occidendi? Prohibentur presbyteri ultra suum modum contendere & Episcopali fastigio debita fibimet audacter assumere, c. *presbyteros dist. 95.* Hinc verò, (applicemus verba Beveregii) palam consequitur, eos hoc fecisse vel saltē tentasse; quod quidem nunquam fecissent, nisi ipsi revera Episcopi fuissent. Quis verò hoc inde adstruere velit? Innumera sunt alia, qua reponi possunt, & ex canonibus synodalibus tūm & historiâ Ecclesiasticâ notissimum est, quam intemperanter intra modum suum se gesserint tum presbyteri tum diaconi, s̄epissimē ea, quæ officium suum excedunt, affectando & inordinato appetitu Episcopalia munera involando, quibus proinde fibulam injicere oportuit repetitis vicibus.

IX. Progrediamur ad quintam Beveregii rationem, quam his verbis proponit: *Præterea etiam obseretur, quod iis presbyteros & diaconos ordinare non absolute decernitur, sed ne illud faciant sine permissione Episcopi civitatis, cui ipsorum regio subest.* --- Verum enim verò si Choropiscopi presbyteri tantum non etiam Episcopi fuissent, presbyteros aut diaconos ordinare non poterant, etiam si ab Episcopo quovis vel omnibus permitteretur. Namq; Episcopi permisso, sine

Dd

con-

consecratione Episcopali, presbyteros aut diaconos ordinandi potestatem dare nequit. Fateor ex partibus Beveregii stare videri tum Concilium Antiochenum, tum Ancyranum. Illius haec sunt verba can. 10. Presbyterum autem & diaconum ordinare non audeant, δίχα τοῦ πόλεως Θησαύρου, sine Episcopo civitatis, cui ipse Gregio subjicitur. In Ancyro vero Concilio c. 13. sic statutum legitur: Choropiscopis non licere presbyteros vel diaconos ordinare. Sed nec presbyteris civitatis sine literis Episcopi in aliena paroecia aliquid agere. In Graeco concissior & abscessior est sensus: αλλὰ μὴ δὲ πρεσβυτέρους πόλεως χωρὶς ἐπιρραπήναι τὸν ἐπισκόπου μέσον γραμμάτων, τούτῳ παρομίᾳ. Id verò pro concessio habent omnes, quod Episcopus non posuit ordinandi potestatem dare ei, qui χειροθεσία Episcopalem non accepit, sive qui non ordinatus est, ut Episcopus.

X. Vedit vero objectionem istam suo jam seculo Theodorus Balsamon ad d. c. 10. Antiochen. ideoque verba ex eo adducta hunc in modum interpretatur: Illud autem, sine civitatis Episcopo, non accipitur pro eo, quod est, sine ejus mandato, sed sine illius sacrorum celebratione, εἰς ἐνταυθέντην τὸν αὐτὸν πόλης τόπον, αλλὰ εἰς τὸ δίχα πλεσιωγίας ἔκεινα. Etsi enim fuerit Choropiscopo mandatum, ut presbyterum ordinet, hoc fecerit, irrita erit ordinatio, quod non sit ei à canonibus data presbyterum ordinandi potestas. Sensus huc redit, accedere quidem posse Choropiscopum ordinationi ab Episcopo celebrandae, sed solum eam peragere non posse, ut maximè ei mandata ab Episcopo ordinatio fuerit. Et sic salva res est, nec necesse est, ut ulterius huic canoni immoremur.

XI. Quod canonem Ancyranum attinet, haud paulo difficilior ejus est interpretatio, quam tamen eruditè enucleat Petrus de Marca de concord. sacerd. & imp. lib. 2. c. 14. n. 1. & 2. Ait, ex verbis Græcis duplitem nasci verborum sensum. Posse enim illa, αλλὰ μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως, vel dandi casu exponi, vel accusandi. Priori modo versionem ita adornari posse: Sed neque presbyteris civitatis (scil. licet ordinare presbyteros aut diaconos) nisi eis permittatur ab Episcopo per literas, in aliena paroecia. Posteriori modo hanc esse ejus metaphrasin: Sed neque presbyteros civitatis (Choropiscopis licet ordinare) nisi eis permittatur &c. Ultramq; explicationem ait esse absurdam. Priorem ideo, quia presbyteris Urbicis, post datam ab Episcopo licentiam, facultatem adscribit ordinandi presbyteros & diaconos in aliena paroecia, contra regulam, quæ presbyterorum ordinationes solis Episcopis tribuit, idque in suâ cuiusque parochiâ. Alteram vero ex ea ratione, quia non necesse fuisset, ut extenderetur prohibitio generalis, quæ omnium Presbyterorum & Diaconorum ordinationem Choropiscopis interdixerat, extenderetur ad presbyteros Urbicos, ac si de re minoris momenti ageretur, quæque superiori prohibitione non esset com- pre-

prehensa, cùm tamen, cui vetita est presbyteri vicani ordinatio, potiori jure vetita intelligatur Urbici. Sed nec illud quidem satis commode se habet, quod additur: *in alienâ parœciâ*. Ac si Chorepiscopis libera esset ordinatio presbyteri in suâ parœciâ sine literis, vel ab iis tentari posset ordinatio presbyterorum cum Episcopi consensione ac literis in alienâ parœciâ. Conf. Dionys. Petav. ad Epiphan. *heres. 69. pag. 277.* Tot ac tantis absurditatibus cum involutus sit textus hujus canonis, frustra ille probationibus adhibebitur, neque adduci proinde pro sententiâ contrariâ commode poterit.

XII. Ut verò genuinus aliquis ex eo habeatur sensus, veram ejus locutionem ex antiquis versionibus εὐσέχως restituit Petrus de Marca d.l. hoc modo: Primum animadvertis, versiones illas omnes, Dionysii nempe Exigu, Hadriani I., Capitularis Aquisgranensis & Ferrandi diaconi nihil omnino continere de potestate ordinandi presbyteris concessâ, & ex conformi eorum sententiâ in dandi quidem casu, presbyteris civitatis, legendum esse, sed inferendum illicò aut addendum in Græco, οὐ πεδίτειν, aut quid simile, quod deest, cum omnino mutilus hâc in parte sit contextus, & hiatum contineat, qui suppleri debeat. Deinde obseruat, versiones omnes pro verbis, in alienâ parœciâ, substituere, in unaquâque parœciâ, & hinc igitur textum Græcum emendari legiq; debere, ἐν ἑκάστῃ παροικίᾳ. Sic igitur optimè cohærebunt verba: καρηπισκόπες μὴ ἐξειναὶ πεσεύπορες οὐ διακόνες χειροτονεῖν. Άλλα μὴ δὲ πεσεύπορες πόλεως οὐ πεδίτειν. χωρὶς τῆς Πηγαπινῆς οὐδὲ Τηλουρίας μὲν χαμμάτων ἐν ἑκάστῃ παροικίᾳ. Chorepiscopis non licere presbyteros vel diaconos ordinare. Sed nec presbyteris civitatis aliquid agere sine literis vel iussu Episcopi in unaquaq; parochiâ. Ita integrati suis restitutus Canon nullo modo proderit cauæ Beveregianæ, cùm & ipse Beveregius, suppresso licet Marcæ nomine, hanc emendationem comprobet.

XIII. Sed audiamus eum porrò, & videamus rationem in ordine sextam, quæ sumitur ex canone 13. Concilii Neocæsariensis. Putat Beveregius, verba, quæ de Chorepiscopis concepta sunt, facere exceptionem à verbis præcedentibus, ac proinde, ut in prioribus illis vicanos presbyteros Episcopo aut presbyteris Urbicis præsentibus offerre prohibetur, ita Chorepiscopis id indulgeri, utpote qui inter Πηγαπινές πεσεύπορες non recensendi essent, ideoque nec inter presbyteros. Dici autem ibidem, Chorepiscopos quidem ad typum τῶν septuaginta constitutos esse, sed tamen συλλειτουργες, Episcopis nimirum comministros esse. In hoc discursu duo statuit Beveregius, primum Chorepiscopus non fuisse presbyteros, deinde eos veros fuisse Episcopos. De priori deinceps agemus, dummodo hoc interim notetur, non illicò sequi, Chorepiscopos ideo, quod non fuerint presbyteri,

Dd 2

veros

veros fuisse Episcopos. Posteriorius autem infirmo valde arguento nititur. Non enim Episcopus ipse censendus est illico, qui *οὐλετρός* est Episcoporum. Vocabulum *λειτέρης* commune est; & Græcis patribus ministri Ecclesiæ omnes, præsertim verò presbyteri & Episcopi vocantur *λειτέροι τὸ Θεόν*, vel *τὰ θυσιαστέρια*, vel *τῆς καυνῆς διαδήκης*. Apud Dionysium Areopagitam *λειτέρηοι* sunt diaconi. Nec proinde Episcopis id vocabulum proprium erit. Et *οὐλετρόι* adeò dicuntur omnes illi, qui ministerium cultùs divini conjunctâ operâ obeunt. Nec aliud volunt Patres Neo-cæsarienses *in dict. can.* sed hoc solum, Choropiscopos non esse adscribendos aut connumerandos presbyteris agrorum, sed potius inter comministros civitatis referendos, quia Episcopum sollicitudine Episcopali in pagis visitandis levant, ejusque vices gerunt, ideoq; *οὐλετρόι* dici possunt; uti optimè exponit Marca d. l. c. 14. n. 3.

XIV. *Septima ratio Beveregii hæc est*, quod in Concilio Antiocheno *can. 8.* presbyteris canonicas Epistolas ad Episcopos vicinos mittere prohibitum, sed Choropiscopis permissum sit. Inde concludit, Choropiscopos esse Episcopos, quia scil. non minus illis, quam his tales Epistolas scribere permisum est. Quis verò non viderit, infirmam hanc esse consequentiam, à particulari ad universale, à distributo ad non distributum, ab unā aliquā specie ad totum genus. Non enim quia in uno convenient Episcopus & Choropiscopus, idcirco convenire eos dicemus in omnibus. Inter se convenire dicunt philosophi, quæ in uno tertio convenient; sed id limitant ad tertium incommunicabile. Idem enim tertium si communicabile fuerit, negant inferri identitatem, quā ratione non sequitur, Petrum esse Johannem, ideo, quia convenient in eo, quod uterque fit homo, quia scil. convenientia illa consistat in uno tertio communicabili & universalī. Ad eundem modum scribere epistolas formatas ita convenit Episcopo, ut facultas talis communicari etiam posfit aliis, ita ut nihilominus ab istis aliis diversus existat Episcopus, nec proinde, Choropiscopo si idem istud liceat, in eadē dignitate utrumq; constitutum inferri oporteat.

XV. *Ottavum argumentum petit Beveregius ex constitutione Concilii Laodiceni Can. 57.* ubi statutum legitur, non oportere in vicis & regionibus Episcopos constitui, sed *οὐδεντάς*. Eos autem, qui prius constituti fuerunt, nihil agere sine consensu Episcopi civitatis. Ut argumenti hujus sui yim illativam perspicuam magis redderet, hæc addit verba: Sanè *χωρίσσονται* nihil aliud est, quam *θήσονται* ē *χώρα*. Sed enim non animadvertis Beveregius, à verbo ad verbale non satis firmum duci argumentum. Ita apud JCTos verba, pacisci, transigere, agere, conferre, conducere &c: latiorem habent significationem, quam verbalia, pactum, transactio, actio, collatio, conductio &c.: Nec sequitur: jurisdic̄io, jus dicere,

dicere, judicare, judicium sunt conjugata. Judicare autem etiam dicitur de criminibus, & sunt quoque; judicia quædam publica & capitalia. Proinde etiam jurisdictio est in criminalibus. Proinde etiam judex pedaneus, quia & ipse judicat, habebit jurisdictionem, & sic porrò. Demus, Choropiscopum dici posse ἐποκεπον ἡ χώρα. Non tamen vice versa, εποκεπον ἡ χώρα illuc dici poterit Choropiscopus. Illi, quos ἡ χώρα constitutos Episcopos dicit canon Laodicenus, veri erant Episcopi. Amovet namque Synodus Laodicensis Episcopos à vicis, eisque; qui constituti jam erant, eam legem præscribit, ut nihil faciant, præter conscientiam Episcopi civitatis, id est, ut nihil eorum tentent, quæ munera Episcopalis partes attingunt, quin prius ad civitatis Episcopum retulerint. Etiam si enim una cum Episcopali consecratione univerlam potestatem Episcopalem accepissent, quia tamen in alienâ vive re diceceri ipsis necessarium erat, restringi exercitium istius potestatis ad arbitrium Episcopi dicecerani oportuit. Quod τελεθευτής attinet, succedebunt illi in locum Choropiscorum, uti observat Dionysius Petavius ad Epiph. heres. 69. pag. 281. & fuerunt presbyteri, uti patet ex Concilio Chalcedon. act. 4. ubi Alexander quidam dicitur πειστέντης καὶ τελεθευτής. Et in actis Constantinopolitani concilii I. sub Menna Sergius eodem modo appellatur πειστέντης καὶ τελεθευτής.

XVI. Tandem cum vidisset Beveregius, graviter sibi obstare verba ultima can. 10. concilii Antiocheni, statuentia, Choropiscopum fieri ab Episcopo civitatis, cui subjicitur, ad ea duplice modo respondet, primum verba illa non ita accipienda esse, ac si Episcopus solus Choropiscopum consecrare solitus sit, sed quod ille necessario consecrationi interesse, atque etiam præesse debeat. Non secus atque Metropolitanus omnes Episcopos suos ordinare dicitur, quoniam nullus sine eo ordinari potest. Deinde, validas fuisse ordinationes Episcopales etiam ab uno Episcopo peractas, idque se alibi probatum dedit ait, nempe ad can. 1. Apostolic. circa fin. Prior explicatio haud parum violenta est, & textum imperfectionis arguit, neque satis convenit praxi in Synodo Regensi c. 3. exercitæ, in causâ scil. Armentarii, qui ad Episcopatum Ebroudensem, uti supra memoravi, à duobus tantum Episcopis ordinatus fuerat. Ista ordinatio rescindebatur, quod non sufficiens esset ad Episcopatum sustinendum; concedebatur tamen Armentario, ut Choropisci nomine Ecclesiam aliquam regeret, si quis Episcopus tamē illi conferre vellat. Ergo ad Choropiscopatum suscipiendum non perinde uti ad Episcopatum requiritur, ut ordinatio fiat à pluribus. Et possit hanc in rem produci Johannis III. Pontificis epistola, si quis ejus fidem sequi velit, in quā hæc leguntur verba: *Ilos, quos Choropiscopos vocatis, quia ab uno, ut audivimus, sunt Episcopo, Episcopos non esse, nec aliquid de pontificali privilegio agere debere perficuum est.* Et sic etiam Karoli Magni tem-

Dd. 3

pore

pore explicatus fuit canon Antiochenus. Sic enim legitur in capitulariis lib. 7. c. 187. Nam Episcopi non erant, quia nec ad quandam civitatis Episcopalem sedem titulati erant, nec canonicè à tribus Episcopis ordinati. Scilicet: Sed nec subjici Episcopus alteri Episcopo, nisi metropolitano, solet, quod tamen de Choropiscopo pronunciat canon Antiochenus. Altera responsio attendenda ideo haud est, quia præsupponit casum necessitatis, qui licitum facit, quod alias de jure non est licitum, quemque semper exceptum habent tamen leges tamen canones.

XVII. Non potest autem sibi temperare Beveregius, quin aliud quasi agendo in suas etiam partes trahat Apollinaris Sidonii locum ex lib. 4. epist. 11. ubi Claudianum Mameri Viennensis Episcopi fratrem Antistitem vocat ordine in secundo. *Antistes*, inquit Beveregius, esse non potuit, nisi Episcopus esset, neque enim presbyter unquam antistes dicitur; sed *Antistes* ordine secundo appellatur, quoniam non ipsius Urbis Episcopus fuit, sed tantum Choropiscopus, ita tamen ut fratrem fasce levaret Episcopali. Et de summi Pontificis tenore laborem susciperet, quod ei haud possibile esset, nisi ipse etiam Episcopus fuisset. At verò, uti generale nomen est *Antistes*, & unumquemque denotat, qui in ordine suo primus & præcipuus est, quomodo & Tertullianus Romani imperii proceres antistites vocat in *apolog. pr.* & alibi latinarum antistitem dicit, *lib. de pallio*, quid prohibet presbyterum in ordine primum, antistitem dici à Sidonio, præsertim in oratione ligata & quando Poëtam agit? Per ordinem autem secundum, in quo Claudianum antistitem vocat Sidonius, presbyteros intelligi, optimè probat Jac. Sirmondus ad h. l. Neque concedendum est Beveregio, ea, in quibus sublevavit fratrem suum Mamerum, non posse peragi, nisi ab Episcopo. Utrum verò Choropiscopus revera fuerit Claudianus, uti velut Petrus de Marca d. c. 14. n. 5. an verò inter presbyteros substiterit, nihil facit ad rem, dummodo Episcopum eum non fuisse obtineamus.

XVIII. Exclusis ita ab ordine Episcorum Choropiscopis, proximum nunc est, ut videamus, utrum in numero presbyterorum habitu fuerint. Atque ita putat Petrus de Marca d. c. 13. f. 2. c. 14. §. 3. Cui proinde non repugnat esse Choropiscopum & simul presbyterum, qui & propterea Claudianum modo memoratum Choropiscopum fuisse dicit. Sententiam suam confirmat in primis ex eo, quod in Concilio Neocæsariensi c. 13. Choropiscopi dicantur ad similitudinem & exemplum septuaginta discipulorum instituti, ex veterum autem scriptis constet, eodem modo cum septuaginta discipulis comparatos fuisse presbyteros, Apostolis vero Episcopos. Sed hanc comparationem novitatis arguit, & antiquissimis Ecclesiæ Doctoribus ignotam fuisse putat David Blondellus in *apol. de Episc.* Et *presb. scđt. 2. p. 43.* cuius sententia juvari poterit ex verbis Nicolai I. Pontificis in *epist. ad Rudolphum Bituricensem*: *Ad formam septuaginta Choropiscopi facti sunt, quos*

quos quis dubitet Episcoporum habuisse officia. Quicquid hujus sit, Marcæ sententiam perspicuè magis confirmat Concilium Hispalense II. can. 7. quod secundum vulgatam editionem Choropiscopos & presbyteros juxta canones unum esse supponit. In editione enim Garsiæ Loaysæ verba illa non habentur, forte quod posteriorum temporum scriptores post sublatos & extinctos Choropiscopos eorum mentionem studiosè declinaverint.

XIX. Quicquid hic statuamus, tantam tamen asserere oportet Choropiscoporum præ cæteris presbyteris præminentiam, ut fere diversum ab eis ordinem constituere videantur. Sanè superiorem dignitatis gradum eos obtinuisse docent canones, qui, ubi utrorumq; mentio facienda est, Choropiscopos semper anteponunt presbyteris. Videre id licet in Concilii Niceni canone 8. Concilii Chalcedonensis can. 2. Hispalensis II. can. 7. alibiq; passim. Istam prærogativam aliquo modo, sed obscure, describit Concilium Neocælariense can. 13. dum ait: *Choropiscopi autem sunt quidem ad exemplum septuaginta, ut autem comministri, propter studium in pauperes offerunt honorati.* Quæ verba ita explicat Petrus de Marca d. c. 14. n. 3. quod Choropiscopi solemniori & celebriori pompâ in sacris ministeriis obeundis procedere soleant, quam presbyteri civitatis, quodque eo clericorum satellitio stipatis esse liceat, quod Episcopalem quandam honorem referret, licet revera eorum gradus ad typum septuaginta discipulorum esset expressus.

XX. Ut de Choropiscopis eorumq; officio, quæ in veterum scriptis habentur, rectius intelligantur omnia, notandum est, urbes illas, in quibus Episcopi sedes suas habuerunt, suas sibi annexas habuisse regiones five *χωρες*. Territoria dixerunt Jcti, habitu respectu ad regimen seculare, quod magistratus ejus loci intra eos fines terrendi, id est summovendi jus habet. l. 239. §. 8. ff. de V. S. Idq; vocabulum etiam ad politiam Ecclesiasticam translatum est, diciturq; territorium Episcopi c. omnes basilicae 16. q. 7. c. monasteria 18. q. 2. regio illa, quæ civitati adjacet, & in antiquis canonibus ut plurimum dicceles, aliquando etiam *παρουσια*, nomine venit. Ut ergo magistratus in civilibus, sic Episcopus in Ecclesiasticis negotiis, non solum intra ipsa Urbis mœnia, sed & intra totam ejus regionem five territorium potestatem suam exercuit. Habuit ergo Episcopus non in civitate tantum apud Ecclesiam matricem, sed etiam ē τῆς χώρας, ubi Ecclesiæ constructæ erant, suos presbyteros, qui suam in sacris peragendis, sacramentis erogandis, fundendis precibus, homiliis recitandis, cæterisq; hujusmodi sacris ministeriis navabant operam. Qui ultimi propterea *παρούσαι* can. 13. concil. Neocælar. five presbyteri ē τῆς χώρας can. 8. Concil. Antioch. aliquando presbyteri qui sunt in agris dicuntur.

XXI. Sed

XXI. Sed inter hos ipsos aliqua adhuc est differentia ratione loci, cui quasi addicti sunt, adeo ut ordine quidem pares & æquales, jurisdictio-
nis tamen & potestatis amplitudine dispare invicem essent. Parœcia scil.
illæ rusticæ, suburbanæ alias & aliquando vicanæ dictæ, parvæ aliæ erant,
aliæ majores, & aliæ maximæ. Parvæ, in quibus pauci admodum incolæ
erant, ἀρχοντὶς Græcis dicebantur; majores, ἐγκληματι, in quibus nu-
merus haud paulo major erat; & maximæ, quæ in oppidis erant & ampliori-
bus adhuc locis, quibus etiam Episcopi præfici possent. Distinctionem eam
facit Zonaras ad can. 17. Concilii Chalcedonensis his verbis: *Simili pror-
fus constitutione cum eâ, que in Ephesinâ tertiad synodo edita est, hoc tantum discrimi-
nare, quod in illâ de provinciis amplioribusq; locis, quibus etiam Episcopi præfici
solti sunt, constitutum: de parœciis, quarum Ἐγκληματi fines, nec multa celebritas
esset, hoc loco actum, que quidem in rusticana paganas q; eis ἀρχοντὶς καὶ ἐγκλη-
ματi, dividuntur. Ac rusticana quidem, ἀρχοντὶς, dicunt eas, que in remotis
locis positi, exigo incolarum numero exculte sunt, que Ἐγκληματi vocantur.
Paganas vero ἐγκληματi, prædiis Ἐγκλημatias majore incolentium mul-
titudine frequentes. Sc: Ad eundem modum etiam Aristenus commenta-
tur: *Rurales autem hinc parœcias & regionales ne putas civitates esse aliquas aut
vicos, sed agros: & regionales quidem in mediis agris & vicis positos: rurales
autem ab iis remotos, & in ipsis extremitatibus collacatos, quos & monœcia nunc
vocant. Sc: Qui igitur in majoribus erant παροικιας presbyteri, illis etiam
minorum parœciarum cura incubuisse videtur, unde & Επίκλησι dicti
fuerunt, Vid. Francisc. Bosquet. ad Innoc. III. epist. 5. lib. 1.**

XXII. Præter presbyteros vero istos omnes, per quos juxta Episcopi
dispositionem divinus cultus expediebatur, adhuc alii erant Episcopo ad-
ministri in majore dignitate constituti, & ei propterea proximiores. Præci-
pui erant Chorēpiscopi, archipresbyteri & archidiaconi, quos proinde Epi-
scopi ministros vocat Concilium Aquisgranense c. 1. de ordine Reitorum can. 4.
Uti igitur Archipresbyteratus & Archidiaconatus denotat ministerium ad-
iunctum gradui cum eminentiâ aliquâ: ita & Chorēpiscopatus denotat offi-
cium ab Episcopo collatum & superiorius quodammodo presbyteratu. Nun-
quam vero Chorēpiscopi plenam habuerunt Episcopalem potestatem, cum
utiq; id fuisse Canoni Nicæno prorsus adversum, prohibenti ne in unâ diœ-
cesi duo essent Episcopi. Plus igitur poterant Chorēpiscopi, quam ordina-
rii presbyteri, minus vero, quam Episcopi. Cumq; etiam Archidiaconi
quandoque vicarii Episcopi dicantur, & in quamplurimis ejus vices sup-
plement c. 1. & 7. &c. de offic. Archidiac. illis tamen superiores fuerunt Chor-
ēpiscopi, quippe qui majorē partem ex officio Episcopi quasi decerp tam
fustinebant. Nec tamen, ut Archidiaconi aut presbyteri certo loco addicti
erant, sed in generali aliquo ministerio, quod per totam regionem se diffua-
debat,

debat, versabantur; quanquam, si ita visum fuisset Episcopo civitatis non fuerit ab officio eorum alienum, ut & ipsi certam aliquam Ecclesiam vicinam regerent, collato & adjuncto munere cæteras visitandi.

XXIII. Præcipuum vero eorum axioma sese exeruit in constitutione subdiaconorum & inferioris gradus clericorum, quam quidem liberam ab initio habuisse colligere licet ex canone 10. Concilii Antiocheni, cuius hæc sunt verba ex versione Dionysii Exiguī: *Ordinent etiam Lettores & Subdiaconos atq[ue] exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant.* Postea vero adstrictam magis hanc eorum potestatem fuisse appareat ex epistolâ Basili Magni 181. quam scripsit ad Choropiscopos suos, & habetur inter canones Basili sub num. 90. Ex quâ ista ad rem præsentem faciunt verba: *Eos qui Ecclesiæ ministrabant, olim consuetudo, quæ in DEI Ecclesiæ obtinuit, accuratissimè probatos admittebat, & omnis eorum vitæ agendæ ratio curiosè inquirebatur, annon essent maledici, annon ebriosi, annon prompti ad pugnas, an suam juventutem rectè erudirent ac castigarent, ut possent sanctificationem rectè gerere, sine quâ nemo Dominum videbit.* Et hæc quidem examinabant presbyteri & diaconi, qui cum eis versabantur. Referebant autem ad Choropiscopos, qui à verè testificantibus suscepisti suffragiis & eorum admonitis Episcopis, oī τὰς ἡδὺ τὰν αληθινῶς μαρτυρήσαν δεξάρχων Φίλοφος, καὶ τὸν νήσον τὸν Πτολεμαῖον, ita ministrum in sacerdotalem numerum cooptabant. Presbyteri igitur atque diaconi explorabant prius cujusq[ue] candidati mores & rationem vivendi, deque illis ad Choropiscopos referebant, hi porrò ad Episcopum, & ex hujus denique consensu Choropiscopi ministros in clerum cooptabant.

XXIV. Huic consuetudini derogatum fuisse à Choropiscopis, nullamq[ue] amplius ad se relationem fieri graviter dolet & conqueritur Basilius: *Nunc autem, inquit, nobis primū extrusis nec ad nos referre in animum inducentes, omnem in vosmetipso autoritatem transflustis.* Deinde re per summam socordiam tractatā, presbyteris & diaconis permisisti, quos voluerint, vīta eorum non examinatā ex affectione vel cognitionis vel alicuius alijs amicitiae, indigos in Ecclesiam introducere. Et idēo multi quidem numerantur ministri in unoquoq[ue] pago; sed nemo est dignus ministerio altaris, ut vos ipsi testificamini, qui hominibus indigetis in electionibus. Cumq[ue] observasset, plurimos idēo tantum inter Clericos nomen suum profiteri, ne milites esse & bellica munia suscipere cogerentur, inde verò ordini clericali haud exiguum dedecus exoriri, pristinam illam consuetudinem revocari voluit, jussitq[ue], ne deinceps Choropiscopi aliquem clericum constituant, nisi præviâ relatione ad Episcopum factâ, & impetrato ejus consensu. Quia ergo, inquit, *res deinceps eō processit, ut curari non possit, maximè cùm nunc plurimi metu, ne in milites referantur, seipso ministerio ingerant; ad renovandos patrum canones necessariō*

me contuli, & ad vos scribo, ut indicem ministrorum uniuscujusq; pagi, & à quo unusquisq; introductus sit, & qualis sit ejus vita, ad me mittatis. --- Sic itaque post primam indictionem, si qui à presbyteris introduci sunt, ad Laicos rejiciantur. --- Et quod reliquum est, dignos quidem examineate & suscipe: in numerum autem ne referte, priusquam ad nos retuleritis: vel scitote quod erit Laicus, qui sine nostrā sententiā in ministerium admissus est.

XXV. Quoniam Basilius ad Patrum canones provocat, quos renovare se velle profitetur, sollicitus est Petrus de Marca lib. 2. de concord. sacerd. & imp. c. 13. n. 6. qui sint isti canones, quibus necessitas injuncta fuit Chorēscopis, ne subdiaconos. & cæteros ministros in clerum adscribant, sine sententiā Episcopi. Cumque ex canone Antiocheno supra laudato id minimè appareat, à Synodo Laodicenâ id petendum putat, can. antepenult. quo cavitur, ne in villulis aut in agris Episcopi constituantur, sed περιοδευταὶ five visitatores, illi autem, qui antebac constituti fuerunt, ne quid agant sine consensu Episcopi civitatis. Similiter autem & presbyteros jubet nihil agere sine consensu Episcopi. Hos presbyteros ait Marca esse illos περιοδευταὶ seu visitatores, & esse adeò eosdem cum Chorēscopis; cum quod Basilius dicit, neminem deinceps in ministerium recipi debere ἀνέγειρες γράμμης sine nostrā, ut ait, sententiā, depromptum id sit ex canone Laodiceno, ubi dicitur, nihil agi debere à περιοδευταῖς ἀνέγειρες & διποκόπες. Et addit, Synodum Laodicenam videri averlatam fuisse, nomen Chorēscopii ad comprimendos ministros illos, & substituisse nomen periodeutarum, & hoc deinceps in Oriente substituisse.

XXVI. Hoc verò minimè placet Davidi Blondello apol. de Episc. & presb. seq. 3. pag. 130. qui canonem Laodicenum de Chorēscopis agere negat, & putat, Basilium id, quod de Episcopis in villis constitutis à Synodo Laodicenâ sanctum legitur, analogice ad Chorēscopos transtulisse & applicasse, hoc sensu: Si Episcopalem ordinationem consecuti, quia in villis degebant, non secūs ac presbyteri simplices, nihil præter urbani Episcopi sententiam agere debebant, quantumminus Chorēscopii hujus ordinationis minimè compotes. Sane difficile erit hic Petro de Marca canonem Synodicum ex Basili verbis exigenti satisfacere: *Hujusmodi canon, inquit Zonaras in commentar. in Synodis Basilio antiquioribus non invenitur.* Sed quid si dicamus extitisse quidem aliquando talem aliquem, sed perisse. Nec enim negari potest, plurima hodiè desiderari, quæ ad veterum disciplinam explicandam facerent. Alibi autem dixi, vix admitti posse, ut quis statuat, eosdem esse periodeutas cum Chorēscopis, præsertim cum diversos eos fuisse haud obscure innuat Justinianus Imperator in l. 42. §. 9. C. de episc. & presb. Præterea sanctimus, quemadmodum & divinis canonibus definitum est, ne quis Episcopus aut Chorēscopus, aut visitator sive circitor, aut presbyter, aut

aut alius cujuscunq; dignitatis clericus per largitionem ordinetur, μή τι Φίλος-
πον, μή τι χωρεπισκόπον, μή τι παιδευτὴν, μή τι πετεῖην &c.

XXVII. Quod vero de subdiaconis & inferiorum graduum clericis dixi, eos à Choropiscopis ex sententiā Episcopi dioecesani constitutos fuisse, id ad presbyteros & diaconos extendi non debet. Et supra jam refutavi sententiam eorum, qui ex canone Antiocheno colligunt, licuisse Choropiscopis, si præcesserit mandatum Episcopi, ordinare presbyteros & diaconos. Etsi enim, si jus divinum spectes, ordinatio presbyteri per alium Presbyterum vel Choropiscopum facta, non sit irrita aut nulla; propter Ecclesiasticas tamen constitutiones, quæ presbyteris eam potestatem ademerunt, ordinatio presbyterorum & diaconorum omnino fieri debet ab Episcopo, nec licet adeò presbyteris aut Choropiscopis verorum Episcoporum partes temere involare, & ordinationes Episcopis debitas protervâ manu sibi vindicare. Nec tamen admittimus, si quis inde defectum internæ potestatis inferre velit, cum ex solâ suspensione aut inhibitione exercitii frustra colligatur habitus exclusio.

XXVIII. Non audet sanè Nicolaus I. in epist. ad Rudolfum Bituricensem cap. 1. tales presbyterorum à Choropiscopis factas ordinationes irritas pronunciare, sed vetat tantum, ne quid tale in posterum fiat: *A Choropiscopis, inquit, assertis multas esse in regionibus vestris ordinationes presbyterorum & diaconorum effectas, quos quidam Episcoporum deponunt, quidam vero denuo consecrant: nos vero dicimus, nec innocentes oportere percelli, nec ullam debere fieri reordinationes, vel iteratas consecrationes: ad formam enim septuaginta Choropiscopi facti sunt, quos quis dubitet Episcoporum habuisse officia.* Sed quia sacri canones carent, ne omnes sibi omnia vindicent, ac per hoc dignitas Episcoporum ad Choropiscopos suos videatur transferri, fiatq; vilior honor Episcopi, decernimus nihil in hoc præter regulas ulterius fieri. Nec deponi voluit, nec reordinari presbyteros à Choropiscopis ordinatos, quippe quos vere, et si non canonice ordinatos putavit. Cohiberi tamen vix potuerunt Choropiscopi, donec, concurrentibus etiam aliis causis, prorsus abrogatum eorum ministerium fuit, uti deinceps dicemus.

XXIX. Tanta vero Choropiscoporum cum fuerit autoritas, misum non est, adhibitos eos fuisse in Conciliis & admissos, ut simul cum reliquis Episcopis conderent decreta. Sic enim in Concilio Neocæsariensi subscriplisse leguntur præter Episcopum Cappadociæ Leontium Cælareæ etiam Stephanus Choropiscopus Cappadociæ & Rhodus itidem Choropiscopus Cappadociæ. Idem hi duo Choropiscopi Stephanus & Rhodus cum tribus aliis Choropiscopis Cappadociæ, & cum duobus Choropiscopis ex provinciâ Palæstinæ & Ciliciæ, item cum quinque ex provincia Isauriæ & cum duobus Bithyniæ, magno & universali Concilio Nicæno subscripserunt. Ita & in Ephesinâ Synodo Cæsarius Alces Choropiscopus damnationi Nestorii

cum aliis Episcopis subscriptis. Utrum autem vices Episcoporum tuorum tūm egerint, & nomine ipsorum subscripterint, uti vult Petrus de Marca d.l.c. 13.n. 1. an verò proprias suas tūm expleverint partes, uti putat Blondellus d.l. non adeò constat. Nec enim ex eo, quod eādem interdum cum Episcopis formulā usi fuerunt, colligere licet, Episcoporum eos legatos non fuisse, aut nomine proprio eos egisse, uti facit Blondellus. In Concilio tamē Chalcedonensi act. 6. subscriptissim inveniuntur Adelius Episcopus Arabisi per Adelphium Choropiscopum, Messalinus Episcopus Laodiceæ per Adilum Choropiscopum, Florentius Episcopus Lesbi per Evelyptum Choropiscopum. Cumque etiam alibi, qui aliorum vices gerunt, profiteri id in subscriptionibus soleant, non vana inde nascitur præsumptio, substitutos non fuisse Choropiscopos, quando nulla talis eorum nominibus adjecta est nota.

XXX. Supereft, ut videamus, quā ratione in defvetudinem abierit, aut abrogatus fuerit Choropiscopatus. Et quidem antiquissimum, ut mihi videtur, eā de re afferri folet testimonium ex epistolā Damasi, quam de Choropiscopis scripsit, ubi jam ante à totius Orbis Episcopis prohibitos Choropiscopos refert. Sed falsam & apertissimè apocrypham esse totam istam Damasi epistolam, præter alia plurima, quæ cum aliis ejusdem surfuris decretalibus ab inverecundo impostore sub ipsa leculi noni initia confitit, communia habet, arguunt etiam appositi in fine Consules, Livius & Theodosius. Hujusmodi enim Consulatum nullis in fastis occurrere jam diu notarunt eruditii. Et observat David Blondellus in *Pseudo Iſidorō* pag. 541. stylum hujus epistolæ nihil habere commune cum tersā Damasi phrasī, aliumq; longè fuisse Damasi characterem ab hoc verbosissimæ loquacitatis inculto squalore. Nec sanè probari potest, ante Damasum, uti ipse innuit, prohibitum ab omnibus totius Orbis Episcopis fuisse Choropiscoporum ministerium. Simili *vōgīas* vitio laborant epistolæ decretales, Leonis I. octogesima octava, Felicis IV. prima, & Johannis tertii epistola unica, quæ singulæ Choropiscoporum ministeria acriter perstringunt.

XXXI. Tempore Karoli Magni disquiri cœpit, numquid valerent ordinationes presbyterorum & diaconorum, tūm & alii actūs ad Episcopos alias pertinentes à Choropiscopis usurpati. Cumq; Carolus eā de re Pontificem Leonem III. consulendum putasset, Legatum ad eum destinavit Arnonem Archiepiscopum Salisburgensem. Duriter admodum & acerbè respondit Pontifex, actūs illos omnes à Choropiscopis usurpatos viciosos non tantum esse, sed & irritos; & debere adeò, qui ita à Choropiscopis ordinati essent, canonicam ordinationem accipere à veris Episcopis, ipsos autem Choropiscopos deponendos esse & plectendos exilio, eorumq; ministerium atque gradum prorsus abolendum. Reverso Arnone deliberatum fuit in comitiis Ratisbonensibus, quoisque Pontificis hoc decretum admitti debet.

beret. Et approbatum quidem id fuit in plerisq; omnibus, nisi quod noluerint congregati Proceres Choropiscopos prorsus extingvere, sed sa-
tius duxerint, eos in presbyterorum gradum & ordinem revocare. Di-
gnum est capitulum, quod totum & integrum legatur; & extat illud
lib. 7. c. 187. Videtur tamen procedente tempore temperamentum istud
fastulisse Karolus, & ipsos etiam Choropiscopos prorsus de gradu suo de-
jecisse, uti apparet ex verbis ultimis capituli 310. § 328. *eiusd. libr. 7.* Si
autem ita aliquid ex his agere tentaverint, irrita erunt, que ab iis geruntur,
Et ipsi omni Ecclesiastico honore funditus priventur. Sed videtur tantum per-
tinere ad eos, qui legem antea promulgatam violaverint.

XXXII. Ipsum tamen etiam Choropiscopatum à Karolo M. subla-
tum fuisse docet capitulum ejus 119, lib. 6. Placuit, ne Choropiscopi à quibus-
dam deinceps fiant: quoniam hactenus à nescientibus sanctorum Patrum & maxi-
mè Apostolicorum decretis, suisq; quietibus ac delectationibus inhærentes, facti
sunt. Idcirco & olim persepe, & nostro à sancta Apostolica sede tempore sunt
prohibiti, & ne deinceps à quoquam, tam ordinante, quam ordinari cupiente, ta-
lis presumptio assumatur, à cunctis nostri Regni Episcopis est synodo canonice pro-
hibitum. Nec tamen ad hoc placitum desierunt illico Choropiscopi, quip-
pe quos anno adhuc DCCCXXIX. in Concilio Parisiensi cap. 27. coérce-
re, & in ordinem redigere oportuit. Idem repetitum anno DCCCXLVI.
in Concilio Meldensi cap. 44. Causa verò tam diuturnæ eorum conservatio-
nis, & repetitæ adversus tot canones pervicaciæ unicè videtur adscribi de-
bere vitæ generi, quod Episcopi tūm temporis sequebantur. Negligeabant
illi Ecclesiastica, & genio suo indulgebant, suoq; officio defunctoros se puta-
bant, si vicariâ aliorum operâ subinde uterentur, ipsi interim delicate ac
mollite otiolam vitam trahentes, & in vino atq; luxu penè diffuentes.
Verecundè illos dixit Karolus Magnus suis quietibus & delectationibus in-
hærere, *d. c. 119.* Apertè magis desidiam & secularem pervagationem vo-
cavit Concilium Meldense *d. l.* Apud Pseudo-Damasum epist. 5. dicuntur
esse meretricibus similes, que statim, ut pariunt, infantes suos aliis nutricibus
tradunt educandos, ut suam citius libidinem explore valeant: Sic & istos infan-
tes suos, id est populos sibi commissos aliis educandos tradere- ut suas libidines ex-
pleant, id est, pro suo lubitu secularibus curis inhent, & quod unicuiq; visum fue-
rit, liberi agant. Cum igitur tam prompti essent Choropiscopi, & in se
omnem curam ac sollicitudinem Episcopalis ministerii susciperent, atq;
tam feliciter Episcoporum desidia patrocinarentur, mirum non est, patro-
nos eis vicissim extitisse Episcopos, eorumque ministerium pro virili penes
se conservasse. Imò vero fuerunt tūm temporis Episcopi, qui ideo tan-
tum Choropiscopos sibi adjunxerant, ut venationi, aucupio & cæteris se-
culi oblectamentis operam dare ipsi possent sine impedimento. In quos
justè invehitur Hincmarus Remensis epist. 45. cap. 16. Quidam Episcopi,

Ee 3. inquit,

inquit, etiam à longe p̄æcedentibus temporibus, scandalum pro suā quiete & volūptatibus in Ecclesiam intromiserunt, ordinantes Chōrepiscopos, & eis, que summis Pontificibus convenient, agere permittentes.

XXXIII. Quod verò Leo III. constituerat, ordinationes presbyterorum à Chōrepiscopis factas planè irritas esse & nullas, ejus contrarium asseruit, qui eum fecutus est, Nicolaus I. uti supra exposui. Sed à Nicolai sententiâ iterum divertit Concilium Metense, quod can. 5. hoc promulgavit decretum: *Ut bāsilicæ à Chōrepiscopis consecrata ab Episcopis consecrentur, roboratum est. Quia iuxta decreta Damasi Pape, Innocentii & Leonis, vacuum est atq; inane, quicquid in summi sacerdotii Chōrepiscopi egerunt ministerio, & quod & ipsi iidem sint, qui & presbyteri, sufficienter inveniuntur.* Ab eo tempore nulla aut rarissima admodum invenietur mentio Chōrepiscoporum in Ecclesiâ Occidentali, ita ut vix nomen hodiè supersit, neq; aliter de eorum statu & conditione, nisi per conjecturas, definire quid liceat. Consuli in primis de hâc materiâ potest Dionyius Petavius ad Epiph. h̄eres. 69.

CAP. XIV. *De Vicario, & Officiali.*

I.

Vicarii Episcoporum, ut hodiè se habent in Ecclesiâ Latinâ, planè ignoti fuerunt apud veteres, nec de iis quicquam constitutum legitur in Conciliis antiquis. Videntur illi originem suam debere corruptelis, quæ ex beneficio non-residendi, uti vocant, natæ fuerunt. Idque beneficium contra institutum Christi & Apostolorum tam absurdè introductum est, ut maleficium potius dici debeat. Quomodo enim, qui jure divino curam gerere debet Ecclesiæ suæ, eamq; pacere verbo, exemplo, subsidio, quomodo officio hoc suo defungi poterit, si ipse præsens non est? Quomodo oves sibi commissas publicè privatimque docere, hortari, consolari, corripere, statum earum explorare, & propriū spectare, medicinam idoneam parare, lupos arcere & oves suas defendere poterit, qui longius absunt, aut adesse non cupit gregi suo? quomodo Episcopi munus & nomen sustinebit, qui nunquam *P̄sonum*? Non enim creantur Episcopi, ut sint otiosi, & aliorum oculis videant, aliorum ore loquantur, aliorum auribus Ecclesiæ suæ defectus audiant, alienâ manu medicinam adplicant, alienis pedibus in rem præsentem veniant; sed necesse, est, ut qui tale munus suscipit, ipse etiam curam istam sustineat, & proprios manipulos Domino messis repræsentent. Unde severè olim per decreta sua in desertores aut muneris sui negligentes Episcopos animadverterunt Patres in Conciliis congregati.

II. Post-

II. Postquam verò officia Ecclesiastica dì vinum cultum, principalem suę institutionis causam agnoscere noluerunt amplius, & quod παρεγγόν olim fuit, pro ἐγγόν haberi cœpit, dum nempe utile istud temporale ad τὰ βιωτὰ pertinens, quod consecutivum olim & accessorium officii Ecclesiastici fuerat, inducētā proprietate, factum fuit præcipuum & principale, ita ut Clericos non munus aut officium amplius discerneret, sed temporalis quæstus, copia aut inopia, & redditus ad quodq; officium destinati, factum inde, ut etiam Episcopi sacram munus, quod gerebant, negligerent, & facultatibus tantum suis augendis intenti essent. Nec vana proinde est interpretatione muneris Episcopalis, quam facit Isidorus Clarius in *not. ad 1. Tim. 3. vers. 1.* Cum episcopatum, inquit, cogitas, ne referas animum ad bēc tempora, quibus Episcopi nihil minus norunt, quam eas partes, quae illis à Paulo assignantur; neq; quicquam aliud nunc intelligitur appellatione Episcopi, quam fructus & vestigia, & immenses honores.

III. Hac ratione verum sūum, quod eis commissum erat, officium deferentes Episcopi vicarios, qui in se id susciperent, constituerunt, ab initio quidem ad tempus tantum, ne animadverteretur illico affectata illa desidia; postea verò etiam in perpetuum, postquam substitutionibus ejusmodi asfveti jam essent animi parochianorum. Et poterat sanè οἰκονομίας istiusmodi utcunq; excusari ex eo, quod etiam in Conciliis, quibus tamen interesse oportuit singulos, legatum mittere licuerit, si vel ætate, vel ægritudine, vel alia graviore necessitate quis impediatur, uti statutum in Concilio Carthaginensi IV. c. 21. quem adducit Gratianus c. *Episcopus dist. 18.* Quia igitur etiam in Conciliis, in quibus cuiusque præsentia quam maximè necessaria erat, per vicarium agere licuit & oportuit, non absurdum vide ri poterat, etiam in reliquis muneri sui partibus vices aliquem suscipere, dum saltem ille idoneus fuerit, & gerendæ rei aptus.

IV. Nec enim putandum est, quod putavit aliquando Panormitanus, vicarios illos non habuisse jus suffragii in Conciliis; quin imò contrarium satis appareat ex epistolâ Aviti Episcopi Viennenis, quâ provinciales suos Episcopos invitavit ad synodum Epaonensem: *Duos inquit presbyteros magna ac probabiliter vite mandati instructione firmatos, fratribus pro se præsentare procuret.* Sed tales dignetur eligere, quos Episcoporum concilio non minùs scientia quam reverentia jure faciat interesse, cum quibus delectet summos Pontifices conferre sermonem, quos ad definitiones pro Episcopo suo sancendas, subscribendasq; cum fuerit solertia eligi, sit autoritas legi. Sed istud non extorqueat, nisi summa necessitas, &c: Et invaluit praxis ista per substitutos in synodis agendi, deliberandi & suffragium ferendi jam seculo quinto, non tamen nisi in casu extremæ necessitatis, sub poenâ suspensionis à communione c. per venit, c. placuit, c. si quis, c. si episcopus &c. seq. d. dist. 18.

V. Cæ-

V. Cæterum quod ita in conciliis receptum & utilitatis causâ lege firmatum fuit, id in aliis negotiis Episcopali bus nullâ omnino utilitatis ratione nititur, nisi quod talis vicarius Episcoporum desidiae patrocinetur. Et verò valde proficuum hoc est Episcopis, quod recentiore jure Canonico oporteat eos sibi vicarios constituere, eo que referunt c. cum simus 9. q. 3. c. in novâ 16. q. 7. c. quoniam 14. ¶ de off. jud. ord. c. Rômana § tot. tit. de offic. vicar. in 6. Quæstionem hanc cum sibi ventilandam propoluisset Jacobus Sbrozzius tr. de vicar. Episc. lib. 1. q. 46. utrum Episcopus teneatur constitue vicarium? duas movet rationes dubitandi: primam, quia quilibet regulariter debet in personâ propriæ Ecclesiæ deservire; & alteram, quia vicarius constituendus non est, nisi urgens necessitas postulet. Sed his non obstantibus, decernit post plures alios, quos in testimonium vocat, debere in quâlibet civitate insigne unum esse Episcopum & unum vicarium, & posse cogi Episcopum, ut sibi constituat vicarium. Ad primam autem rationem dubitandi respondet, procedere eam in Rectoribus Ecclesiârum parochialium, nec ad Episcopos extendi debere. At verò diversum & creditum olim, & in ipso jure Canonico extat c. pervenit 7. q. 1. Per tres hebdomadas Episcopum abesse suâ ab Ecclesiâ vetuit Concilium Eliberium, can. 21. ultra quindecim dies Leo, epist. 81. c. 10. Et Justinianus Imperator Episcopum prohibet extra Ecclesiam suam vagari, ne quidem sub specie utilitatis Ecclesiæ suæ procurandæ, novell. 6. c. 2. Ad secundam dubitandi rationem respondet Sbrozzius, Episcopum semper posse constitutum in necessitate propter ingentes occupationes, in quibus Episcopale regimen & animarum cura versatur, & quod in amplis atque diffusis diœcesis Episcopus universa expedire ipse nequeat. Sed hæc ipsa etiam responsio maximam partem confutatur in dictâ novellâ 6. quod licet Episcopis talia confidere per apocrisiarios, aut Clericos, aut Oeconomos suos, nec necesse sit, ut ipsi propterea ab Ecclesiâ suâ discedant.

VI. Enimvero potest aliquando dioecesis aliqua tam ampla & diffusa esse, ut unus toti non sufficiat. Sed tunc in promptu remedium est, ut abdicet partem, quæ exuberat, eamque alteri cedat. Id verò quam difficulter ab Episcopo impetrari queat, notius est, quam ut exemplis comprobari oporteat. Sed ut maximè παρονία Episcopi tam ampla non sit, ut ab uno Episcopo gubernari nequeat, cogendum tamen eum nihilominus docent Canonistæ, ut vicarium sibi constituat; quem verò in finem, nisi ut otiani aut alia omnia agere eliceat impune. Atq; in hos tales meritò invehitur Marcus Antonius de Dominis de Rep. Eccles. lib. 2. c. 7. n. 23. Potest inquit, profectò Episcopus, non diffiteor, cum liber sit, subtrahere se muneri & officio Episcopali: nolleq; Ecclesiæ ulli inservire. Et hunc ego à residentiâ facile liberabo. Ipsius tamen loco non admitto mercenarios, quos ipse constituat: quia Ecclesia indiget pastore, non mercenario: & Episcopo, non substituto. Abdicet se igitur penitus

nitus ille, & alius in illâ Ecclesiâ personaliter, ut tenetur, servitus, per eos, quâ
banc habent in Ecclesiâ potestatem, instituatur. Atq[ue] ita se abdicet, ut neq[ue] suspen-
tionem, neq[ue] redditus, neq[ue] ultra stipendia ab illa accipiat. Hec enim stipendia non
nisi pro actuali servitio præstio ministris debentur. -- Aut ergo dimittat Epi-
scopatum plenè: aut si retinet, Episcopi munus impleat. Sicut enim navis guber-
nator, à domino navis conductus, tenetur vel officium susceptum deponere, vel se
personaliter clavo navis regendo alligare: & Pastor ad gregem pascendum simi-
liter conductus, debet ipse per se & non per alios pascere: ita medicus: ita janitor
& claviger à Principe pro arcis vel civitatis custodiâ assumptus ipse perse debet
clavum curam babere: Ita dum Christus vices suas Episcopo committit, quamdiu
ille Episcopalem gradum occupat debet Episcopalia munera per se ipsum exerce-
re &c. Simili reprehensione eos perstringit Nicolaus de Clemangiis epist. 75.

VII. Nec verò antiquis Ecclesiæ Doctoribus necessarius viuis fuit
iste talis vicariatus, quandoquidem Archidiaconi tūm veri erant Episcopo-
rum vicarii, quippe ad quos omnis cura in clero tam in urbe quam extra per
parochias habitante pertinebat, quique etiam visitare poterant dicecesin,
sicubi Episcopis propter adversam valetudinem id minus liceret. Unde
& Archidiaconus à Fultero Carnotensi epist. 34. oculus Episcopi dicitur,
quod velut in specula & statione positus prospicere debeat actus totius
Ecclesiæ & ad Episcopum referre. Imò verò etiam Archipresbyteri vi-
ces Episcoporum suorum quandoque sustinent. Et diaconis commissa sæ-
pè talia fuerunt olim, quæ Episcoporum partibus accenseri vulgo solent.
His igitur subsidiis cum instructi fuerint Episcopi, suosque jam vicarios ha-
buerint, quid opus fuit alium speciali nomine instituere, & entia præter
necessitatem multiplicare? Si tamen credendum est, quod scribit Antonius
Dadinus Alteserra ad c. 9. q[uo]d. de offic. Archidiac. ex Archidiaconorum
fastu & affectatâ superbiâ provenisse, ut alibi ad tempus instituerentur,
alibi prorsus extingueretur eorum dignitas, videtur ex hoc eorum interitu
novum hoc vicariorum genus, de quo agimus, natum fuisse.

VIII. Quandoquidem igitur de vicariis his in specie ita dictis uni-
versa filet antiquitas, nec adeò quicquam in veterum documentis reperi-
tur, alienum planè erit ab instituto nostro de illis h[oc]c annotare, quæ ex usu
hodierno valde prolixè recensent Canonistæ, quæque, ut supra dixi, maxi-
mam partem ad corruptelas referri debent. Videri èa de re possunt, quos
magno numero allegat Camillus Borellus de magistratum edit. lib. 1. cap. 1.
n. 99. & copiosissimus tractatus Jacobi Strozzi, qui in præfatione profite-
tur, se postquam vicarius generalis in Episcopatu Fani constitutus fuisset,
multamque cum præside ejus civitatis contentionem de jurisdictione ha-
buisse, commotum fuisse, ut librum eum conscriberet, seque adeò po-
testatem vicarii Episcopalis supremis vix antea labiis degustatam ac penè
obrutam in unum congesisse. In tractatu ipso lib. 1. quest. 7. querit, quo
jure introducta fuerit Vicaria Episcopalis? Et breviter atque abscissè re-

Ff

spon.

spondet, quod de jure canonum. Nec addit tamen quicquam, ad quam etatem ejus origo referenda, aut quibus canonibus ea introducta sit. Solummodo refert, quod in volumine Gregoriano paucis in locis de vicariis Episcoporum mentio fiat, sed in sexto pluries. Quo ipso haud obscurè prodit, novius hoc esse officium Vicariorum, quam ut ex veterum monumentis comprobari queat.

IX. Illud vero præteriri hic non debet, vicarium aliquando dici officiale c. *ex frequentibus 3. scilicet de instit. c. in tantum scilicet de Simon. c. cum generali de offic. vicar. in 6.* & sub hoc nomine valde perstringi hoc officium, à Petro Bleſensi, Archidiacono Bathoniensi, epist. 25. quam scripsit ad officialem Episcopi Carnotensis. Digna est epifola, quæ tota legatur. Nos aliquam ejus partem frustulatum hic recensebimus. *Quia te, inquit, affectuofissimè diligo in visceribus Iesu Christi, proposui te salutaribus monitis adhortari, ut de Ur Chaldaeorum, & de medio Babylonis tempestivus ex eas, ministerium damnatissima villicationis omittas.* Scio, quia munera cupiditas subvertit cor tuum, ut fieres Officialis Episcopi. --- Credo bujusmodi Officiales non ab officio, nomine, sed ab officio, verbo, mutuasse vocabulum: nam genus hoc hominum, quod dicunt officiperdi. Tota officialis intentio est, ut ad opus Episcopi sue jurisdictionis commissas miserimas oves quasi vice illius tondeat, emungat, excoriet. Iſti enim sunt Episcoporum sanguisugae, evomentes alienum sanguinem quem biberunt. --- Quod enim aggregant per oppressionem pauperum, Episcopis quidem ad delicias cedit, Officialibus ad tormentum. --- Sic Episcopus quasi longâ manu bona aliena diripit, & notam criminis à se removens, suis Officialibus culpe & infamie discrimen impingit. --- Officium Officialium, quorum te numero aggregasti, bodiè est, jura confundere, fuscitare lites, transactiones rescindere, innellere dilationes, supprimere veritatem, fovere mendacium, quæsum sequi, æquitatem vendere, inibiare exactionibus, verutias concinnare. --- Et ut multa sub verborum paucitate concludam: dum omnia venaliter agunt filii avaritiae, servi mamnone, se diabolo venales exponunt. --- Relinque maturius Officialis officium, ministerium damnationis, rotam malorum, & spiritum vertiginis, qui te ad inania circumvolvit. *Miserere animæ tuae placens DEO: cui placere non potes cum isto perditionis officio.*

CAP. XV. *De Coadjutore.*

I.

Prisca tempora coadjutores Episcopos nullos agnovisse, quippe plebes duos Episcopos pati non potuisse, & ideo ad vitanda Schismata tales Coadjutores vel etiam Successores designatos non admisisse, scribit Franciscus Bosquetus ad *Innocentii III. lib. 2. epist. 121.* Id verò ego ita accipio, duos in unâ diœcesi Episcopos æquali dignitate & potestate non fuisse

fuisse admissos, quandoquidem etiam in Concilio Nicæno can. 8. prohibitum fuit, ne in unâ civitate duo essent Episcopi. Nec facio cum Marco Antonio de Dominis lib. 3. de Rep. Eccl. cap. 3. n. 64. canonem Nicænum ita explicante, ut excludat duos Episcopos inter se dívisos, cum plebis etiam divisione; non autem duos in solidum amicè copulatos. Enimverò cùm vix obtineri queat, ut duo in solidum tantâ charitate conjuncti inveniantur, ut non aliquando inter eos litigium aliquod intercedat, neque extantâ conjunctione meruenda sit aliqua negligentiae labes, cùm plerumque, quod à pluribus curatur, a singulis negligi soleat, non videntur sane Patres Nicæni talem conjunctionem approbare voluisse. Quin & exempla prostant Episcopatum divisorum & plurium ex uno resultantium, si præfertim populus amplitudine & multitudine suâ curam unius superaverit, neque ille sufficiens esse universis potuerit. Sed uti tûm una diœcesis in duas divisa tuit, ita mirum non est, duos quoq; Episcopos constitutos fuisse, qui scil. seorsim & separatim suas habebant *Monomias*.

II. Extant nihilominus exempla in contrarium, quibus Episcopo adhuc viventi & in munere suo permanenti adjunctus fuit aliis, qui proinde coëpiscopus dici poterat. De Alexandro Cappadociæ Episcopo refert Eusebius lib. 6. hist. c. 8. § 11. factum eum Episcopum Hierosolymorum, Narciso, qui prius ibi fuerat Episcopus, adhuc superstite. Et ne quis dubitet de Episcopatu utriusq; simultaneo, disertè meminit Eusebius τῆς Ναρκίσσου οὐντὸν ὁρεζέδειας, & recenset ex quâdam Alexandri ad Antinoitas scriptâ epistolâ hæc verba: *Salutat vos Narcissus, qui ante me Episcopalem hujus Ecclesie sedem tenuisti, & qui nunc mibi conjunctus es in orationibus, καὶ νῦν οὐκεῖται οὐδὲ μοι διὰ τῶν ιυχῶν, annos natus sexdecim supra centum* §c. De eodem refert Hieronymus in scriptorum Eccles. catal. quod Alexander adnitente ipso vel maximè Narciso Hierosolymitanæ Ecclesiæ cum eo gubernaculum suscepit. Contigisse tamen eam adjunctionem per revelationem & visionem quandam idem scribit Eusebius. Et ex decrepitâ Narcisi aetate colligitur, admodum necessariam fuisse ejusmodi adjunctionem, cùm superesse ille functioni suæ amplius non posset. Estq; hoc primum exemplum Coadjutoris, quod in historiâ Ecclesiasticâ occurrit.

III. Simile contigit in Ecclesiâ Cæsareensi in Palæstinâ, in quâ Theotecnus Anatolium postea Laodiceæ Episcopum successorem Ecclesiæ suæ destinaverat, imò & Coëpiscopum assumperat. Ambo certè, inquit Eusebius lib. 7. cap. 32. aliquantis per eandem Ecclesiam simul gubernarunt. Postea verò cùm eum Synodus adversus Paulum congregata Antiochiam evocasset, per Urbem Laodiceam iter faciens à fratribus illius loci mortuo tunc Eusebio detenus est. Quæ verba ostendunt, non mansisse in Ecclesiâ Cæsareensi Anatolium, neq; successisse in eâ Theotecno, sed Laodiceam concessisse, ibiq; Episcopatum succepisse, Theotecno autem, ut ipse scribit Eusebius, successisse Agapium. Nec dubito, Anatolium hunc cùm ut Theotecni Coëpiscopus & designatus

Ff 2. Suc.

Successor, comparuisset in Concilio Antiocheno, occasionem dedisse decreto, quod factum fuit can. 23. Episcopo non licere alium pro se successorem constituiere, etiam si in fine vite. Si quid autem tale fiat, irritam esse hujusmodi constitutionem Sc. Hincq; adeo puto, Anatolium spe successionis exclusum, Laodicensis Ecclesiae Episcopatum tum vacantem haud invitum suscepisse. Et hæc quidem vetustissima sunt exempla coadjutorum, nec dubito, tempore Concilii Antiocheni extitisse adhuc plura, successioni viam sternentia, quibus proinde fibulam injicere oportuit:

IV. Nec tamen post editum istum canonem desierunt Episcopi successores sibi designare, quandoq; etiam sibi adhuc vivis adjungere. Gregorius Nazianenus, cum à Basilio, cuius olim fuerat in scholis commilito, Sasinorum Episcopus creatus, sed ab Anthimo Tyanensi metropolitano Basilius æmulo inde ejectus fuisset, in solitudinem secedere constituerat, sed revocatus à Patre Nazianzi Episcopo coadjutor sibi esse jubebatur, quam functionem multis precibus fatigatus suscepit tandem, hæc tamen dicta legere, ut quoadusque Pater viveret, ipsi inhæreret, postea verò, quò vellet, liberum esset abire. Disputant hic Baronius Cardinalis ad ann. CCCLXXI. n. 106. & Marcus Antonius de Dominis de Rep. Eccles. lib. 3. c. 3. n. 64. utrum Gregorius hic, cùm Patri adjutor esse constituisse, ipse quoq; Episcopus Nazianzi ordinatus fuerit. Negat ille, hic affirmat. Litem eam nostram facere, nunc nihil attinet. Putamus tamen, ex supra adducto Canone Antiocheno justè excusare se potuisse Gregorium erga eos, qui post Patris obitum ei exprobarunt, quod Ecclesiam Nazianzenam deseruerint. At canonis illius nullam facit mentionem; sed hoc tantum argumento utitur, quod Ecclesia ea non esset sua. Sic enim scribit ad Gregorium Nyssenum Basilius fratrem epist. 42. Inter omnes enim constat, me non Nazianzi, sed Sasimorum antistitem creatum fuisse: tametsi patris reverentiā. & eorum, qui supplices hoc à me contenderunt, ad breve tempus præfecturam quasi hospites acceperimus. Item ad Philagrium epist. 6. Quod si Ecclesiam relinquere periculose est, ut scribis: quam tandem? si nostra, recte dicitis, idemq; ipse ajo: Si verò nibil ad nos attinentem, nec nobis assignatam atq; decretam, culpā vacamus. Quod si idcirco tenemur, quia ipsius curam aliquantis per gessimus: multi utiq; alii eadem ratione teneantur, quotquot nimis hospitum curam habuerunt. Quæ verba clariora sunt, quam ut Episcopum Nazianzi statuere liceat Gregorium juniores. Totum namq; ejus ministerium temporale fuit, & in patris, quod vixit, subsidium destinatum.

V. Haud paulo aliter se habuit conditio Augustini, cum à Valerio Episcopo Hippomensi coadjutor constitueretur. Ille enim ab Numidiæ Primate & ordinatus in Episcopum & Coepiscopum Valerio factus est. Testatur id Posidius in vit. ejusd. his verbis: Unde amplius formidans idem venerabilis senex (Valerius) & sciens se corpore & etate infirmissimum, egit secretis literis apud primatem Episcopum sedis Carthaginensis, allegans imbecillitatem.

tatem corporis sui, etatisq; gravitatem, & obsecrans, ut Hippoensi Ecclesiae ordinaretur Episcopus, qui sue cathedrae non jam succederet, sed consacerdos accederet, Augustinus. Quæ igitur beatus Valerius optavit, & regavit satagens rescripto impetravit &c: Idem testatur Paulinus, qui in agro Nolano cum Vxore Therapha solitariam tunc vitam agebat. Postquam enim Augustinus de suâ ordinatione certioreum eum reddidisset, sic ille scribit ad Romanianum: Non autem tantum hoc scribimus, gratulandum, quod Augustinus Episcopatum accepit, sed quod hanc DE Icuram meruerint Africanae Ecclesie, ut verba cœlestia Augustini ore perciperent, qui ad majorem dominici munieris gratiam novo more proventus, ita consecratus est, non ut succederet in gratiâ Episcopo, sed accederet: nam incolumi Valerio Hippoensi Ecclesie Episcopo, Coëpiscopus Augustinus est &c: Extat apud Gratianum c. non autem 7. q. 1. Ipse de se Augustinus: Adbuc, inquit, in corpore posito beatæ memorie patre & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo: quod Concilio Niceno prohibitum esse nesciebam, nec ipse sciebat. Quod ergo reprobensum est in me, nolo reprehendi in filio meo. Error hic sive ignorantia, quam causatur, ansam dedit, ut ex suggestione Augustini in Concilio Carthaginensi III. c. 3. statueretur, ut ordinandis Episcopis vel Clericis prius ab ordinatoribus suis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse pœniteat.

VI. De Melitio Episcopo in exilium pullo & à Gratiano Imp. revocato refert Socrates lib. 5. c. 5. jussum eum, ut unâ cum Paulino Antiochiae Episcopo senio jam consecrato in Episcopali solio resideret. Cumque dicaret Paulinus, refragari Ecclesiasticis regulis, ut is, qui ab Arianis ordinatus esset, ad societatem cathedralē admitteretur, populum voluisse, ut interim ille in Ecclesiâ suburbanâ in sede Episcopali collocaretur, & succederet aliquando Paulino, sicut ibi defunctus fuisset. Pertinet huc etiam, quod de Maximus Hierosolymitanus refert Sozomenus lib. 2. c. 20. eum primum Diospolitanae Ecclesiae Episcopum à Macario Hierosolymitanus constitutum fuisse, plebem vero Hierosolymitanam ægrè id tulisse, & per seditionem intentatam obtinuisse, ut Maximus maneret Hierosolymis & unâ cum Macario Episcopali munere fungeretur, & post ejus obitum plenissimè succederet. Factum autem id ideo, ne defuncto Macario Ariani aliquem labé suâ & hæresi infatum obtruderent. Tum enim maximè caveri oportebat ab eorum infidiis.

VII. Oppido autem notetur, in enumeratis istis exemplis concurrisse Cleri & populi consensum, tūm & Episcoporum provincialium approbationem, quæ faciunt, ut excusari tales ordinationes utcunq; possint. Quod enim canonem Antiochenum 23. spectat, non videtur per eum omnis electio successoris omnino prohibita, sed ea tantum, quæ fit sine consensu Cleri & populi, id est, eorum, ad quos jus eligendi pertinet. Ipse certè Augustinus successorem sibi constituit Eradium, sed procuravit, ut accederet Cleri & populi consensus, utque is ab Notariis ad acta excipetur, epist. 110. quo ipso nihil adversus Canonem Antiochenum committi

E. f. 3.

putat.

putavit. Sed de canonio Niceno circa suam promotionem magis sollicitus fuit Augustinus, isq; in eo violatus omnino videbatur, quod una cum Valerio Episcopus in una civitate fuisset. Si quid tamen peccatum hic fuit, dubium non est, enixa populi voluntatem & ad seditiones concitandas pronam excusatum id reddidisse. Nondum enim tum temporis per gratiam & ambitionem creari cœpere Coadjutores, ut postea re in consuetudinem versâ, nullâ necessitate id exigente pessima invaluit insolentia.

VIII. Cæterum Coadjutoris dandi prima & optima ratio semper fuit ista, si constituantur ad supplendum officium ejus, qui illud non potest ex equi vel propter senectutem, vel propter morbum, vel propter alium aliquem defectum non affectatum. Ob senectutem plerisq; illis omnibus, de quibus hactenus diximus, contigit adjunctio. Eandem concedere maluit Zacharias Papa Bonifacio Episcopo Moguntino, quam ut ei decedenti alius sufficeretur. *Petisti*, inquit apud Gratianum c. petisti 7. q. 1. Ut cum nostro consulto pro superveniente tibi senectute atq; corporis imbecillitate, si poteris invenire alium in eadem sede, in qua præs, pro tua persona debeas collucare: eos verò adjutore DEO consilium præbemus tuae sanitati, ut pro salute animalium rationabilium fautor Christo sedem, quam obtines Moguntinæ Ecclesiæ nequaquam relinquis. Sin verò Dominus dederit juxta petitionem tuam hominem perfectum, qui possit sollicitudinem habere & curam pro salute animarum, protu personâ ordinabis illum Episcopum: eritq; in Evangelio tibi credito & ministerio Christi portando in omni loco requirens & confortans Ecclesiam DEI. Et porro: De eo autem quem tibi successorem constituere dixisti, ut te vivente in tuo loco eligatur Episcopus, hoc nullâ ratione concedi patimur: quia contra omnem Ecclesiasticam regulam vel statuta patrum esse monstratur: sed volumus ut ministret tibi, & sit in Evangelio Christi adjutor. Nimis enim reprehensibile esse manifestum est, ut te vivente tibi alium substituamus &c.

IX. Videtur Bonifacius prorsus renunciare voluisse Episcopatu suo, ut alius in ejus locum plenè substitui posset, & ille quidem, quem ipse sibi constituere successorem vellet. Sed non hoc tantum improbat Zacharias propter canonem Antiochenum supra adductum, qui renunciationes in favorem alicujus factas prorsus damnat, verum etiam in genere nimis reprehensibile esse dicit, ut Episcopo viventi alius substituatur. Ita & Alexander III. Pontifex dimittere noluit Londonensem Episcopum, et si senectutem & insufficientiam suam allegasset, sed voluit ut Ecclesiam gubernare pergeret, c. 1. X. de renunc. Olim enim non facile admittebantur renunciationes aut resignationes. *Alia quoque res est*, inquit Cyrillus Alexandrinus in epist. ad Dominum, quæ Ecclesiasticæ consuetudini non placet, offerre Sacerdotes aliquos renunciationis libellos. Si sint enim digni, qui sacra mysteria obeant in iis maneant: Sin autem indigni, nec per renunciationem exeant, sed rebus ipsis potius condemnati. Maluit igitur Zacharias Pontifex, ut in officio persistaret Bonifacius, & coadjutorem sibi adjungeret, quam ut Episcopatu cederet.

X. Pro-

X. Propter infirmam & adversam valetudinem aliquando coadjutores datos fuisse, exempla superius adducta docent. Adversa autem talis intelligi debet valetudo, propter quam ne suis quidem negotiis interesse quis potest, qualem inter rationes excusandi à tutelâ requirit JCTus in l. 11. & 12. ff. de excus. tut. & Imperator in §. 7. Inst. de excus. Sed & diurna ea esse debet & talis, ex qua restitutionis nulla spes apparet, & per quam quis ad exequendum officium pastorale redditur impotens, Hæc enim etiam renunciationis justa est causa, ut patet ex c. qualiter & cap. seq. 7. q. 1. Et si verò non male agat Episcopus ita affectus, si officio suo cesserit, incivili- ter tamen cum eo agetur, si ad cessionem & resignationem compellere eum quis velit. Atq; idcirco coadjutor ei dari potest, per quem tam Episcopo quam populo utiliter consulatur uti dicitur cap. 5. X. de cler. & grot. Ita Tetrico Ecclesiæ Lingonicæ Episcopo ex vulnere periclitanti, Monde- ricus adjunctus fuit sub eâ specie, ut dum viveret Tetricus, Mondericus Ternodorensis castrum ut Archipresbyter regeret, atq; in eo commorare- tur, migrante verò decessore, iste succederet. Gregor. Turonenf. lib. 5. c. 5.

XI. Petierat Ariminensis Episcopus à Gregorio Magno, ut cum diu- turno capitis dolore affectus esset, neq; officio suo supereesse amplius posset successor sibi daretur. Non renuit Gregorius, sed lib. 7. epist. 50. Mariniano Ravennæ Episcopo mandat, ut eum, qui electus fuerat, examinet, & ad se cum elogio remittat, quatenus, inquit, eidem à nobis Ecclesiæ Domino disponente consecretur antistes. Non consensisset Gregorius, ut superponeretur Episcopus, nisi prior ille morbo affectus licentiam petisset recedendi à sacro ministerio. Alibi enim in simili casu Coadjutorem dari debere rescripsit, l. 11. epist. 8. qui ejus loco aliquando posset succedere. Non dubitarunt tamen sequiorum temporum Episcopi, removeri debere eum, qui muneri suo præ- esse amplius non posset. In historiâ enim Episcoporum Wigorniensium re- fertur exemplum Ulfstani, cuius deponendi justa Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi visa fuit causa, quod idiota & adeò ignarus rerum secularium crederetur, ut neq; Gallice loqui, neq; Guilielmo Normanno Regi suo in cau- sis emergentibus consilium dare valeret, referente Matthæo Parisio ad A. 1075.

XII. Et hæc quidem causæ pro sufficientibus habitæ fuerunt olim, propter quas coadjutores admitti poterant. Nec tamen remedium hoc adhi- bire semper placuit. Sæpè enim renunciations & resignations præva- luerunt, quale exemplum modo adduxi. Sæpe etiam per Episcopos vici- nos, quæ spiritualia erant, temporalia autem per Clericos inferiores ex- pediebantur. Sic enim statuit Concilium Arausicanum c. 19. Si quis Epi- scopus per infirmitatem debilitatemve aliquam aut habetudinem sensus inciderit, aut officium oris amiserit: ea quæ non nisi per Episcopos geruntur, non sub præsen- tiâ suâ presbyteros agere permittat, sed Episcopum evocet, cui hoc quod in Ecclesiâ agendum fuerit imponat. Et hoc pertinet, nî fallor, Rescriptum Pelagii ad Cle- rum Narnensem, quod extat c. quia 7. q. 1. ubi refert, Johannem Episcopum

pe-

petiisse, ut sibi liceret in nonnullis negociis Ecclesiasticis uti operâ Presbyteri alicujus certi: & monet, ut servatâ Episcopo debitâ reverentiâ, obedientiam insuper præbeant constituto presbytero competentem. Videatur enim Johannes ea, quæ Episcopo propria sunt, & non nisi ab Episcopo expediri possunt, sibi reservasse, reliquis presbytero isti commissis.

XIII. Præter causas autem jam adductas, sequiorum temporum Episcopi, adhuc plures addiderunt, quibus coadjutores admittere liceret; sed quæ tales sunt, ut nullâ cogente necessitate ad corruptelas stabilendas locum faciant. Tales sunt pueritia Episcopi, item imperitia ejus, aut si sermonis, quo utitur populus, ei subjectus, ignarus sit, si prodigus & dilapidator sit, & sic porrò. Vid. Anton. Dadin. Alteserra *dissert. jur. Can. l. I.c. 3.* Quis vero permisit Ecclesiaz præficere pueros, & literarum & linguae imperitos, dilapidatores? &c: Oportet Episcopum irreprobenibilem esse, prudentem, aptum ad docendum, qui suæ domui bene præsit *Eccl. 1. Tim. III, 2.* Tales non sunt pueri, non sunt indocti, non sunt dilapidatores. Et cur ergo tales constituuntur? Dicendum erit eâ de re infra commodius. Neq; probari debet, quod occupatâ Syriâ & captâ à Francis & Venetis Constantinopoli, pulsis Græcis Episcopi Latini pasim in his terris locisq; impositi fuerint, quibus proinde, cum Græcè nescirent, coadjutores & Vicarios Hellenismi peritos adjungere oportuit. Cur enim nationi illi non præfecti fuerunt Episcopi patrii, aut cur non adjutores illi potius, quam lingue prorsus ignari ad Episcopatus apicem evecti fuerunt? Quod si in unâ civitate aut dicecepsi fuerint populi linguis variis, ita ut Episcopus non inveniatur, qui omnium idiomatum gnarus sit, facilius tamen fortè admittetur coadjutor. Sed is talis casus erit *ἐν ταῖς εὐλόγοις* & raro contingens. Cæterum ipsi etiam Coadjutores hodiè qui constituuntur, planè alii sunt ab illis, quos olim adjungere solita fuit Ecclesia. Eos justâ querelâ perstringit Antonius Mornacius *ad l. 6. ff. de judic.*

XIV. His ita sufficienter expositis, nihil negocium est, recentioribus Canonistarum placitis immorari, & fontibus nunc probè perspectis turbidos istos rivulos attendere. Unicum id præterire nequoco, quod nolint Episcorum coadjutores aliter admittere, nisi constituti fuerint à Papâ Româo. Augustin. Barbosa *jur. Eccles. l. 3. c. 10. n. 21.* Sed consensum Papæ necessarium olim fuisse nulla docet pagina. Imò verò contrarium obtinuisse, ex illis, quæ à nobis dicta sunt, manifestum est. Et seculo-nono ex Principum potius arbitrio coadjutores doros fuisse testis est Adamus Bremensis *lib. 1. c. 39.* ubi ex vitâ Rimberti Archiepiscopi Hamburgensis referuntur hæc verba: *Cum jam senio gravaretur S. Rimbertus, etiam conrinuum pedum dolor ei accessit. Unde apud gloriissimos Reges Ludo&ricum & filios ejus hoc obtinuit, ut insignis Vir adalgarius, Monachus Eidelice Corbeja, in adiutorium ei confirmaretur, quatenus ipse infirmis arte debentus, in Adalgario haberet solatum circumventi Episcopatum, placida adeundi, & quando exigeretur, vel in expeditionem, vel ad palatium cum Comitatu suo proficisci. Impetravit etiam, ut ipse illi in electione successor confirmaretur, & inter Consilarios Regis locaretur, assensientibus fratribus, & Abbatu Monasterii ejus, ac bac sanctâ Synodo hac omnia corroborante Eccl. Idem docet exemplum Monderici, cuius supra mentionem fecimus ex Gregorii Turanensis historiâ, quippe qui ex Regis indulgentiâ Coadjutor factus dicitur. Quod igitur datio coadjutoris pro reservato Pontificis Romani habetur hodiè, id novum est, & ex disciplinâ reccatiore.*

DE